10
1-A
12

3.

10
2 F
17

Digitized by Google

M. 1. 44

Digitized by Google

Digitized by Google

IO. ANDR. BOSII

INTRODVCTIO GENERALIS

IN

NOTITIAM RERVMPVBLICARVM

ORBIS VNIVERSI

Accedunt

EIVSDEM

DISSERTATIONES

DE

STATV EVROPAE

quibus omnium eius Imperiorum iuxta & Imperantium numerus, Religionis item, litterarum, belliqueac pacis ratio, qualis nuper erat, deſignatur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

JENAE

SVMTV JO. BIELKI

Ex Officina SAMVELIS KREBSII

CIƆ. IƆC. LXX. VI.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI

AC DOMINO

DOMINO

FRIDERICO

DVCI SAXONIAE IVLIACI

CLIVIAE AC MONTIVM

LANDGRAVIO THVRINGIAE

MARCHIONI MISNIAE

PRINCIPI HENNEBERGIAE

COMITI MARCAE

ET

RAVENSBERGAE

DYNASTAE RAVENSTEINII

DOMINO MEO

ET PRINCIPI CLEMENTISSIMO

PERPETVAM FELICITATEM

a 2 SERE-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

SERENISSIME PRINCEPS
DOMINE CLEMENTISSIME

POterant curæ, quibus turbulento iſthoc rerum ſtatu ſuppresſius in ſingulorum commodum ſalutaria prouides, ac præcelſum gloriæ faſtigium, me facile absterrere, ne conſecratione Boſiani huius operis TE *alio diuerterem. Sed, quæ eſt diuinæ indolis* TVAE, *benignitas audacem me fecit, & gratioſa erga ingenuas artes voluntas,*

Digitized by Google

tas, per quam lætisſima clementiæ ſuffragia haut ſemel vſurpandi, ac liberali etiam fruendi otio jam aliquot annis mihi datum eſt. Quare vel hoc nomine, vt publicum ſubmisſi cultus gratique animi monumentum exſtaret, ſumma fuit ope connitendum. Quod tamen cum ex propria deſperarem induſtria, præter opinionem factum eſt, vt hæc mihi lucubratio e beati Auctoris muſeo ad publicos vſus edenda committeretur. Hæc ipſa vero propter ſcripturæ genium, quo diſciplinam orbis ac notitiam, eiusque adquirendæ meliora præſidia tradit, nemini magis, quam TIBI, SE-

RENISSIME DOMINE, *deberi videbatur, qui ipſa ortus conditione, tot peregrinationibus, per Germaniam & huic vicina regna ſuſceptis, intelligentia temporum, aſſiduoque negotiorum tractatu, eum Imperiorum intellectum juxta & vſum conſecutus es, quantum in Principe optimum maximum mirantur prudentes, ac ſumme deprædicant: ne quid iam commemorem de interiore illa cognitione, qua, incomparabili Parentis exemplo, ampliſſimarum ditionum res, ac ſi minimæ domus diligentia contineantur,* TIBI *patent ac penitiſſime introſpiciuntur.*

Digitized by Google

Digitized by Google



BOSIUS in ſcriptis, ſimul hâc in imagine Vivet,
Corporis et mentis lumina donec erunt.

Honoris Amici æſtimatiſſimi f.
Lipſiæ M. Iac. Thomaſij CC.

Digitized by Google

tur. Lætantur inde, quibus obſequii gloria relicta, ac in mutuas gratulationes ſoluuntur, quod ſupremo diuinæ indulgentiæ munere ipſis præſit, qui nihil plane ignorat, quod communem illorum ſalutem attinet. Accipies igitur clementi vultu librum hunc, ſpecimen ciuilis actus ac prudentiæ inſtrumentum, cuius ex gloria & meritis perfectum, ac poſteritati memorabile, exemplum præbes, ſimul & inter demisſisſimæ mentis obſequia admittes, qui ſe æternum conſecrat

SERENITATI TVAE

Jenæ, Idibus Martii, an. Chr.
CIↃ.IↃC.LXX.VI.

deuotisſimus

M. G. SCHVBARTVS.

Digitized by Google

DE

VIRI CL.

JO. ANDREAE BOSII

INTRODVCTIONE

IN

NOTITIAM RERVMPVBL.

JOHANNES SCHILTER

AD

LECTOREM.

EN Bosio ſudata lucubratio
multos per annos! ciuium pru-
dentiæ
Gemella Lux: Pharos peregrinantium.
Auguſta ſic ad Principum palatia,
Rerumque templa publicarum duceris;
Vires Iberi, ſiue regna Caesaris,
vel inquietem Franciæ potentiam,
ſiue & beatas inſulas Hollandiæ,
aut orbis Arctoi, vel & Britanniæ
penetralia indagare, vel faſtigia
Patris iuuat Latini, ſiue Barbaræ
non imperitum Te cupis tyrannidis;
En Lesbiam Tibi reliquit Bosius.
Tu Bosianis ſolue laudes manibus,
qui litterarum rem tuentur publicam.

AD

Digitized by Google

AD EVNDEM BENIGNVM LECTOREM.

IOANNES ANDREAS BOSIVS, *ex quo Hiſtoriam publice tradere iuſſus eſt, nunquam maiore fide ac diligentia prouinciam tueri ſe credidit, quam vbi commiſſam ſibi florentiſſimorum iuuenum ætatem in publicum vitæ vſum, reique litterariæ decus ac vigorem dirigeret, neque committeret vnquam, quod ſtudiorum perfectioni ac tempori, tum & inſtituto cuiusque moleſtum aut ingratum foret. Videas hinc tot ipſius diſſertationes, ac in quolibet doctrinæ genere exercitationes, editas,*

tas pariter & ineditas, quibus vel ciuilis prudentiæ ſtudioſis ad rerum actum viam munit, mores antiquorum, prudentum inſtituta, molimina, ſucceſſus & euentus, accuratam rerum publice geſtarum cognitionem, variosque caſuum rationes exponit; vel emendatam eloquentiæ venuſtatem, procul inepta facundia & obſcuris ſenſibus, vitæ ciuili ac vſui publico accommodat; vel de claſſicis aliisque præſtantioris notæ ſcriptoribus diſſerit, loca obſcura illuſtrat, difficilia explanat, errores notat, menda tollit, ac ſuis quæque adſerit adeo, vt in his, quidquid eruditi laboris ac ſapientiæ vspiam eſt, concurriſſe haut immerito credas. Scilicet ſolerti ſtudiorum vſu deprehendebat, vix eſſe ſimplicis curæ, pro ratione muneris,

in-

interiorem ac paucis obuiam vtilitatem ex pragmatica hiſtoriæ ſcientia demonſtrare; aut publicæ adminiſtrationis notitiam, imperiorum fata, eorumque cauſſas, multiformia agendi conſilia, humani moris disſimilitudinem, omnemque rerum indolem altius perquirere, ac operam ſuam fideli prouiſu cuiuis prenſanti ſine ambage & ex voto commodare. Egregium præ reliquis litterarii huius apparatus ſpecimen exhibet INTRODVCTIO GENERALIS *iſthæc, quam ante hos quattuordecim amplius annos quibusdam proſapia generoſis, nec minus ingenio ac eruditione præcipuis, ad præclaras Rerum publicarum functiones adſpirantibus, tanquam prudentiæ ſcholam, intra priuatos parietes, tradidit, ac poſtea etiam*

Digitized by Google

repetiit. Conſtituerat quidem ampliſſimi vir ingenii de præcipuis hodierni Orbis Imperiis, eorumque origine, progreſſu, ſtatuque illius temporis tam Eccleſiaſtico, quam Politico, aliisque, ad ciuilem vitam cumprimis facientibus, tractare, & hanc in rem præſentem Introductionem, præcognita quaſi & vniuerſales obſeruationes complexam, præmiſerat, cum de natura ipſius Notitiæ, tum de Imperiis in genere, deque omnibus, quæ in ſingulis obſeruari merentur, quibus conſecutura ſpecialis tractatio ceu hypotheſibus, aut etiam regulis, inædificari poſſet. Sed quæ eſt humanarum rerum varietas, ac veluti orbis quidam, huic tam vaſtæ animi deſtinationi pariter interceſſit, vt, præter generalem iſtam Introductionem, nul-

Digitized by Google

nullius niſi Hiſpanici Regni notitia ad finem perduceretur, aliquando luci publicæ committenda. Prodeunt hac vice de conſilio Magnifici SCHILTERI, *cui vitam Boſiana & animam debent, de Statu Europæo, iuxta ſexcenteſimum primum & ſequentem huius ſæculi annum, (quo temporis articulo potiſſima ſimiliter generalis Introductionis metienda) delineato, diſſertationes aliquot, haut inutiles futuras illis, qui vno complecti intuitu Europam, eiusque Imperia cum imperantibus ac ſtatum religionis reique litterariæ, Pacis etiam & belli in ſingulis Rebuspublicis, animo comprehendere ſtudent. Exiſtimes vero, benigne Lector, breui ſecutura, ſi non iniquus præſentibus fueris, alia maioris & ingenii & operæ*

ſcripta

Digitized by Google

ſcripta Boſiana, deſideriis plurimorum votisque pridem expetita, in quibus ſunt variantes ſcripturæ atque correctiones in Chronographos, Syncellum, Theophanem, ac Nicephorum Conſtantinopolitanum, itemque Joſephi, quæ exſtant, ex emendatisſimis Codicibus manu exaratis, immenſo ſtudio ſumtuque vel a beato auctore collectæ, vel a ſummis viris maturandæ in primis Joſephicæ editioni, quam poſt tot aliorum conatus fuerat meditatus, ſubmisſæ; quibus denique Geneſii continuatio, hactenus inedita, aliaque quaſi in inſidiis latentia, & præcurſoris huius libelli fortunam obſeruantia, propediem ſuccedent. Vale.

Digitized by Google

I. N. J.

INTRODVCTIONIS
in
NOTITIAM RERVMPVBLICARVM

CAPVT PRIMVM.

Notitia Rerumpubl. peculiaris diſciplina. Nec ad Politicam pertinet, aut Geographiam, aut Hiſtoriam, etſi eundem, quem illa, vſum præbet; aut Iuriſprudentiam publicam. Quomodo Notitia Rerumpubl. cum illis conueniat aut diſtinguatur. Politicæ commode ſubordinatur.

§. I.

ESſe aliquam partem liberalis & ingenuæ doctrinæ peculiarem, & a reliquis diſciplinis diſtinctam, quæ de ſingulis Imperiis, eorumque ortu, fato, inſtitutis, prouinciis, artibus imperandi modoque regiminis, ac ſimilibus aliis, exponat, vel hinc apparet, quod multa huiusmodi ciuilis prudentiæ ſtudioſo in particulari cognoſcenda ſunt, quæ tamen ad nullam aliam diſciplinam commode referri posſunt, aut in ea tractari ſolent. Adde, quod diuerſum a reliquis finem habet: vt ſciat nempe & cognoscat, quid in ſingulis Rebuspub. hoc illove tempore,

Digitized by Google

pore, hoc illove rerum ſtatu obtinuerit, obtineatve: quibus mediis illæ ſuſtineantur ac gubernentur &c. quæ tamen nulla earum diſciplinarum, quas vulgo ſub *Encyclopædiæ* nomine comprehendunt, docet.

§. II.

Sunt equidem, qui hanc cognitionem ad Politicam referunt, ac *Politicam ſpecialem* appellant. Sed Politica ſcientia, prout inter partes Philoſophiæ recenſeri ſolet, æque ac pleræque ceteræ partes Philoſophiæ, in vniuerſalibus ſubſiſtit, nec ad ſingularia deſcendit, niſi ſecundario, & quando illis ad vniuerſalium propoſitionum confirmationem illuſtrationemque opus habet. Quare conſideratio huius illiusve reipub. cum reſpectu loci, temporis aliarumve circumſtantiarum, ad eam proprie pertinere non poteſt. *Politica* autem *ſpecialis* ea potius cenſenda dicendaque eſt, quæ generalia præcepta conſtituendæ gerendæque reipub. ad ſingulas ſpecies rerumpub. applicat, & naturam earum atque arcana ſpecialia, mutuaque diſcrimina ſeorſim pertractat. Sicut *Metaphyſicam ſpecialem* dicimus, quæ ſeorſim decem ſumma genera Entis, eorumque ſpecies; *Phyſicam ſpecialem*, quæ cauſſas & affectiones corporum naturalium in ſingulis ſpeciebus; *Geographiam ſpecialem*, quæ magnitudinem ac ſitum ſingularum Orbis partium conſiderat.

Keckerm. in Syſt. Polit. Henr. Nicolai in Curſu Philoſ. Suthold. Diſſ. 1. n. 43. Eric. Maurit. Exercit. I. de Principiis Iuris publ. cap. 2. num. 41.

§. III.

Haud pauci politicam ſingularum regionum deſcriptionem in libellis Geographicis tractare ſolent. Sed hi potius ad retinendos & excitandos lectorum animos, qui nuda regionum locorumque enumeratione plerumque ſomnolenti redduntur, obque affinitatem vtriusque diſciplinæ, id feciſſe exiſtimandi ſunt, quam, quod hanc doctrinæ partem proprie ad *Geographiam* pertinere crederent.

rent. Hæc enim prout ſcientia Mathematica eſt, eatenus ſolummodo orbem terrarum ſpectat, qua ſuperficiem habet certa magnitudine præditam, per quam in partes ſuas eſt diuiſibilis; quarum ipſa magnitudinem, formam, ſitum, ordinem, numerum, commenſum, & ceteras proprietates a quantitate dependentes, partim explicando perſequitur, partim apte repræſentando ſubiicit oculis. Qua vero certa hiſtoriæ ſpecies, de qua nos alibi, vix amplius quam cuiusque loci nomina, ſitum, quæque huc faciunt, determinat. Quod ſi quid præterea tractationi ſuæ inſerit, id omne ex hiſtoria, aut Imperiorum Notitia mutuatur. Sicut viciſſim Scriptores de Rebuspub. multa e Geographia mutuo accepta in libellos ſuos transferre ſolent.

§. IV.

Videri etiam poſſit ad *Hiſtoriam pragmaticam*, ſiue κατ' ἐξοχὴν ita dictam, hæc doctrina pertinere; quippe cuius idem obiectum, idemque fructus ſit. *Obiectum* nempe, quod illa pariter de variis Orbis Imperiis agat, eorumque res narret; particularis quidem, ſingulorum aut plurimum; prope vniuerſalis, plurimorum; vniuerſalis autem omnium, quæ inde a prima Imperiorum origine ad hæc vsque tempora innotuerunt. *Fructus* autem duplex. Primo enim hoc cum hiſtoria, præſertim ciuili, commune habet Notitia Rerumpub. quod vna cum illa maximam partem ciuilis obſeruationis & doctrinæ conſtituit. Nam vtraque ſolidius multo & liberalius veram prudentiæ inſtitutionem, quam præcepta Politices, profitetur. Cum enim ciuilis prudentia proprie in iis verſetur, quæ artem non habent, & ad quæ non tam regulis, quam inſpectione propiore obſeruationis cuiusdam, opus eſt; fieri nequit, vt e præceptis generalibus, ſyſtematisque Politicis, aut ſolis, aut potisſimum, mature, & feliciter, & ad vitam actum-

Digitized by Google

que ciuilem ac regimen Imperiorum apte atque accommodate, comparetur. Ut proinde valde aberrent, qui Scriptoribus ſyſtematicis, & regulis quibusdam locisque exemplorum communibus, modum ſtudii Politici metiuntur. Quæ opinio tanto certius impedimentum profectus Politici, & egregii publici eſt, quanto plurium animos obſedit. Longe aliter Veteres, quod hac quoque parte nobis ſapientiores, potius tractationibus Politicis ad certa argumenta, certasque hypotheſes accommodatis, & in rem præſentem traductis, hiſtoriæ præcipue dabant operam: præceptis vero generalibus ſolummodo vice Commentariorum ſiue locorum & librorum memorabilium vtebantur, ad quos cetera, & ciuilem prudentiam actumque propius contingentia, ſuo quodque loco referrent.

Caſaub. in Præf. ad Polyb. Bæcler. in Hiſtor. Schol. Principum.

§. V.

Deinde & in eo cum hiſtoria conuenit *Imperiorum* Notitia, quod ſicut illa ſuppeditat *omnis exempli documenta in illuſtri poſita monumento, vnde tibi tuæque reipub. quod imitere, capias, vnde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites*; vt *in proœmio operis* ſui loquitur *Liuius*: ita hæc pariter ſolida argumenta ſuggerit toti de rebuspub. Philoſophiæ vniuerſali ſiue ciuili: quæ non poteſt exacte & ſolide, niſi per obſeruationem exemplorum in ſingulis, tractari. Nec tamen aliunde melius, commodius, pleniusque licebit varias Rerumpub ſpecies, earumquè modos & gradus, varias item rationes augendæ potentiæ, locupletandi ærarii, firmandi tuendique ſtatus, aliaque rerumpub. rectoribus ac adminiſtris ſcitu neceſſaria, cognoſcere, quam ex inſpectione accuratiore & comparatione variorum Imperiorum, quæ Notitia noſtra deſcribit. Vnde & a Gabriele Naudæo, in *Bibliographia Politica,* inter communes ſup-

edit. Buchner. p. 106.

Digitized by Google

ſuppetias ſtudii Politici *tertium caput* conſtituitur *cognitio regnorum & adminiſtrationis publicæ ſtatuum omnium, qui in Europa, præſertim autem inter Chriſtianos propriis ſe legibus gubernant, libertatemq; ſuam ab aliorum incurſibus & violentia ſartam tectamque, quantum in ipſis ſitum eſt, communibus auxiliis tuentur atque defendunt.* Et ſane quantum ad ciuilem prudentiam faciat ſpecialis Imperiorum variorum cognitio, vel vnius *Ariſtotelis* opus *Politicorum* (vt de *Bodino* recentioribusque aliis nunc nil dicam) docet. In eo enim paſſim præcepta obſeruationesque generales variarum rerumpub. exemplis illuſtrat, ac firmat; immo *lib. II.* ex inſtituto de præcipuis ſui temporis Imperiis egit.

§. VI.

Nihilo tamen ſecius & ab hiſtoria multum doctrina hæc diſtat. Illa enim maxime particularia ſiue ſingularia perſequitur, & ſingulas actiones Imperiorum cum annotatione temporis, loci, ordinis, perſonarum, aliarumque circumſtantiarum, exponit; inſertis, ubi opus eſt, causſis, prætextibus, euentibus & iudiciis. Hæc vero paullo generaliori tractatione, totam faciem & ſtatum cuiusque Imperii, velut vno intuitu, legentis audientisve proponit animo; & quaſi medium tenet inter hiſtoriam & Politicam: dum ſingulorum quidem Imperiorum res, ſed magnam partem ſub ratione vniuerſali, neque huic illive tempori, his illisve perſonis alligatas, pertractat. Quanquam interim negari nequit, non ſolum hanc Notitiam, vt infra docebimus; magnam partem ex hiſtoria deſumi; ſed ipſos etiam Hiſtoricos meliores, particulares præſertim, ſubinde ſtatum deſcriptionemque eius reipub. cuius res geſtas narraturi ſunt, breuiter deſcribere, & operibus ſuis alicubi inſerere, tanquam illuſtres digresſiones, ſolere.

Digitized by Google

lere. Quemadmodum & quidam vniuerſalis hiſtoriæ Scriptores, vt *Micrælius*, & qui ſimili methodo vſi ſunt, res omnium orbis Imperiorum, ſed leuiter, ſolent attingere.

in Syntagm. Hiſtor. Polit.

§. VII.

Oſtendimus huc vsque, Notitiam Imperiorum neque ad Politicam, nec ad Geographiam, nec ad Hiſtoriam denique pertinere. Ad nullam aliam diſciplinam pertinere, in aperto eſt. Omnes enim reliquæ toto genere & obiectis ab ea diſtant. Niſi quod Iurisprudentia publica partem obiecti eius, ſed perexiguam, conſiderat: illud ſcilicet Imperium, cuius eſt Iurisprudentia; exempli cauſſa, Romana Romanum, Germanica Germanicum, Gallica Gallicum, &c. Eſt enim ſua cuique Imperio legibus bene inſtructo Iurisprudentia publica; etſi non omnium æque exculta, ac litteris prodita. Nam vbicunque ius publicum, hoc eſt quod ad ſtatum certæ alicuius reipub. ſpectat, reperitur, ibi & Iurisprudentiæ publicæ locus eſt. Cæterum Iurisprudentia ſuum Imperium non vltra, aliaque ratione, conſiderat, quam prout certa in eo iura, certæque leges ſunt, ſecundum quas de illius perſonis, rebus, & actionibus ſtatuendum, iudicandumque eſt. Æque enim ac Priuati Iuris prudentia, ad ſolam prudentiam iudiciariam ſpectat, non ad legislatoriam aut deliberatiuam. Quare & quæ ad arcana, potentiam, adminiſtrationem publicam, mediaque conſeruandi, ſtabiliendi, inſtaurandi huius illiusve Imperii ſpectant, non ad Iurisprudentiam publicam, ſed ad noſtram Notitiam proprie pertinent. Vt proinde Iurisprudentia publica, aut pars videatur eſſe huius Notitiæ; aut diſtincta quædam ab ea diſciplina, ſed tamen ei ſubordinata; prout cuiusque Imperii res, perſonas, & actiones eatenus tractat, quatenus in iudicium & diſceptationem veniunt. Vtcunque fue-

Digitized by Google

fuerit, ſaltem Notitiam Imperiorum non eſſe partem Jurisprudentiæ publicæ, manifeſtum eſt; cum multo latius obiectum eius, quam Iurisprudentiæ, pateat.

§. VIII.

Sit ergo hoc certum, dari diſtinctam ab aliis diſciplinis doctrinam, quæ de ſingulis Imperiis in ſpecie agat atque hanc fortaſſe non incommode dixeris ſubordinari Politicæ; eum fere in modum, quo mixtæ ſcientiæ Mathematicæ ſubordinantur Geometriæ & Arithmeticæ. Nam vt illæ certas ſpecies quantitatis, prout in cœlo, terra, ſono, pondere, ædificiis &c. reperiuntur, ita hæc Notitia certas reipub. ſpecies, eoque pertinentia, prout in hoc illove populo, in hac illave parte terrarum reperiuntur, conſiderat.

CAPVT SECVNDVM.

Varia Notitiæ huius nomina. Cur dicatur Notitia Imperiorum? eius definitio vberius explicata. Fontes Notitiæ huius duo: Experientia propria, eaque duplicis generis, & relatio aliorum.

§. I.

Oſtenſo, peculiarem esſe diſciplinam, quæ de Imperiis Orbis vniuerſi agat, proxima eſt nominum, quibus appellatur, inueſtigatio. Ac parum quidem intereſt, quo nomine vocetur, modo id eiusmodi ſit, vt eam ab aliis omnibus ſecernat; illiusque naturam & obiectum quodammodo exprimat. Varie autem appellari ſolet. Eſt, qui *ſcientiam Mundi* vel *doctrinam de ſtatibus, Imperiis & Principatibus Orbis* appellat: alius *Archontologiam Cosmicam*: alius

alius *deſcriptionem orbis, & omnium in eo rerumpub.* vocat. Sunt etiam, qui *Politiam Regiam, Theatrum Mundi* ſiue *vniuerſi, Relationes Vniuerſales, doctrinam de Regimine ac adminiſtratione diuerſorum Regnorum ac rerumpub.* aliisque nominibus appellant. Nos haud incommode cenſemus appellari poſſe *Notitiam Imperiorum Orbis;* ea ferme ratione, qua viri docti *Notitiam Orbis Geographicam* vocant, qua regiones totius Orbis; *Notitiam vtriusque Imperii,* qua prouinciæ Orientalis atque Occidentalis Imperii, cum ſuis præfecturis, copiis, inſignibus &c; *Notitiam Epiſcopatuum,* qua vniuscuiusque provinciæ Chriſtianæ Metropoles, Archiepiſcopatus & Epiſcopatus recenſentur.

§. II.

Poteſt autem hæc Notitia deſcribi, quod ſit *Orbis Imperiorum diſtincta & accurata cognitio perficiendi intellectus cauſſa, experientia ac fide dignorum hominum relatione acquiſita.*

§. III.

Quattuor hæc Deſcriptio complectitur: *Materiam* ſive *obiectum,* quod ſunt *omnia Orbis Imperia; Formam,* quæ eſt cognitio, eaque *diſtincta & accurata; Finem,* qui eſt *intellectus perfectio;* & *Efficientem,* hoc eſt, *duplicem fontem,* vnde hauriri poteſt.

§. IV.

Obiectum feci *Imperia Orbis,* ſiue quod idem eſt, Respublicas. Quibus nominibus quid ſignificetur, quæque ciuitates atque hominum cœtus, illam appellationem mereantur, infra prolixe dicemus. Omnia autem dixi, non pleraq;, hoc eſt, tam quæ nunc exſiſtunt, quam quæ inde ab Adamo, primaque hominum diſperſione, exſtitere. Nam hæc omnia ad vnam eandemque diſciplinam pertinent. Quanquam interim negari nequit, hanc Notitiam, vt nunc

Digitized by Google

nunc reperitur,aut reperiri poteſt, de iis tantummodo Imperiis agere, quæ nobis innotuerunt, quorumque ſtatus ac regimen ſaltem aliqua ratione cognita nobis atque perſpecta ſunt. Quippe ne de illis dicam, quæ iam deſierunt eſſe,etiam nunc multa in Aſia, Africa, atque vtraque America, terrisque incognitis ſunt Imperia, Gentesque, quarum ſtatum ac modum gubernandi ignoramus, immo multorum ne quidem nomina & ditiones nouimus. Quod tamen Notitiæ noſtræ non magis detrahit, quam vel Geographiæ, quod multas Orbis terrarum partes aut penitus ignorat, aut non ſatis accurate cognitas; vel Phyſicæ, quod magnam partem ſtellarum, multasque animalium, plantarum, mineralium ſpecies, aut omnino non, aut parum perſpectas habet.

§. V.

Genus feci *Cognitionem*, quia ad vnum aliquem e quinque mentis habitibus Ariſtotelicis non ſatis commode referri videtur poſſe. Quæ vox etſi actum ſignificat proprie; heic tamen habitum potius deſignat: eumque non tam, vt in huius illiusve animo imperfectus exſiſtit; quam cuiusmodi in ſe & ſua natura eſt, ac mente potius concipitur, quam in vllo homine reperitur.

§. VI.

Addidi *diſtincta* & *accurata*, vt hac nota ſecernatur a confuſa & ſuperficiaria cognitione Imperiorum, quæ cum in Politica ſpeciali, tum in vniuerſali hiſtoria tradi ſolet. Huius enim eſt, quæ ſingulis mundi ætatibus Imperia floruerint, quomodo orta & euerſa, quasque mutationes inſigniores paſſa ſint, breuiter narrare. Illius ſingularum reipub. formarum exempla nude, & ſine ampliore deſcriptione, enumerare: vt factum ab Ariſtotele in Politicis. At noſtra Notitia vlterius progreſſa, præter Catalo-

Digitized by Google

gum Imperiorum, ſingulorumque fata, etiam ditiones e-numerat, modum regiminis penitius ſcrutatur, in arcana eorum ſe penetrat, potentiam rimatur, & quæcunque ad accuratiorem vniuscuiusque Imperii cognitionem faciunt, ſtudioſe perueſtigat. In quibus autem diſtincta iſta & accurata cognitio conſiſtat, quibusque partibus abſol-uatur, dicemus capite peculiari.

§. VII.

Finem dixi eſſe *perfectionem intellectus.* Eſt e-nim in ſe, & ſi mentem abſtrahas ab intentione huius il-liusve operam ei dantis, mere theoretica; ac ſolius con-templationis, indeque ortæ voluptatis animi cauſſa appeti ac comparari, non ſolummodo poteſt, ſed ab haud paucis ſolet. Ac proinde a peritia adminiſtrandi ſingulas res-pub. (quæ nihil aliud eſt, quam facultas prudenter ac dex-tre applicandi generalia præcepta ciuilis prudentiæ ad ſingularem aliquam Rempub. bene cognitam perceptam-que) haud parum differt. Quanquam interim negari nequit, eam cum ad ſingularem iſtam peritiam, tum ad ciuilem prudentiam vniuerſe, melius perfectiusque con-ſequendam, non ſolum vtiliſſimam, ſed etiam neceſſariam eſſe. De quibus, & aliis illius fructibus plura itidem pecu-liari capite ſumus dicturi.

§. IIX.

Fontes, vnde Notitia hæc hauriri poteſt, duos con-ſtituimus: *Experientiam propriam, & Relationem fide dignorum hominum.* Nam quicquid de Imperiorum ſtatu, regimine, ditionibus &c. cognoſci poteſt, his duo-bus modis vnice innoteſcit. Experientia quidem pro-pria; cum aut ipſi rempub. capeſſimus, & rebus geren-dis interſumus; aut peregrinatione ad diuerſa terrarum lo-ca ſuſcepta, gentium ſitum, mores, inſtituta, regimen,

reli-

Digitized by Google

religionem, ſtudia, potentiam &c. coram oculis auribusq; percipimus. Relatione autem fide dignorum hominum, cum eadem aut e colloquiis & narrationibus, aut etiam epiſtolis prudentum & peritorum hominum, aut variis ſcriptis, editis pariter atque ineditis, cognoſcimus.

CAPVT TERTIVM.

Imperii vox ſumitur vel abſtracte, vel concrete: ſicut & Reipublicæ. Quid vtraque hoc loco notet. Maieſtas quid, & cur ſumma dicatur? vim omnem excludit & in ſe perfecta eſt, ſibi ipſi innixa, abſoluta, indiuiſibilis, vbique efficax, nihilque precarium admittens. Diuidi ſolet in realem & perſonalem: ſed periculoſe, niſi recidantur quædam conſectaria. Eſt forma Reipub. & character esſentialis. Vnde cognoſcendum, penes quod Imperium ſit Maieſtas. Ciuitates Imperii Germanici liberæ, Electoratus etiam & Principatus non ſunt Respublicæ; nec ciuitates alterius cuiusuis Imperio ſubiectæ, etſi regni vel principatus titulo gaudeant; nec cœtus ſylueſtrium hominum aut prædonum. Contra ex Imperiorum numero non excludendæ ciuitates, quarum imperantes titulo Maieſtatis non honorantur, aut honorari nolunt; ac Respub. corruptæ; ſecus quam nonnulli exiſtimant; aut, quæ inuitis aliis ple-

na libertate gaudent: item quæ malo titulo libertatem adeptæ, aut paruæ & infirmæ, caput cum alia commune habentes, aut cum aliis vnum corpus facientes; ex vna in plures diuiſæ, tributariæ, cenſuales aut vectigales; fœdere inæquali alteri iunctæ &c. An & in feudum datæ? prolixius disquiritur, & argumenta Arniſæi examinantur.

§. I.

CUm obiectum Notitiæ huius dixerimus eſſe Imperia Orbis ſiue Respublicas; ante omnia cognoſcendum eſt, quid nominibus iſtis ſignificetur, ne quis vocabulorum ambiguitate deceptus, ea quoque a nobis heic ſignificari exiſtimet, quæ nomina illa minime merentur, etſi & ipſa vulgo illis ſoleant inſigniri.

§. II.

Imperii vox priſcis pariter ac iunioribus varia notat. Nunc enim abſtracte ſumitur (vt Philoſophi loqui amant) deſignatque I. omnem poteſtatem, vel dominium in perſonas aut res alias; vt cum dicimus *Imperium paternum, berile, imperium maris &c.* II. ſolum ductum & auctoritatem aut ſuaſionem, vt docet *Grotius.* III. ſummam in Repub. poteſtatem; quo ſenſu Imperium ſubiectioni, Imperantes ſubditis opponuntur. IV. auctoritatem Magiſtratuum, qui *cum Imperio* & *in Imperio* eſſe dicuntur. V. regimen militare, a quo Duces belli *Imperatores* vocabantur. VI. Iurisdictionem, aut potius partem eius, quæ cognitionem ſequitur, & ſententiam Iudicis exſequitur, Jureconſultis *merum* & *mixtum Imperium* dictum. Nunc ipſum *exercitium poteſtatis*

II. de I. B. & P. c. III. n. 21.

Digitized by Google

ſtatis denotat; vt cum dicimus *Imperia ducum & magiſtratuum*, pro eorundem iuſſis & mandatis. Nunc denique *concretiue* ipſum *ſubiectum*, ſive cœtum, cui poteſtas ineſt, connotat. Cum ſcilicet vel omnes Reſpublicas appellamus *Imperia*, & cum adjecto *Imperia Orbis*; (quo etiam pertinet appellatio quattuor ſummorum Imperiorum) vel ſecundum excellentiam, ea ſolummodo, quæ pro reliquis amplitudine & potentia eminent, pluraque Regna ſub ſe comprehendunt: quorum etiam Principes idcirco *Imperatores* vocamus. Cujuſmodi hodie ſunt Imperium Romano-Germanicum, Moſcouiticum, Turcicum, Perſicum, Tartaricum, Indicum Magni Mogoris, Æthiopicum (vulgo dictum) Presbyteri Ioannis, Iaponicum, Zeilonenſe Regis Candy, Iauanum Magni Matarani, & ante paucos annos Sinenſe. Affectarunt quidem & Caſtellæ Reges aliquando titulum *Imperatorum*; itemque nonnemo ex Regibus Daniæ, vt ex veteri lapide docet Stephanus Ioannis Stephanius in notis ad Hiſtoriam Saxonis Grammatici. Galliæ quoque Regibus tribuerunt Galli quidam apud Limnæum, & nuper admodum auctor *Diſſertationis Gallicæ Hiſtorico-Politicæ* ſuper tractatu, facto inter regem Galliæ & Ducem Carolum Lotharingiæ, Lotharingiam ſpectante: (quorum illos refellit Limnæus: hunc Bœclerus, ſub initium excerptorum ex actis ſenatus in Parnaſſo) attamen in regnis illis nec à pluribus uſurpatus eſt titulus ille, aut in ſolennem formulam iuit; nec ipſa eorum regna dicta ſunt *Imperia*; ut recte obſeruauit Ioan. Freinshemius de præcedentia Electorum Sacri Rom. Imp. & S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalium. Eſt etiam Imperii nomen ſoli Germanico κατ' ἐξοχὴν, ut olim Romano, tributum; de quo idem Freinshemius. Eamq; acceptionem nuper a cavillis Davidis Blondelli ſolide & gra-

Not. Franc. l. 2. c. 1.

l. c.

Diatr. 1. §. 9.

l. c. §. 8.

p. 44. ſeqq. viter vindicavit itidem modo laudatus Bœclerus *in Diſſ. de S.R. Imp.*

§. III.

Reipublicæ quoque nomen modo abſtracte, modo concrete accipitur. *Abſtracte*, cum vel I. ordinem imperantium & parentium in ciuitate iisdem legibus vtente deſignat *a*) vel II. rem, quæ totius eſt ciuitatis aut ſocietatis: vel III. denique vtilitatem ac ſalutem publicam; vt cum dicimus, aliquid *eſſe vel fieri e republica. Concrete* vero tribus itidem modis: vel enim *I. generaliter* omnem cœtum legibus gubernatum; vel *II. ſpecialiter* quodcunque Imperium nulli alteri ſubjectum; *b*) vel denique *III. ſpecialisſime* Polyarchiam ſive ciuitatem a pluribus gubernatam *c*) ſignificat.

a) Vt. ap. Ariſtotel. 3. polit. 4. al. 6.

b) Tacit. hiſt. 1. 84. 6.

c) Tacit. An. 1. 3. 9.

§. IV.

Nobis in præſenti vtraque vox deſignat cœtum hominum, ſiue ciuitatem, ſuis legibus ac iudiciis, iureque belli, pacis, federum, & ſimilibus vtentem, nec alteri Principi populove ſubiectam; ſive vt breuius dicam, ciuitatem maieſtate præditam. *MAIESTATEM* vero recentiorum conſuetudinem ſecuti, (veteres enim fere ea voce dignitatem, eminentiam, reuerentiam, auctoritatem ſignificabant;) vocamus id, quod Græci ſcriptores τὸ κύριον τῆς πόλεως, τὴν πρώτην ἀρχὴν, τὸ αὐτεξούσιον, τὴν τῶν ὅλων ἐξουσίαν, τὸ ἀνυπεύθυνον, αὐτοκρατορίαν, ἐξουσίαν αὐτοτελῆ, Ariſtoteles τὸ πολίτευμα; Romani *rerum ſummam, rerum imperium, ſummum imperium, arbitrium rerum omnium, vim Imperii & ſummum rerum iudicium, ſummam poteſtatem*, appellant; quæque ad inſtitutum noſtrum accommodatisſime deſcribi poteſt e *Grotio*, *quod ſit ſumma ciuilis poteſtas, cuius actus alterius iuri non ſubſunt, ita vt alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti posſint reddi.*

1. de I. B. & P. III, n. 7.

§. V.

§. V.

Summa cur dicatur hæc poteſtas, nemo gravius explicavit Bœclero, cujus hæc ſunt verba in nuperis annot. ad *Grotii lib. I. c. III.* Summa eſt poteſtas, quæ maieſtas dicitur, quia aliam non agnoſcit ſuperiorem, niſi divinam: Summa, quia DEUS, qui conſtituit eam, ſibi ſecundam & proximam, id eſt inter humana ſummam fecit: Summa, quia in ordine divinitus præcepto opus eſt aliquo ſummo, a quo cetera omnia pendeant, & ad quod referantur in civitate aut cœtu imperantium parentiumque: Summa adhuc clarius, quia DEUS, ut civitas ſit civitas, aliquam ei poteſtatem dedit, quam nihil ſupergrederetur; quæ vices DEI cuncta gubernantis in certo cœtu referret; quæ legis munus, omnem harmoniam concinnantis, vivo quodam præſentiſſimoque miniſterio obiret: Summa, quæ non impeditur, non ſuſpenditur, non iudicatur vllo humano arbitrio, aut vi cogendo, niſi per arma aut ſcelus: Summa, quia nihil veneratione ſanctius, nihil faſtigio auguſtius in rebus humanis habetur: ſupra quam & contra quam, & ſine qua in civitate nihil geri poteſt; cum ſit, vt breviſſime & veriſſime Ariſtoteles loquitur, in civitate vbique ſumma poteſtas. p. 112.

§. VI.

Ex eo autem, quod majeſtatem *ſummam, nulliusque arbitrio ſubiectam poteſtatem* dicimus, facile apparet, vim omnem externam ſiue directiuam ſiue coercitiuam ab illius naturali conditione ac ſtatu procul amoueri, poniq; aliquid in ſe perfectum, quodq; in ſe conſtet atq; ſubſiſtat, ſe ipſũ abſolvat ac determinet, ſeipſũ impleat, totumq; ſit ſui. Id quantũ ſit, amplius elucet tũ ex iis, quæ majeſtati repugnant, ſeu quæ in eã non cadunt; qualia ſunt: alterius auxilio indigere ad exerendã vim ſuam, ab altero ſuſtineri ac regi,

regi alterius iuri aut vi obnoxiũ agere, precario aliquid tenere aut vſurpare: tum quæ in eam cadunt, eiq; veluti propria ſunt, vt regimen in omnia & omnes pro iure ſuo, eiusq; exercitium, & quæ his ſunt ſimilia. Stat igitur in ſe collecta, major omni lege, nullis finibus circumſcripta, nullis temporum ſpatiis arctata: nec magis aut minus admittit: tamque eſt indiviſibilis & incommunicabilis, ut parte amiſſa, ſubſtantiam amittat. Denique id in imperio, quod DEVS in vniverſo, anima in corpore eſt: hoc eſt, liberrime agit, tota in toto Imperio & in ſingulis eius partibus ineſt, ac in omnia ſibi ſubiecta ſe infert, influitque. Plura in hanc rem diſſerit graviter & eleganter Theodorus Grasvvinckelius *lib. de Iure Maieſtatis c. IV.*

§. VII.

Competit autem maieſtas Imperiis ſiue Rebusp. non immediate & tanquam ſubiecto proprio, ſed tanquam communi & mediate. Immediate autem ineſt imperantibus, ſiue vnus ſit, qui imperat, ſiue pauci, ſeu populus. Neq; enim probare poſſumus eorum opinionem, qui duplicem faciunt in omnibus aut ſaltem in Monarchicis, oligarchicis & mixtis, Imperiis maieſtatem; Realem vnam, alteram Perſonalem: quarum illa ipſius Imperii atque reip. ſiue populi ſit; hæc Imperantium, priori illi ſemper obſtricta atque ſubiecta. Quam enim illa diſtinctio ſit periculoſa, & noxia Imperantibus, præſertim Regibus, vel nuperum Anglorum regicidium docuerit; quod vix alio ſpecioſiori tibicine, quam fictitia Majeſtate Reali ab auctoribus, eorumque advocatis fulciebatur. Qua de re plura viri docti, qui Caroli Magnæ Britanniæ Regis cauſſam ſcriptis in publicum editis defenderunt. Videri tamen poſſit, haud omnino reiiciendam eſſe hanc diſtinctionem, ſi reci-

dan-

dantur non toleranda conſectaria, qualia ſunt: in regno „ pleno & abſoluto manere ſemper maieſtatem populi, ab „ eoq; Reges, ſi deliquerint in commoda publica, e throno „ ſuo deiici, immo exſtirpari poſſe: omnem poteſtatem re-„ giam non ſolum ſub ortum ſuum, ſed toto regni tempore, „ pendere a populo &c. dicaturque cum nonnullis, deſinere & euaneſcere maieſtatem realem, cumprimum maieſtas in perſonam Regis abſoluti, & ſuper omnia conſtituti, confertur: manente vero reali maieſtate, nullam eſſe veram maieſtatem perſonalem, ſed tantum imaginem eius, reſpectu adminiſtrationis & curationis, aliarumque prærogatiuarum, quæ ſpeciem ſummæ poteſtatis præ ſe ferunt. Quo ferme ſenſu hanc diſtinctionem explicat Grasvvinckelius. Sed tamen ne ſic quidem concedi debet, vlla ratione perſonalem maieſtatem Regum aut optimatum, (eorum ſaltem, qui abſolute imperant, plenaque maieſtate gaudent) a reali pendere: quippe quæ ex ſaniorum Theologorum, Politicorumque ſententia a DEO immediate confertur Imperantibus, atque etiam ipſo populo ſemper & vbique ſuperior eſt. Quod ſi vero hanc diſtinctionem ad illa conſectaria periculoſa, ſenſumque paullo ante a nobis indicatum, extendas, tunc plane repugnabit naturæ majeſtatis, quæ, vti diximus, abſolute ſumma, nec cuiusquam hominis populique arbitrio ſubiecta eſt. Qua de re præter dictos ſcriptores *de controuerſia Anglicana*, Salmaſium puta, in *Defenſione Regia*, & *apologia poſtuma* aduerſus Miltonum, Caſp. Zieglerum *exerc. II. circa regicidium Anglorum &c.* prolixe Guilielmus Barclaius *in libris VI. de regno & regali poteſtate* aduerſus Monarchomachos, præcipue lib. III. c. II. III. IV. lib. IV. c. X. lib. V. c. XIII. ſeqq. Arniſæus tract. *de auctoritate Principum ſemper inuiolabili*, c. I. §. 6. 7. 10. ſeq. & L. I. *de iure maieſtatis*, c. III. §. I.

d. l. de iur. maieſtat. c. X. & XI.

rius regni aut Reipub. imperio obnoxias, non eſſe in Imperiis aut Rebuspub. habendas, etſi eos titulos etiam nunc retineant. Nam cum belli alioue iure in alterius populi Regisve poteſtatem tranſierint, ac in provinciarum formam redactæ ſint, maieſtatem, qua antea gaudebant, hoc ipſo amiſerunt, ac proinde (ut recte Grot.) non per ſe ſunt ciuitates, ſed membra minus digna magnæ ciuitatis: quomodo ſervi ſunt membra familiæ. Huiusmodi olim fuere varia regna ac ciuitates, quæ ſub Babylonici, Perſici, Macedonici, Romani, Francici, Saracenici, Tartarici, aliorumq; magnorum Imperiorum poteſtatem conceſſerant. Hodie autem tales haberi debent Regna Candiæ & Corſicæ, Ducatus Lithuaniæ, regno Poloniæ incorporatus; aliquot item regna & ditiones Americæ, quæ Hiſpanis, Luſitanis, Belgis aut Anglis; regnum Ægypti & alia plura Africana & Aſiatica, quæ Imperatori Turcico, Magno Mogori, regi Siamenſi & Perſico, Magno Chamo Tartariæ, Magno Duci Moſcouiæ, aliisque potentioribus Monarchis, ſubiecta ſunt.

l. I II. 7. *adde eund. II. IX. 6.*

§. XIII.

Sequitur (III.) Respublicas non eſſe cœtus ſylueſtrium ferorumque hominum, ſocietatesque prædonum & latronum, quorum non tantum olim magna fuit frequentia per orbem vniuerſum; ſed etiam hodie haud pauci, maxime in America, Arabia, Africa meridionaliore, & alicubi in Septentrionalibus Europæ & Aſiæ reperiuntur. Nam etſi nullius Imperio ſubſunt; ſine legibus tamen & ordine ciuili vitam degunt; aut ſi maxime ordo quidam ciuilis & ſocialis inter eos reperitur (nam id de quibuſdam negari nequit) attamen vera maieſtate non gaudent: eoque tantum inſtar quoddam ciuitatis conſtituunt, quantum ad imperium; nomen autem ciuitatis non merentur, cum maleficii

Boeclerus ad Grotii l. I. IV. p. 270.

ficii cauſſa coierint. Interim negari nequit, e latronum cœtibus multa, immo pleraque magna Imperia nata eſſe.

Arnis. II. Relect. Pol. c. I. S. II. n. 5. & 14.

§. XIV.

Contra ex eadem hypotheſi ſequitur (I.) nomen Imperii ac Reipub. non eſſe denegandum iis ciuitatibus, quarum Imperantes titulo maieſtatis non honorantur, aut honorari nolunt; modo iuribus maieſtatis gaudeant. Neque enim hac in re tituli, ſed res ipſa reſpici debet. Itaque non minus Imperia ſunt omnes Respub. ſiue ciuitates reuera liberæ, quam regna. Et viciſſim non minus Rerump. nomen debetur regnis, quam ciuitatibus liberis. Quemadmodum & pro regnis haberi debent omnes illi Principatus ac Ducatus, quorum reges nullius alterius arbitrio ſunt obnoxii, etſi eo titulo ſiue ad declinandam inuidiam, ſiue ne potentioribus deridendos ſe præbeant, aut quod ſumtibus regiis pares non ſint, non vtantur, modo regia poteſtate ſint prædit. Neq; enim hæc ſiue modeſtia ſiue prudentia obeſſe ipſorum poteſtati & iuribus, aut maieſtas ideo illis abiudicari debet. Tales autem principatus ſunt ſtatus Eccleſiaſticus, ſive Papale dominium; magnus Ducatus Florentiæ, Ducatus Sabaudiæ, &, ſi Grotium aliosque feudum non officere maieſtati affirmantes ſequimur, ditiones Ducum Mantuæ, Mutinæ, Parmæ, &c.

Arnis. I. de iur. maieſt. c. I. n. 4.

§. XV.

Sequitur (II.) malas quoque & corruptas Respub in Imperiis orbis habendas. Neque enim eſſentialiter differunt a rectis ſiue integris. Præterea ſicut res omnes ciuiles ſua natura indifferentes ſunt, nec in eſſentia ſua (quam etiam, cum male adhibentur, retinent) bonitatem includunt: ita & Reipub. atque Imperii nomen ad bonum malumque ſtatum indifferens eſt, & æque tyrannidi atque oli-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

rius regni aut Reipub. imperio obnoxias, non eſſe in Imperiis aut Rebuspub. habendas, etſi eos titulos etiam nunc retineant. Nam cum belli aliove iure in alterius populi Regisve poteſtatem tranſierint, ac in provinciarum formam redactæ ſint, maieſtatem, qua antea gaudebant, hoc ipſo amiſerunt, ac proinde (ut recte Grot.) non per ſe
l. II. 7. ſunt ciuitates, ſed membra minus digna magnæ ciuitatis:
adde eund. quomodo ſervi ſunt membra familiæ. Huiusmodi olim
II. IX. 6. fuere varia regna ac ciuitates, quæ ſub Babylonici, Perſici, Macedonici, Romani, Francici, Saracenici, Tartarici, aliorumq; magnorum Imperiorum poteſtatem conceſſerant. Hodie autem tales haberi debent Regna Candiæ & Corſicæ, Ducatus Lithuaniæ, regno Poloniæ incorporatus; aliquot item regna & ditiones Americæ, quæ Hiſpanis, Luſitanis, Belgis aut Anglis; regnum Ægypti & alia plura Africana & Aſiatica, quæ Imperatori Turcico, Magno Mogori, regi Siamenſi & Perſico, Magno Chamo Tartariæ, Magno Duci Moſcouiæ, aliisque potentioribus Monarchis, ſubiecta ſunt.

§. XIII.

Sequitur (III.) Respublicas non eſſe cœtus ſylueſtrium ferorumque hominum, ſocietatesque prædonum & latronum, quorum non tantum olim magna fuit frequentia per orbem vniuerſum; ſed etiam hodie haud pauci, maxime in America, Arabia, Africa meridionaliore, & alicubi in Septentrionalibus Europæ & Aſiæ reperiuntur. Nam etſi nullius Imperio ſubſunt; ſine legibus tamen & ordine ciuili vitam degunt; aut ſi maxime ordo quidam ciuilis & ſocialis inter eos reperitur (nam id de quibuſdam negari ne-
Boeclerus quit) attamen vera maieſtate non gaudent: eoque tantum
ad Grotii inſtar quoddam ciuitatis conſtituunt, quantum ad impe-
l. I. IV. p. 270. rium; nomen autem ciuitatis non merentur, cum male-

ficii

Digitized by Google

ficii cauſſa coierint. Interim negari nequit, e latronum cœtibus multa, immo pleraque magna Imperia nata eſſe. *Arniſ. II. Relect. Pol. c. I. S. II n. 5. & 14.*

§. XIV.

Contra ex eadem hypotheſi ſequitur (I.) nomen Imperii ac Reipub. non eſſe denegandum iis ciuitatibus, quarum Imperantes titulo maieſtatis non honorantur, aut honorari nolunt; modo iuribus maieſtatis gaudeant. Neque enim hac in re tituli, ſed res ipſa reſpici debet. Itaque non minus Imperia ſunt omnes Reſpub. ſiue ciuitates reuera liberæ, quam regna. Et viciſſim non minus Rerump. nomen debetur regnis, quam ciuitatibus liberis. Quemadmodum & pro regnis haberi debent omnes illi Principatus ac Ducatus, quorum reges nullius alterius arbitrio ſunt obnoxii, etſi eo titulo ſiue ad declinandam inuidiam, ſiue ne potentioribus deridendos ſe præbeant, aut quod ſumtibus regiis pares non ſint, non vtantur, modo regia poteſtate ſint prædit. Neq; enim hæc ſiue modeſtia ſiue prudentia obeſſe ipſorum poteſtati & iuribus, aut maieſtas ideo illis abiudicari debet. Tales autem principatus ſunt ſtatus Eccleſiaſticus, ſive Papale dominium; magnus Ducatus Florentiæ, Ducatus Sabaudiæ, &, ſi Grotium aliosque feudum non officere maieſtati affirmantes ſequimur, ditiones Ducum Mantuæ, Mutinæ, Parmæ, &c. *Arniſ. I. de iur. maieſt. c. I. n. 4.*

§. XV.

Sequitur (II.) malas quoque & corruptas Reſpub in Imperiis orbis habendas. Neque enim eſſentialiter differunt a rectis ſiue integris. Præterea ſicut res omnes ciuiles ſua natura indifferentes ſunt, nec in eſſentia ſua (quam etiam, cum male adhibentur, retinent) bonitatem includunt: ita & Reipub. atque Imperii nomen ad bonum malumque ſtatum indifferens eſt, & æque tyrannidi atque

oli-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

rius regni aut Reipub. imperio obnoxias, non eſſe in Imperiis aut Rebuspub. habendas, etſi eos titulos etiam nunc retineant. Nam cum belli aliove iure in alterius populi Regisve poteſtatem tranſierint, ac in provinciarum formam redactæ ſint, maieſtatem, qua antea gaudebant, hoc ipſo amiſerunt, ac proinde (ut recte Grot.) non per ſe
l. I II. 7. ſunt ciuitates, ſed membra minus digna magnæ ciuitatis:
adde eund. quomodo ſervi ſunt membra familiæ. Huiusmodi olim
II. IX. 6. fuere varia regna ac ciuitates, quæ ſub Babylonici, Perſici, Macedonici, Romani, Francici, Saracenici, Tartarici, aliorumq; magnorum Imperiorum poteſtatem conceſſerant. Hodie autem tales haberi debent Regna Candiæ & Corſicæ, Ducatus Lithuaniæ, regno Poloniæ incorporatus; aliquot item regna & ditiones Americæ, quæ Hiſpanis, Luſitanis, Belgis aut Anglis; regnum Ægypti & alia plura Africana & Aſiatica, quæ Imperatori Turcico, Magno Mogori, regi Siamenſi & Perſico, Magno Chamo Tartariæ, Magno Duci Moſcouiæ, aliisque potentioribus Monarchis, ſubiecta ſunt.

§. XIII.

Sequitur (III.) Respublicas non eſſe cœtus ſylueſtrium ferorumque hominum, ſocietatesque prædonum & latronum, quorum non tantum olim magna fuit frequentia per orbem vniuerſum; ſed etiam hodie haud pauci, maxime in America, Arabia, Africa meridionaliore, & alicubi in Septentrionalibus Europæ & Aſiæ reperiuntur. Nam etſi nullius Imperio ſubſunt; ſine legibus tamen & ordine ciuili vitam degunt; aut ſi maxime ordo quidam ciuilis & ſocialis inter eos reperitur (nam id de quibuſdam negari nequit) attamen vera maieſtate non gaudent: eoque tantum
Bæclerus ad Grotii l. I. IV. p. 270. inſtar quoddam ciuitatis conſtituunt, quantum ad imperium; nomen autem ciuitatis non merentur, cum male-
ficii

ficii cauſſa coierint. Interim negari nequit, e latronum cœtibus multa, immo pleraque magna Imperia nata eſſe. *Arniſ. II. Rel. Pol. c. I. S. II n. 5. & 14.*

§. XIV.

Contra ex eadem hypotheſi ſequitur (I.) nomen Imperii ac Reipub. non eſſe denegandum iis ciuitatibus, quarum Imperantes titulo maieſtatis non honorantur, aut honorari nolunt; modo iuribus maieſtatis gaudeant. Neque enim hac in re tituli, ſed res ipſa reſpici debet. Itaque non minus Imperia ſunt omnes Reſpub. ſiue ciuitates reuera liberæ, quam regna. Et viciſſim non minus Rerump. nomen debetur regnis, quam ciuitatibus liberis. Quemadmodum & pro regnis haberi debent omnes illi Principatus ac Ducatus, quorum reges nullius alterius arbitrio ſunt obnoxii, etſi eo titulo ſiue ad declinandam inuidiam, ſiue ne potentioribus deridendos ſe præbeant, aut quod ſumtibus regiis pares non ſint, non vtantur, modo regia poteſtate ſint prædìti. Neq; enim hæc ſiue modeſtia ſiue prudentia obeſſe ipſorum poteſtati & iuribus, aut maieſtas ideo illis abiudicari debet. Tales autem principatus ſunt ſtatus Eccleſiaſticus, ſive Papale dominium; magnus Ducatus Florentiæ, Ducatus Sabaudiæ, &, ſi Grotium aliosque feudum non officere maieſtati affirmantes ſequimur, ditiones Ducum Mantuæ, Mutinæ, Parmæ, &c. *Arniſ. I. de iur. maieſt. c. I. n. 4.*

§. XV.

Sequitur (II.) malas quoque & corruptas Reſpub. in Imperiis orbis habendas. Neque enim eſſentialiter differunt a rectis ſiue integris. Præterea ſicut res omnes ciuiles ſua natura indifferentes ſunt, nec in eſſentia ſua (quam etiam, cum male adhibentur, retinent) bonitatem includunt: ita & Reipub. atque Imperii nomen ad bonum malumque ſtatum indifferens eſt, & æque tyrannidi atque oli-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

rius regni aut Reipub. imperio obnoxias, non eſſe in Imperiis aut Rebuspub. habendas, etſi eos titulos etiam nunc retineant. Nam cum belli aliove iure in alterius populi Regisve poteſtatem tranſierint, ac in provinciarum formam redactæ ſint, maieſtatem, qua antea gaudebant, hoc ipſo amiſerunt, ac proinde (ut recte Grot.) non per ſe
l. I II. 7. ſunt ciuitates, ſed membra minus digna magnæ ciuitatis:
adde eund. quomodo ſervi ſunt membra familiæ. Huiusmodi olim
II. IX. 6. fuere varia regna ac ciuitates, quæ ſub Babylonici, Perſici, Macedonici, Romani, Francici, Saracenici, Tartarici, aliorumq; magnorum Imperiorum poteſtatem conceſſerant. Hodie autem tales haberi debent Regna Candiæ & Corſicæ, Ducatus Lithuaniæ, regno Poloniæ incorporatus; aliquot item regna & ditiones Americæ, quæ Hiſpanis, Luſitanis, Belgis aut Anglis; regnum Ægypti & alia plura Africana & Aſiatica, quæ Imperatori Turcico, Magno Mogori, regi Siamenſi & Perſico, Magno Chamo Tartariæ, Magno Duci Moſcouiæ, aliisque potentioribus Monarchis, ſubiecta ſunt.

§. XIII.

Sequitur (III.) Respublicas non eſſe cœtus ſylueſtrium ferorumque hominum, ſocietatesque prædonum & latronum, quorum non tantum olim magna fuit frequentia per orbem vniuerſum; ſed etiam hodie haud pauci, maxime in America, Arabia, Africa meridionaliore, & alicubi in Septentrionalibus Europæ & Aſiæ reperiuntur. Nam etſi nullius Imperio ſubſunt; ſine legibus tamen & ordine ciuili vitam degunt; aut ſi maxime ordo quidam ciuilis & ſocialis inter eos reperitur (nam id de quibuſdam negari ne-
Bæclerus quit) attamen vera maieſtate non gaudent: eoque tantum
ad Grotii inſtar quoddam ciuitatis conſtituunt, quantum ad impe-
l. I. IV. p. rium; nomen autem ciuitatis non merentur, cum male-
270.
ficii

Digitized by Google

ficii cauſſa coierint. Interim negari nequit, e latronum cœtibus multa, immo pleraque magna Imperia nata eſſe. *Arniſ. II. Rel. Pol. c. I. S. II. n. 5. & 14.*

§. XIV.

Contra ex eadem hypotheſi ſequitur (I.) nomen Imperii ac Reipub. non eſſe denegandum iis ciuitatibus, quarum Imperantes titulo maieſtatis non honorantur, aut honorari nolunt; modo iuribus maieſtatis gaudeant. Neque enim hac in re tituli, ſed res ipſa reſpici debet. Itaque non minus Imperia ſunt omnes Reſpub. ſiue ciuitates reuera liberæ, quam regna. Et viciſſim non minus Rerump. nomen debetur regnis, quam ciuitatibus liberis. Quemadmodum & pro regnis haberi debent omnes illi Principatus ac Ducatus, quorum reges nullius alterius arbitrio ſunt obnoxii, etſi eo titulo ſiue ad declinandam inuidiam, ſiue ne potentioribus deridendos ſe præbeant, aut quod ſumtibus regiis pares non ſint, non vtantur, modo regia poteſtate ſint prædici. Neq;enim hæc ſiue modeſtia ſiue prudentia obeſſe ipſorum poteſtati & iuribus, aut maieſtas ideo illis abiudicari debet. Tales autem principatus ſunt ſtatus Eccleſiaſticus, ſive Papale dominium; magnus Ducatus Florentiæ, Ducatus Sabaudiæ, &, ſi Grotium aliosque feudum non officere maieſtati affirmantes ſequimur, ditiones Ducum Mantuæ, Mutinæ, Parmæ, &c. *Arniſ. I. de iur. maieſt. c. I. n. 4.*

§. XV.

Sequitur (II.) malas quoque & corruptas Reſpub in Imperiis orbis habendas. Neque enim eſſentialiter differunt a rectis ſiue integris. Præterea ſicut res omnes ciuiles ſua natura indifferentes ſunt, nec in eſſentia ſua (quam etiam, cum male adhibentur, retinent) bonitatem includunt: ita & Reipub. atque Imperii nomen ad bonum malumque ſtatum indifferens eſt, & æque tyrannidi atque oli-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

regi alterius iuri aut vi obnoxiũ agere, precario aliquid tenere aut vſurpare: tum quæ in eam cadunt, eiq; veluti propria ſunt, vt regimen in omnia & omnes pro iure ſuo, eiusq; exercitium, & quæ his ſunt ſimilia. Stat igitur in ſe collecta, major omni lege, nullis finibus circumſcripta, nullis temporum ſpatiis arctata: nec magis aut minus admittit: tamque eſt indiviſibilis & incommunicabilis, ut parte amiſſa, ſubſtantiam amittat. Denique id in imperio, quod DEVS in vniverſo, anima in corpore eſt: hoc eſt, liberrime agit, tota in toto Imperio & in ſingulis eius partibus ineſt, ac in omnia ſibi ſubiecta ſe infert, influitque. Plura in hanc rem disſerit graviter & eleganter Theodorus Grasvvinckelius *lib. de Iure Maieſtatis c. IV.*

§. VII.

Competit autem maieſtas Imperiis ſiue Rebusp. non immediate & tanquam ſubiecto proprio, ſed tanquam communi & mediate. Immediate autem ineſt imperantibus, ſiue vnus ſit, qui imperat, ſiue pauci, ſeu populus. Neq; enim probare poſſumus eorum opinionem, qui duplicem faciunt in omnibus aut ſaltem in Monarchicis, oligarchicis & mixtis, Imperiis maieſtatem; Realem vnam, alteram Perſonalem: quarum illa ipſius Imperii atque reip. ſiue populi ſit; hæc Imperantium, priori illi ſemper obſtricta atque ſubiecta. Quam enim illa diſtinctio ſit periculoſa, & noxia Imperantibus, præſertim Regibus, vel nuperum Anglorum regicidium docuerit; quod vix alio ſpecioſiori tibicine, quam fictitia Majeſtate Reali ab auctoribus, eorumque advocatis fulciebatur. Qua de re plura viri docti, qui Caroli Magnæ Britanniæ Regis cauſſam ſcriptis in publicum editis defenderunt. Videri tamen poſſit, haud omnino reiiciendam eſſe hanc diſtinctionem, ſi reci-

dan-

Digitized by Google

dantur non toleranda conſectaria, qualia ſunt: in regno „ pleno & abſoluto manere ſemper maieſtatem populi, ab „ eoq; Reges, ſi deliquerint in commoda publica, e throno „ ſuo deiici, immo exſtirpari poſſe: omnem poteſtatem re- „ giam non ſolum ſub ortum ſuum, ſed toto regni tempore, „ pendere a populo &c. dicaturque cum nonnullis, deſinere & euaneſcere maieſtatem realem, cumprimum maieſtas in perſonam Regis abſoluti, & ſuper omnia conſtituti, confertur: manente vero reali maieſtate, nullam eſſe veram maieſtatem perſonalem, ſed tantum imaginem eius, reſpectu adminiſtrationis & curationis, aliarumque prærogatiuarum, quæ ſpeciem ſummæ poteſtatis præ ſe ferunt. Quo ferme ſenſu hanc diſtinctionem explicat Grasvvinckelius. Sed tamen ne ſic quidem concedi debet, vlla ratione perſonalem maieſtatem Regum aut optimatum, (eorum ſaltem, qui abſolute imperant, plenaque maieſtate gaudent) a reali pendere: quippe quæ ex ſaniorum Theologorum, Politicorumque ſententia a DEO immediate confertur Imperantibus, atque etiam ipſo populo ſemper & vbique ſuperior eſt. Quod ſi vero hanc diſtinctionem ad illa conſectaria periculoſa, ſenſumque paullo ante a nobis indicatum, extendas, tunc plane repugnabit naturæ majeſtatis, quæ, vti diximus, abſolute ſumma, nec cuiusquam hominis populique arbitrio ſubiecta eſt. Qua de re præter dictos ſcriptores *de controuerſia Anglicana*, Salmaſium puta, in *Defenſione Regia*, & *apologia poſtuma* aduerſus Miltonum, Caſp. Zieglerum *exerc. II. circa regicidium Anglorum &c.* prolixe Guilielmus Barclaius *in libris VI. de regno & regali poteſtate* aduerſus Monarchomachos, præcipue lib. III. c. II. III. IV. lib. IV. c. X. lib. V. c. XIII. ſeqq. Arniſæus tract. *de auctoritate Principum ſemper inuiolabili*, c. 1. §. 6. 7. 10. ſeq. & L. 1. *de iure maieſtatis*, c. III. §. I.

d. l. de iur. maieſtat. c. X. & XI.

ſeq. Grotius *I. de I. B. & P. c. III. n. 4.* & ibi Bœclerus *in not. p. 225. 230. ſeqq.* Populo etiam fideli ſuperiores eſſe Reges, docet idem Grotius *lib. de Imperio ſummarum poteſtatum circa ſacra c. IV. n. 3.*

§. IIX.

Maieſtate igitur, tanquam forma & eſſentiali atque inſeparabili charactere, natura atque eſſentia Reipub. cenſenda, ac ita exiſtimandum eſt, quæcunq; civitas maieſtate gaudet, eā iure meritoq; pro imperio & repub. peculiari haberi: Contra quæ eadem caret, etſi potentisſimam, & plurimas ditiones complectentem, tamen reipub. nomen & titulum proprie & politice loquendo, non mereri. Nam cum maieſtatis conditione immutata, ſtatim & eſſentia Reipub. mutetur & conuertatur; ſequitur ex ea præcipue Rempub. æſtimandam eſſe. Ea enim præcipua Reipub. pars eſt, ex cuius mutatione tota mutatur Respublicaa.

Arnis. II. Relect. Pol. c. I. ſect. 1. § 13.

§. IX.

Penes quod vero imperium ſit maieſtas aut non ſit, cognoſcitur ex huius ſiue partibus poteſtatiuis, ſiue, vt alii, effectis, conſequentibus aut adiunctis; quæ vulgo iura maieſtatis vocantur. Quæ vt definiri debeant, prolixe diſquirit Arniſæus. In enumerandis iis mire variant Auctores priſci recentioresque: quorum varias partitiones collegerunt idē Arniſæus *a)* Grotius *b)* & ibi Bœclerus *c)* qui etiā oſtendit, veterum, qui laudantur, non fuiſſe id inſtitutum, ut omnia recenſerent; ſed vt præcipua tantummodo & per compendium referrent: recentiorum autem pleraſque partitiones aut imperfectas aut ineptas eſſe. Optima, & cum menti veterum, tum rei ipſius naturæ accommodatisſima eſt diſtributio Grotii, declarata defenſaque a Bœclero *ibid. p. 209. ſeqq.*

II. d. iur. maieſt. c. 1. n. 3.
a) l. c. n. 4.
b) l. 1. c. III. n. 6
c) p. 206. & ſeqq.
l. c.

§. X.

Digitized by Google

§ X.

Quæcunque igitur imperia cuncta hæc iura non precario aut dependenter ab alio imperio poſſident, haud dubie inter Imperia & Reſpublicas orbis recenſeri debent. Quid vero ſi unum alterumque deſit de reliquis? vix dubitem, non ſatis dignum eſſe tam auguſto nomine cœtum illum, cui unum alterumque eorum, ſaltim ex principibus & potioribus, deeſt. Sed de iure maieſtatis circa ſacra idem affirmare non auſim. Alioquin enim magnæ parti, etiam maximorum Europæ Imperiorum, quæ in rebus ſacris Papæ arbitrio ſubſunt, honor iſte derogandus eſſet. Quanquam id interim negari vix poteſt, eorum Imperiorum non eſſe integram planeque perfectam maieſtatem; adeoq; & ipſa non poſſe inter perfectisſimas Reſpublicas iure recenſeri.

§. XI.

Ex iis, quæ huc uſq; diximus, apparet (I.) proprie loquendo in numerū Rerumpub proprie referri non poſſe liberas ciuitates Imperii Germanici. Quanquam enim *Reſpublicæ* appellari ſolent, ac ſuis plerumq; legibus vtuntur, nec pauca maieſtatis iura exercent: tamen nec plena maieſtate gaudent, ſed membra totius Imperii ſunt vni capiti ſubiecta. Idem dicendum eſt de dominiis Electorum ac reliquorum Imperii Principum, quæ & ipſa partes ſunt eiuſdem Imperii, nec ſuprema cum poteſtate ab illis tenentur. Niſi fortasſe cum nonnullis dicas, Imperium Germanicum non eſſe unam Remp. ſed fœdus plurium, quale olim inter ciuitates Græciæ fuit, ac hodie inter fœderatas Belgii provincias, inter civitates Helvetiæ ac minores Rhætiæ Reſpublicas eſſe dicitur.

Arnis de R.p. l. II. c. 1. ſect. 1. n. 15.

§. XII.

Sequitur (II.) Regna, Principatus & Reſpublicas alte-

rius regni aut Reipub. imperio obnoxias, non eſſe in Imperiis aut Rebuspub. habendas, etſi eos titulos etiam nunc retineant. Nam cum belli aliove iure in alterius populi Regisve poteſtatem tranſierint, ac in provinciarum formam redactæ ſint, maieſtatem, qua antea gaudebant, hoc ipſo amiſerunt, ac proinde (ut recte Grot.) non per ſe ſunt ciuitates, ſed membra minus digna magnæ ciuitatis: quomodo ſervi ſunt membra familiæ. Huiusmodi olim fuere varia regna ac ciuitates, quæ ſub Babylonici, Perſici, Macedonici, Romani, Francici, Saracenici, Tartarici, aliorumq; magnorum Imperiorum poteſtatem conceſſerant. Hodie autem tales haberi debent Regna Candiæ & Corſicæ, Ducatus Lithuaniæ, regno Poloniæ incorporatus; aliquot item regna & ditiones Americæ, quæ Hiſpanis, Luſitanis, Belgis aut Anglis; regnum Ægypti & alia plura Africana & Aſiatica, quæ Imperatori Turcico, Magno Mogori, regi Siamenſi & Perſico, Magno Chamo Tartariæ, Magno Duci Moſcouiæ, aliisque potentioribus Monarchis, ſubiecta ſunt.

l. I II. 7. adde eund. II. IX. 6.

§. XIII.

Sequitur (III.) Respublicas non eſſe cœtus ſylueſtrium ferorumque hominum, ſocietatesque prædonum & latronum, quorum non tantum olim magna fuit frequentia per orbem vniuerſum; ſed etiam hodie haud pauci, maxime in America, Arabia, Africa meridionaliore, & alicubi in Septentrionalibus Europæ & Aſiæ reperiuntur. Nam etſi nullius Imperio ſubſunt; ſine legibus tamen & ordine ciuili vitam degunt; aut ſi maxime ordo quidam ciuilis & ſocialis inter eos reperitur (nam id de quibuſdam negari nequit) attamen vera maieſtate non gaudent: eoque tantum inſtar quoddam ciuitatis conſtituunt, quantum ad imperium; nomen autem ciuitatis non merentur, cum maleficii

Boeclerus ad Grotii l. I. IV. p. 170.

Digitized by Google

ficii cauſſa coierint. Interim negari nequit, e latronum cœtibus multa, immo pleraque magna Imperia nata eſſe. *Arnis. II. Relect. Pol. c. I. S. II n. 5. & 14.*

§. XIV.

Contra ex eadem hypotheſi ſequitur (I.) nomen Imperii ac Reipub. non eſſe denegandum iis ciuitatibus, quarum Imperantes titulo maieſtatis non honorantur, aut honorari nolunt; modo iuribus maieſtatis gaudeant. Neque enim hac in re tituli, ſed res ipſa reſpici debet. Itaque non minus Imperia ſunt omnes Reſpub. ſiue ciuitates reuera liberæ, quam regna. Et viciſſim non minus Rerump. nomen debetur regnis, quam ciuitatibus liberis. Quemadmodum & pro regnis haberi debent omnes illi Principatus ac Ducatus, quorum reges nullius alterius arbitrio ſunt obnoxii, etſi eo titulo ſiue ad declinandam inuidiam, ſiue ne potentioribus deridendos ſe præbeant, aut quod ſumtibus regiis pares non ſint, non vtantur, modo regia poteſtate ſint præditi. Neq; enim hæc ſiue modeſtia ſiue prudentia obeſſe ipſorum poteſtati & iuribus, aut maieſtas ideo illis abiudicari debet. Tales autem principatus ſunt ſtatus Eccleſiaſticus, ſiue Papale dominium; magnus Ducatus Florentiæ, Ducatus Sabaudiæ, &, ſi Grotium aliosque feudum non officere maieſtati affirmantes ſequimur, ditiones Ducum Mantuæ, Mutinæ, Parmæ, &c. *Arnis. l. de iur. maieſt. c. I. n. 4.*

§. XV.

Sequitur (II.) malas quoque & corruptas Reſpub. in Imperiis orbis habendas. Neque enim eſſentialiter differunt a rectis ſiue integris. Præterea ſicut res omnes ciuiles ſua natura indifferentes ſunt, nec in eſſentia ſua (quam etiam, cum male adhibentur, retinent) bonitatem includunt: ita & Reipub. atque Imperii nomen ad bonum malumque ſtatum indifferens eſt, & æque tyrannidi atque oli-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Oligarchiæ, quam Regno aut Ariſtocratiæ conuenit. Quæ omnia prolixe oſtendit Arniſæus. Non igitur probari poteſt eorum opinio, qui nomen aut naturam ciuitatis & Reipub. propter tyrannidem amitti cenſent; aut Regem & Principem, cumprimum a bonitate deflectit, & tyrannum agere incipit, Regem eſſe deſinere, eoque a populo aut proceribus regni deponi, aut etiam interfici iure poſſe affirmant (vt Georgius Buchananus *in l. de iure regni apud Scotos*, Stephanus Iunius Brutus *in vindiciis contra Tyrannos, & defenſores parricidii Anglicani.*) quam perniciosiſſimam opinionem prolixe confutarunt inter alios Albericus Gentilis *in libro de vi civium in regem ſemper iniuſta,* Arniſæus in tractatu *de auctoritate Principum ſemper inuiolabili*, & Salmaſius *in defenſione regia* pro Carolo Magnæ Britanniæ rege, aliique ſupra laudati. Videri & Grotius poteſt *lib. 1. de I. B. & P. c. IV.* & quæ ibi annotavit Bœclerus; itemq; Sam. Bochartus *in epiſt. ad Morleyum.*

II. Rel. Pol. c. I. S. II. n. 13. ſeqq.

§. *VII.*

annexa Geogr. Sacra.

§. XVI.

Tertio & illud hinc elicitur, non excludendas e numero Imperiorum eas eſſe civitates, quæ inuitis aliis, quibus antea ſubiiciebantur, libertatem ſuam obtinent, ſummaque poteſtate gaudent; neque illarum plenæ libertati officere prætenſiones aliorum Regum, Principum aut populorum. Sic iure inter libera Imperia & Reſpublicas numerantur Regnum Luſitaniæ, civitas Geneuenſis: quanquam illud inuito Hiſpaniarum Rege, hæc ingratiis Ducis Sabaudiæ libertate fruantur. Idem de aliis, in quas diuerſi Reges ac Principes Imperii ius prætendunt, iudicium eſto.

XVII.

Sed & illud (IV.) hinc ſequitur, non eſſe titulum, quo quis alterius Imperio ſe exemit, heic reſpiciendum. Siue

Digitized by Google

Siue enim ciuitas aliqua iure belli, ſiue certa pecuniæ ſumma ſoluta, ſiue rebellione, ſeu quacunque demum occaſione plane alterius poteſtati ſe ſubduxit, modo plena maieſtate gaudeat, pro libero Imperio habenda eſt. Nam ſi nulla Reſpublica esſet exiſtimanda, niſi quæ bono titulo fundata ſit: fortasſe paucisſimas hodie, immo ab omni æuo, reperire eſſet.

§. XIIX.

Sequitur (V.) etiam paruas, & ditionibus pariter ac potentia anguſtas ciuitates, ſi plena libertate vtuntur, inter Imperia orbis referenda eſſe. Quales ſunt Dominium Pontificis Romani, Principatus Arauſionenſis, Dominium Magni Ducis Etruriæ, & alii Principatus liberi minores; itemq; Respublicæ Helveticæ, Rhæticæ, Resp. Valeſiorum, Geneuenſis, Raguſana, & in Italia Lucenſis, ac (ſi vera ſunt, quæ de ea narrantur) parva Respubl. S. Marini, in Ducatu Vrbini ſita, Italis ideo *Republichetta* dicta. Neque enim quam late, ſed quam libere quis imperet, videndum. *Arniſ. l. 1. de iur. maieſt. c. 1. n. 4.*

§. XIX.

Neque (VI.) peculiare Imperium eſſe definit ea ciuitas, quæ caput aut regem habet alteri quoque Imperio præpoſitum. Neque enim abſurdum eſt, in morali corpore, quale eſt ciuitas, vnum idemque caput pluribus corporibus imperare, ſed diuerſo reſpectu. Nam ut recte notauit Grotius, accidit aliquando, vt plurium populorum idem ſit caput, qui tamen populi ſinguli perfectum cœtum conſtituunt. *l. de I. B. & P. c. III. n 7.* Cuius rei certum indicium eſſe poteſt, quod exſtincta domo regnatrice (ſi ſcilicet regnum ſit ſucceſſiuum) aut ſi electitium, exſtincto Rege vel Principe (id enim addere debuit Grotius) imperium, vt ille loquitur, ſiue potius, vt loqui debebat, libertas & αὐτονομία, iusque nouum Principem aut eius loco optimates conſtituendi, vel

&

& Democratiam inſtituendi, (nam imperium ipſum ſiue maieſtas ad DEVM, a quo profecta, cuiusque in his terris vicaria fuerat, redit) ad quemque populum ſeorſim reuertitur: Vnde & alibi Grotius negat, vera vnitate iungi regna, quæ eo duntaxat iunguntur, quod regem communem habent. Sic cum anno ſup. ſæc. XCIV. Sigismundus, Poloniæ Rex, etiam Suediæ regnum, mortuo parente, obtineret, non ideo Polonia & Suedia in vnum idemque Imperium conflata ſunt. Et hodie Germanicum, Bohemicum & Hungaricum; Daniæ item & Norvvegiæ; Angliæ, Scotiæ & Hyberniæ, variaque Hiſpano ſubiecta regna, etſi eiſdem regibus ſubſunt, pro diuerſis tamen regnis & Imperiis habentur. Benè autem monuit Bœclerus ad priorem Grotii locum, fieri ſæpe, vt vnius regni nomen, vt Caſtellæ, & præſertim Hiſpaniæ, ceteras appellationes vel inumbret, vel complectatur: varias etiam incidere mutationes, conſiliaque & artificia Politica heic regnare. Bernhardus Varenius *diſſert. de Rebuspublicis in genere, deſcriptioni regni Iaponiæ præmiſſa*, capite *de numero Rerumpublicarum*, diſtinguendum heic putat inter regiones, in quas regi ſumma & abſoluta eſt poteſtas; & eas, ad quas ſe habet tantummodo, vt Rex ſecundum leges. Priori caſu omnes illos populos vnum imperium ſiue regnum conſtituere: nec diuerſitatem regionum aut diſtantiam hoc impedire poſſe: quemadmodum nec illud, quod conſuetudo loquendi eam regni appellationem non videatur admittere; cum ipſam rem heic habeamus. Ita Imperium Romanum, Perſicum, Macedonicum, Babylonicum pro ſingulis haberi Imperiis, etſi plurima & disiuncta a ſe inuicem regna in illa coierint. Idem hodie de regno Turcico, regnisq; Hiſpanicis multum a ſe inuicem remotis, iudicandum eſſe. Si vero diſpar ſit regi poteſtas

[Margin notes: II c IX n. 9. — pag. 229.]

Digitized by Google

ſtas in illas regiones, præſertim ſi & reliqua adminiſtratio reipub. diuerſa ſit; non eſſe illa vnius reipub. membra, ſed diuerſa regna & plerumque his accidere, vt Rex quædam iure hereditatis, reliqua per electionē tantummodo obtineat. Sic cum Germani Carolum V. Hiſpaniæ regem Cæſarem ſibi eligerent; neutiquam ex Hiſpania & Germania vnum imperium factum eſſe; ſicut nec ex Polonia & Suedia, cum Sigiſmundus utriq; præeſſet. Admodum enim diuerſam regis in hæc regna fuiſſe auctoritatem; & totam gubernationem regnorum diuerſam; nullum quoque inter populos hoſce fœdus aut vinculum interceſſiſſe. Hæc fere Varenius. In quibus etſi haud difficulter admittimus, quæ de poſtremo caſu dicit; (quoties ſcilicet regnorum aliud hereditarium, aliud vero electitium eſt) attamen reliqua fortaſſe ſimpliciter concedi non debent. Interim tamen Notitia noſtra commodius vt vnum Imperium conſiderabit, quæ vni regi, ſaltem ſucceſſiuo, ſubiiciuntur.

§. XX.

Idem dicendum eſt (VII.) de ciuitatibus illis, quæ arctiſſimo fœdere ſic inuicem connexæ ſunt, vt vnum quoddam ſyſtema ſiue corpus conſtituant. Nam ſingulæ non ideo amittunt ſtatum perfectæ ciuitatis, vt etiam Ariſtoteli obſeruatum eſt. *II. Pol. XX. & L. III. c. IX.* Talis olim fuit, quæ dicebatur *respublica Achaica*, deſcripta a Iacobo Gothofredo, *ſub init. orat. quam de cauſſis interitus illius ſcripſit*; Ioan. Schildio *de coalit. populor.* Mart. Schookio, *tract. peculiari.* Hodie vero tanquam illuſtria huiusmodi fœderum exempla laudantur tres Rhætorum in Alpibus, fœdere quidem iunctæ, ſed tamen non ſub vno ſupremo magiſtratu; itemque Belgii, & Heluetiorum, fœderatæ reſpublicæ. Exempla alia congeſſit Arniſæus. *I Relect. Pol. c. IV. S. II.* Sunt, qui & Germanicum Imperium fœdus eiusmodi diuerſarum rerumpub. eſſe cenſent;

In his Ioannes Freinſhemius, &, vti quidem viris doctis videtur, Gothofredus in *orat. iam laudata*. Idque perpendendum lectori relinquit etiam Nobiliſſimus Conringius *in libello de pace perpetua Proteſtantibus danda*, etſi in negantem partem inclinare videtur. Bœclerus *ad Grotii lib.I.c.III.* recte annotauit, in hac quæſtione magna quædam & ardua latere. Et ſunt in vtramque partem, quæ ſpecioſe vrgeri poſſunt: nondum tamen tam valida, quæ pro affirmante ſententia adducuntur, vt in eam concedendum exiſtimem. Videtur autem ita ſenſiſſe & Thomas Campanella, qui in *lib.de Monarchia Hiſpanica* ait, Germaniam in republicas exiguas diſſectam eſſe. Porro eiuſmodi fœdus etiã fuiſſe dicitur ante annos amplius CCLX. inter tria regna ſeptentrionalia. Apud Veteres præter Achæorum, etiam alia exempla occurrunt, quorum aliqua congesſit Arniſæus. Plura eaque prolixius expoſita Io. Schildius *in libris III. de coalitione populorum ac rerump.* qui & de *Achaico fœdere* fuſe egit. *Amphictyonicum*, quod & ipſum huc refertur, ſeorſim expoſuit Bœclerus in peculiari de eo diſſertatione. Cauendum autem, ne confundamus eiuſmodi confœderationes arctiores diverſarum Rerumpub. cum iis, quæ vere coaluerunt in vnam rempublicam. Solet enim interdum, cum ciuitas minor, aut minus digna, in acceſſionem maioris aut dignioris venit, eiusq; velut appendix fit; immo & tum quandoque, cum æque digna ac potens alteri vera vnione iungitur, ſingulari arcano iſta confœderationis ſpecies obtendi, vt factum hoc ſæc. in vnione magnæ Britanniæ, nonnulli cenſent. Non ſatis diſtincte heic egit Schildius, in opere iam laudato. Ceterum etſi reuera ſint diſtinctæ reſpublicæ, quæ huiuſmodi fœdere iunguntur; ſolent tamen Principes populique alii aut omnino aut ſæpius cum iis, tanquam cum vna ciuitate agere.

Eaque

in Diſp. de Comitiis, θ. IX.

ſub fin. ſect. II. p. 230.

c. XIX. p. m. 154.

II. Relect. Pol. IV. S. II §. 22. 23. 24. 25 lib. II. a C. VI. uſque ad XIII.

Bœclerus de eo, quod ciuitas egit, p. 24. ſeqq.

Eaque ratio & in Notitia noſtra commodius obſeruabitur.

§. XX.

Sequitur (IIX.) ſi, quæ vna ciuitas fuerat, mutuo conſenſu, aut vi bellica ſic diuidatur, vt penes ſingulas partes ſit abſoluta & ſuprema Imperii poteſtas; vel ſi vnum idemque regnum aut Principatum plures heredes ita inter ſeſe partiantur, vt ſinguli ſupremi ſint Domini, nec primogeniti fratris, aut cuiusquam alterius arbitrio ſubiecti: tum ſingulas earum partium pro ſingulis Imperiis habendas eſſe. Id quod Grotius declarat exemplo ſucceſſorum Alexandri; ac amplius illuſtrat Bœclerus. Cui non male addideris Imperium Romanum, Regnum Francorum, & alia commemorata Arniſæo. Apparet hinc, cum Imperatores, vnus Occidentale, alter Orientale Imperium, plena vterque poteſtate, indiuiſim tenuerunt, accurate loquendo, duo diuerſa fuiſſe Regna, vt recte contra Grotium Bœclerus docet.

l. II. c. IX. n. 10.
l. c. p. 26.
Lib. II.
Rel. Pol. II. S. VII. §. 14. ſeqq.
ad illius l. I. c. III. n. 21. p. 354. ſeqq.

§. XXI.

Sed neque (IX.) Ciuitates Tributariæ, vectigales vel cenſuales, ſi cetera plane ſui iuris ſint, a Rerumpub. numero excludi debent: ſiue ſponte & ob commodum aliquod, v. g. ad redimendas iniurias, ad tutelam comparandam &c. ſiue neceſſitate & coacte tributum, vectigal aut cenſum exſolvant. Nam & de his nullam eſſe dubitandi cauſſam, quo minus ſummum Imperium habeant, recte affirmat Grotius.

l. I c. III. n. 22. add. Arniſæus l. I. d. iur. mai. c. V. n. 21.

§. XXII.

Neque (X.) fœdera inæqualia (vt cum vi pactionis inter diuerſos populos initæ, alteruter populus aut Princeps tenetur alterius, in cuius clientela eſt, maieſtatem comi-

miter conſeruare, reuereri; aut eosdem hoſtes & amicos habere, quos velit pars altera; aut nulli exercitui, cui cum altera parte bellum ſit, tranſitum commeatumve dare; aut certis locis non ædificare arces, aut exercitum ducere, aut vrbem condere, militem conſcribere &c.) efficiunt, quo minus is populus, qui ad hæc tenetur, ſeparatum Imperium conſtituat. Neque enim ea reuerentia ſubiectionem includit, vt inter alios auctoritatibus veterum, inprimis Proculi JCti ac rationibus, & comparatione libertatis priuatæ ſiue perſonalis; prolixe oſtendit, ac ad obiecta reſpondet Grotius *a*) Itemque Bodinus *b*) Arniſæus *c*) & Auctor juris fecialis inter Gentes *d*) quanquam interim negari nequit, ſæpiſſime, immo plerumque huiusmodi fœdera in veram ſubiectionem partis inferioris deſinere, aut eiusmodi clientelam, vt recte vulgo dicitur, primum eſſe ad ſeruitutem gradum. Exempla habet Grotius loco priore, & quos laudat in notis.

a) *l. c. III. n. 21. & II. c. XV. n. 7.*
b) *l. de Rep. VII. n. 68.*
c) *l. de Iur. mai. c. IV.*
d) *part. II. ſect. II. n. 4.*

§. XXIV.

Ad hoc genus fœderum pertinere etiam, quæ vocantur clientelaria, itemque patrocinia, aduocatiæ, Mundiburdia, vel Mundiburgia, aiunt Grotius, *a*) & Beſoldus *b*) qui prolixe de fœderibus eiusmodi clientelaribus agit, docetque eiusmodi clientes (Germ. Schutz- und Schirms-Verwante) ordinarie libertatem ſuam illibatam retinere, neque Patroni ſubditos eſſe. Sed quod porro addit, protectionem evidens ſignum eſſe jurisdictionis & ſuperioritatis non competentis; nam ſi peculiaribus pactis impetretur protectio, apparere, eam non competere ipſo iure: id abſolute admitti non poteſt. Neque enim per pacta peculiaria de protegendo altero populo ius imperii protegenti competens, imminuitur: cum minime inſolitum ſit, pactis promitti, quod legibus alias debebatur:

a) *l. c.*
b) *in Diſſ. de iur. fœder.*

:: præſertim ſi cauſſæ adſint, quæ faciant, vt aliquando de ſpoſitione aut applicatione iuris dubitetur. Non igitur nnis protectio libertatem clientibus ciuitatibus poilisque relinquit: ſed ea tantummodo, quæ iura maieſta- integra ac illibata ſeruat protectis. Quemadmodum & edera quædam inæqualia cum imminutione Imperii niuncta ſunt. In cuius rei exemplum Grotius laudat cundum fœdus Carthaginienſium cum Romanis, quo ca- batur, ne cui Carthaginienſes bellum facerent iniuſſu opuli Rom. Niſi dicas: fœderis vocabulum de eius- odi pactis improprie vſurpari: quemadmodum & de- itio conditionata, qua imperium non imminuitur, ſed lane transfertur, aliquando fœderis nomine venit, vt rotius ibidem obſeruat. Id interim verum eſt, neque edus inæquale, neque protectionem & patrocinium ex maieſtatem tollere: adeoque, niſi alia accedant, non fficere, quo minus peculiare imperium conſtituant eæ uitates, quæ in iis deteriore ſiue inferiore ſunt loco. *II.c.XV.§.7.*

§. XXV.

Ius quoque vrbium matricum in colonias apud Græcos uc refert Grotius, quod coloniæ cum vrbibus matricibus ari fuerint iure libertatis, etſi debuerint matrici reueren- am & honoris ſigna quædam exhibere. Et de coloniis niuerſe ait, diſceſſione, quæ fit per eas, nouum populum ii iuris noſci. Contra alii *metropoles, quaſi naturæ lege, lonus ſuis imperare* debere exiſtimarunt. Quorum po- erius vt merito neque verum neque æquum arbitratur pud *Dionyſ. Halicarnaſ.* Rex Tullius; ita neque prius ſim-„ liciter admittendum; ſed omnino videndum, cuius au-„ piciis, qua mente, quo iure, in quæ loca emittantur. Ac de ræcorum quidem, Romanorum, aliarumque gentium oloniis αὐτονόμοις & quæ ſeorſim ciuitates conſtituebant,

I.c.III.n.21 *lib. II.c.IX. §.10.* *Io. Strauch. in Beryto c. 2. ß. 13.*

facile aſſentior Grotio. Nam quæ illæ maiori patriæ præſtare tenebantur, vt quod eundem illi honorem exhibebant, quem filii parentibus; quod quotannis legatos mittebant, Diis patriis ſacra facturos, quod Pontifices inde accipiebant; quod in publicis ac ſolennibus ludis principem illius ciuibus locum in conſeſſu dabant; quod coloniam aliquo ducturi, ducem ab eo poſcebant, de quibus videatur Henricus Valeſius, *in notis ad excerpta Peire-*

p. 6. 7. *ſciana Polybii*; ea nihil amplius, quam reuerentiam colonorum, & fœderis inæqualitatem, non autem ſubiectionem, arguunt. In dubio quoq; cum de mente mittentium non conſtat, & in loca fit miſſio, quæ ciuitati, vnde exit colonia, non paret, populum liberum & ſui iuris factum

c. 3. §. 13. eſſe, facile admiſerim cum *Strauchio, in diſſert. de Beryto.* Aliter autem exiſtimandum eſt de iis coloniis, quæ vel militares ob vſus, vel alias ob cauſſas ita deducuntur, vt in ditione mittentium permaneant; quales ſunt, quæ hoc & ſuperiore ſæculo ab Hiſpanis, Anglis, Luſitanis, Belgis, Gallis, in inſulas Americanas ac Indiæ Orientalis miſſæ ſunt.

§. XXV.

lib. I. c. III. n. 23. Secundum eundem Grotium etiam nexus feudalis, quo vaſalli, ſiue qui ditiones ſuas alterius beneficio, vel iure fiduciario obtinent, Dominis feudi obſtringuntur, nil aliud eſt, quam ſpecies fœderis inæqualis, quo alter alteri operam pollicetur, alter alteri præſidium & tutelam. Nam cum in eiusmodi contractu duo contineantur, obligatio perſonalis, & ius in rem; obligationem perſonalem eandem eſſe ait, ſiue quis ipſum ius imperandi, ſiue aliud quiduis etiam alibi ſitum feudi iure poſſideat. Talem autem obligationem, ſicut priuato non erat demtura ius libertatis perſonalis; ita nec regi aut populo ius demere ſummi

Imperii.

Imperii. Idque in feudis liberis ſiue Francis, quæ nullo iure in rem in ſola perſonali obligatione conſiſtunt, apertiſsime conſpici. In Ligiis quoque promisſam aduerſus omnes operam nihil de iure ſummi Imperii in ſubditos detrahere. Ius vero in rem, etſi familia exſtincta, aut etiam ob certa crimina amitti posſit; tamen idcirco ſummum eſſe non deſinere: cum aliud ſit res, aliud habendi modus. Sed aliter cenſet *Arniſæus*, qui prolixe diſputat, vtrum qui alteri fiduciam tanquam Domino præſtiterunt, iura maieſtatis retineant? & poſtquam diſtinxisſet inter Reges & Principes, qui ipſum regnum aut Principatum; & eos, qui præter illud alias quasdã terras & regiones fiduciæ nomine tenent, & deinceps poſterioris generis multa exempla attulisſet, tandem quærit: an, qui alterius ſeruitio ſe illigat, cum ipſe ſit abſolute in regno ſuo Dominus, iura maieſtatis amittat; an vero diuerſo reſpectu Rex esſe posſit & Vaſallus, reſpondetq; hoc poſterius veriſimilius esſe, modo hæc duo inter ſe diſtincta conſeruentur. Sic eundem esſe patremfamilias in ſua domo, in aliena mercenarium: ſic alterius ciuitatis ciuem in altera prædia posſidere, & huic tributa, illi vero obedientiam patriæ debitam præſtare: ſic denique Principes Germanicos in ſuis prouinciis Imperatores esſe, Imperatoris tamen imperium, vt comiter habeant, teneri; ſed tunc diſtinguendum esſe inter regnũ ipſum & perſonam regis. Illud maieſtatem ſuam non perdere; cum non ipſum ad ſeruitia præſtanda obligetur, ſed is, qui feudum accipit. Accipere autem, non vt regem, ſed vt vaſallum; nec feudum ipſum coaleſcere cum partibus regni. Perſonam vero regis, qui feudum habet adiunctum, maieſtate præditam dici non poſſe: quia accuſari, conueniri, condemnari posſit, alteriusque ſeruitio teneatur: quod directe contrarium ſit maieſtati.

l. I. de iure maieſt. c. V. §. 2.

Dein-

Deinde etiam ex eo, quod Vaſallus Ligius fidem præſtat Domino contra omnes homines, cogiturq; omnia ſua bona poteſtati & iurisdictioni Domini ſubiicere: quodque fidelitas a Ligio homine præſtita alteri fidelitati locum non relinquit; colligit, aliquem non poſſe Ligium alicuius eſſe, cuius non ſit ſubditus; neque poſſe Principem Ligium alicui homagium præſtare, cui non & regnum & Rempub. ſuam ſubiiciat. Proinde quicquid promittant iurentve Principes, fieri nunquam poſſe, vt idem ſit Rex abſolute, & Vaſallus Ligius, voce proprie accepta. Neque locum heic eſſe diuerſo reſpectui vnius eiusdemq; perſonæ: cum Vaſallus non reſpectiue, vt Marchio vel Comes, ſed abſolute ſecundum perſonam, vitam & omnia bona ſua Domino obligetur. Simplex tamen Vaſallus quo minus fiat rex, nihil prohibere, ſi inter regnum & perſonam regis eo, quo dictum eſt, modo diſtinguatur.

§. XXVII.

§.18.ſeqq. Idem Arniſæus porro docet, vtut regnum eiuſmodi abſolutum ſit, quod ex perſona regis deterius fieri non poſſit: tamen perſonam Regis, qui homagium fecit alteri, maieſtatem illibatam non retinere. Idque ob ſequentes rationes: I. quia etiam Papa, inquit, ſi a Comite; aut Imperator, ſi ab Eccleſia feudum accipiat, inferior vterque habetur Domino, a quo inueſtitur, reſpectu feudi. Comparatur enim Vaſallus clienti, adeoque Domino tenetur exhibere ſummam reuerentiam: cuius reuerentiæ vix vllum maius eſt argumentum, quam quod ex ritu inueſtituræ deſumitur. Quid enim abiectius & humilius, quam ſuppliciter Dominum adire, exutis armis, deligatis calcaribus, nudato capite, aliquando etiam genibus flexis, ſupplices manus in eius, aut qui Procurator pro eo conſtitutus eſt, in-

inſerere, vexillumque aut gladium accipere? Eum igitur, qui tam humili obſequio alterius Imperio ſe ſubiicere cogitur, an Principem abſolutum vel Regem liberum vocabimus? Certe Eduardus III. Rex Angliæ, & Carolus V. Imperator, quod indignum maieſtate ſua exiſtimarent, alterius beneficio quasdam prouincias obtinere, in tractatibus Pacis, cũ Regibus Galliæ ſuſceptis, nihil prius habuere, quam vt ille prouincias, quas in Gallia fiduciario nomine obtinebat, hic Flandriam & Arteſiam ſupremo deinceps Dominio posſideret. II. Quia Vaſallus ordinarie ſeruitia Domino exhibere, (nam id de natura feudorum maiorum eſt, nec niſi in minoribus, de quibus hoc loco quæſtio non eſt, ex pacto ſeruitia remitti poſſunt) ac fidelitatem vbique præſtare tenetur. Id vero Regis & Monarchæ naturæ repugnat. Nullum enim eſt ſeruitiorum genus, quod ſubiectionem non habeat coniunctam. III. Quia Vaſallus, ſi ſeruitia detrectauerit, accuſari poteſt, & ſi iudicium recuſauerit, feudo exuitur. Iam vero maieſtati nihil tam eſt contrarium, quam accuſari, aut in alieno foro cauſſam dicere. Quare tandem concludit, hinc neceſſario inferri, §. 10.
eum, qui feudum recognoſcit ab alio, maieſtatem non habere: multo minus regna abſoluta eſſe, de quibus, qui inueſtitus eſt, alteri iurat fidelitatem; ad quam rem probandam adducta argumenta eo plus habeant roboris, quo minus locum habet diſtinctio diuerſorum reſpectuum. Regem enim heic iurare fidelitatem, non quatenus Dux vel Comes, ſed qnatenus Rex: nec de aliquibus terris, ſed de toto regno. Talium itaque Regum non eſſe meliorem conditionem, quam Principum Germaniæ: niſi quod hi, præterquam quod ſint Vaſalli, etiam ſint ſubditi. Addit tamen, diligenter hoc loco diſtinguendum §. 11.
eſſe inter regna, quæ ſunt alteri vectigalia, cenſualia, vel tributaria, & inter ea, quæ ſunt feudataria. Huius enim

E di-

diſtinctionis ignorantia ſiue potius diſsimulatione factum eſſe, vt Romani Pontifices fere omnia regna ſibi fecerint feudataria, cenſum aliquem aut penſionem Eccleſiæ ſtipulatam, pro ſigno ſubiectionis, aut pro canone feudali interpretantes. Hæc Arniſæus, ſingula argumenta aſſertionesque prolixe diducens, variisque auctoritatibus & exemplis confirmans. Idem aſſerit, feuda nihil aliud eſſe, quam ſpeciem dominatus. Dominum enim in Vaſallum verum perfectumque dominatum obtinere. Quod ſi admittimus, pariter libertas & maieſtas Vaſallo deneganda eſt. Iam ſi imperanti maieſtas denegatur, & Imperio ipſi ſiue Principatui, cui is præeſt, denegabitur. Nam maieſtas Imperiorum, ut ſupra diximus, immediate & radicaliter ipſis Imperantibus ineſt. Sed & alia ſunt, quæ maieſtatem Principatibus illis, qui feudi nomine ab aliis accipiuntur, abiudicare videntur. Nam ſi penes Dominum remanet feudi dominium directum & ſupremum, vti communiter docent Feudiſtæ; vtique ditiones eiusmodi non erunt liberæ & ſui iuris. Deinde cum ius imperandi, ſiue ſumma poteſtas, exſtincta familia eius, cui feudum conceſſum eſt, aut etiam Vaſallo aduerſus Dominum delinquente, non ad populum, cui Vaſallus præfuit, ſed ad Principem, qui conceſſerat, redeat: idcirco videtur Principatus feudatarius ad illud quoq; Imperium, a cuius Principe in feudum conceſſus eſt, tanquam pars eius pertinere.

L.II.Rel. Pol. c.III. S.V.n.13. ſeqq.

c.III. §.IIX.

§. XXVII.

Hæc fere ſunt, quæ in vtramque partem ſpecioſe & ſubtiliter diſputari poſſunt. Nos in re intricata & a nemine definita, a paucis tentata, ſaluo aliorum iudicio ita exiſtimamus: I. non deſinit eſſe Imperium liberum & ſui iuris, cuius Rex aut Princeps quasdam ditiones ad Im-

perium

perium illud propriè non pertinentes fiduciario iure, tanquam Vaſallus ab alio Principe Imperiove obtinet, modo reliquas, plures pauciores ve ſupremi Imperii iure poſſideat. Id enim ſicuti ſtatum illius Imperii ſiue ciuitatis non ſpectat, (nam illa nec ad ſeruitia Domino præſtanda obligatur, nec cum feudis illis coaleſcit) ita libertati eius nihil derogat. Quis enim dixerit, Regna Hiſpaniæ, Daniæ, Suediæ & olim Britannicum, cum Normanniam & Aquitaniam feudi iure obtineret a Gallo, aut etiam Ducatum Sleſuicenſem, quantum eius ad Ducem Holſatiæ Gottorfienſem pertinet, & Ducatum Boruſſiæ, idcirco non eſſe liberos ſtatus & Imperia ſui iuris, quia illorum reges ac Principes quædam feuda ab Imperio Germanico, Regibusque Galliæ & Poloniæ fiduciario iure tenuerunt, tenentve. II. Nec maieſtas deneganda eſt eiusmodi regibus & Principibus, qui etſi quasdam ditiones vt Vaſalli poſſident, reliquas tamen ſupremi Imperii iure tenent, nec in iis ſuperiorem agnoſcunt. Nam Vaſalli non ſunt, niſi reſpectu feudorum, quorum nomine fidelitatem præſtant. Neque enim verum eſt, quod ait, Arniſæus eos non vt Comites, Marchiones &c. ſed abſolute ſecundum perſonam, vitam & omnia bona ſua Domino obligari. Præterea alioquin Hiſpaniæ & reliquis, quos diximus, Regibus ac Principibus maieſtas deneganda eſſet, quod ſine inſigni ipſorum iniuria nemo fecerit. Nec officere debet I. quod vaſalli accuſari, iudicari ac condemnari poſſunt: nam id naturæ maieſtatis non ſimpliciter aduerſatur, ſi ex pacto fiat, vt apparet ex fœderibus, quorum commune quoddam tribunal eſt, itemque ex iudiciis compromiſſoriis &c. Immo Princeps a ſuis quoque ſubditis aliquando accuſari & iudicari poteſt, ſed non vt ſupremus Princeps, verum alio reſpectu. Nec II. quod alterius ſeruitio tenentur. *l.c.n. 17.*

Nam(1.) non tenentur vt Principes aut Reges, ſed vt Domini ditionum, quas vt Vaſalli obtinent. (2.) Seruitia illa non inferunt ſubiectionem; non magis quam illa, quæ in fœdere inæquali, aut clientelari fœderatus inferior præſtare tenetur ſuperiori. Neq; (3) quod Vaſallus Ligius tenetur fidem præſtare Domino contra omnes homines: nam fides illa nihil amplius, quam opem & defenſionem poſcit: cui etiam in fœdere æquali locus eſt, ſalua ſancientium maieſtate. Quemadmodum & in iisdem interdum promitti ſolet auxilium contra omnes. Denique id quoque non alio reſpectu, quam vt Vaſalli præſtant. Neque (4.) quod cogitur ſua bona poteſtati & iurisdictioni Domini ſubiicere: nam id falsum eſt; & ſi maxime verum eſſet, non eſſet tamen extendendum ad ea bona, quæ quis ſupremi Imperii iure poſſidet.

§. XXIIX.

Quod vero illos Principes attinet, qui cunctas ditiones ſuas fiduciario aut beneficiario iure, & tanquam veri proprieque dicti Vaſalli obtinent; (nam Vaſalli, fidelis, Ligii, & ſimiles voces aliquando nihil amplius, quã fœderatos
l. c. n. 9. notare, docet Arniſæus: neque negari poteſt, tales aliquando haberi aut dici, qui tantum in clientela aut fide ſunt aliorum, aut certam pecuniæ ſummam pendunt) horum alii Vaſalli tantum, alii ſimul ſubditi ac Imperii eius, a quo, aut eius Principe, feudum acceperunt, vera membra ſunt.
n. 10. Quod diſcrimen ipſe Arniſæus admittit. De poſteriori genere manifeſtum eſt, neque ipſis, neque eorum ditionibus plenam libertatem poſſe tribui; cum illi alterius Principis ſubditi, hæ vero alterius Imperii membra ſint, quorum neutrum maieſtas admittit: ſed prioris generis Principibus non videtur deneganda maieſtas & libertas ciuilis: nam *iuris certiſſimi eſt, vaſallagium non facere ſubditum*, ait

Mar-

MartinusMagerus, *in de Advocatia armata*, idque expreſſo textu iuris, & Doctorũ auctoritatibus confirmat. Præterea Vaſallus, vt Vaſallus, neque crimen maieſtatis in Dominum committere, neq; puniri poteſt, niſi ademtione feudi: cũ nõ ratione perſonæ, ſed ratione feudi obligetur Domino, vt inter alios docet Limnæus. Itaq; aliud eſt, Vaſallũ eſſe, aliud ſubditum: nec Domino feudi competit ius ſuperioritatis in vaſallum. Iam qui ſubditus non eſt, in quem nemo ius ſuperioritatis habet, quique ratione perſonæ nemini obligatur, nec vt ſubditus puniri poteſt, is vtiq; liber & ſui iuris; & ſi accedat liberrima res & perſonas ſibi ſubiectas pro arbitrio tractandi facultas, ac in eas poteſtas, (quæ omnino vaſallis eiusmodi competit) maieſtatem habere cenſetur. Neque obſtant, quæ obiicit Arniſæus. Non I. *quod etiam Papa, aut Cæſar inferior habetur Domino, a quo feudum accipit*. Neque enim recte colliges: inferior eſt altero, ergo ſubiectus ei. Nam & in fœdere inæquali altera pars inferior & habetur & dicitur. Nec II. *quod vaſallus clienti comparatur*. Id enim ſententiæ noſtræ tantum abeſt, vt noceat, vt eam iuuet potius. Nam vt clienti libertas ſua ſarta ac tecta permanebat: ita & Principi Vaſallo, qui clienti ſimilis. Nec III. quod *ſummam reuerentiam Domino exhibere tenetur*. Nam id quoque clientes faciebant. Immo hodieque faciunt Imperatori ciuitates & Principes quidam ſine controuerſia liberi. Neque IV. quod *ſuppliciter petit & accipit inueſtituram*: nam id non infert ſubiectionem, ſed cultum ac reuerentiam. Idemque faciunt aliquando bello fracti, ſalua libertate ſua; neque inde colligi debet, eum Imperio alterius humili obſequio ſe ſubiicere, niſi *obſequii* & *Imperii*, vocabulis abuti velis. Quanquam id interim non negamus, recte hinc colligi, minorem eſſe vaſallorum dignitatem, ſplendorem, potentiam. Neque V.

c. VI. n. 689.

lib. IV. iur. pub. c. VII. n. 44.

Dn. Struu. ſynt. iur. feud. c. VIII aph. 6. & c. XI. aph. 2.

V. quod *obligatur ad ſeruitium & fidelitatem Domino præſtandam:* Nam fidelitas illa & ſeruitia in ſe nihil amplius, quam opem & defenſionem includit, vt apparet ex variis iuramentorum in inueſtitura præſtandorum formulis, quarum aliquas exhibet Limnæus. Etſi interim vt diuerſa eſt Vaſallorum obligatio, ita in formulis quoque inueſtituræ interdum amplius aliquid additur. Neque VI. quod *ob neglecta ſeruitia poteſt accuſari & feudo exui;* Nec enim ſequitur: Forum ſortitur ratione bonorum; Ergo eſt ſubditus. Hæc enim diuerſiſſima ſunt.

l. c. n. 37. *Reinck' de R. S. & E. l. I. cl. IV. c. 4. n 54. & 57.*

§. XXIX.

Sed nec illud maieſtati Vaſallorum officit, quod *in feudis & fiduciaria poſſeſſione veſtigia dominatus reperiri* cum Bodino & Heigio affirmat Arniſæus: nam I. ea aſſertio multam limitationem requirit. II. Id tantum fit ratione rei ipſius in feudum conceſſæ, quippe cujus dominium directum apud dominum remanet: ſicuti in quibusdam dominatibus Barbaricis nihil proprii poſſident ſubditi, ſed omnia immobilia bona ſunt Imperantium. Denique III. id tantummodo verum eſt de feudis Longobardicis antiquis. Nam vt Arniſæus ipſe fatetur, cultiores Germaniæ, Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Angliæ, & Scotiæ gentes in tantum a dominatus ſeueritate receſſerunt, quantum feuda propius ad naturam allodialium delabi, & Vaſallos plus dignitatis & poteſtatis repetere paſſi ſunt.

II. de rep. diſp. II. lib. 1. q. 1. n. 41. *n. 19.*

§. XXX.

De ipſis vero feudis ſeu principatibus ac dominiis in feudum conceſſis non auſim pronunciare, libera & plane ſui iuris eſſe. Non tam quod exſtincta familia Vaſalli ad Dominum redeunt: nam poſſunt exſtincta familia regnatrice etiam illi principatus ad aliud Imperium aliumque Principem redire, quæ cum ſupremo dominio & ſine omni

mni nexu feudali tenentur, adeoque haud dubie peculiare Imperium conſtituunt. Exemplo eſt Ducatus Boruſſiæ, qui vi Pacificationis, inter regem coronamque Poloniæ *art. V.* & Electorem Brandeburgicum, initæ ea conditione Electori cum ſupremo illius dominio conceſſus, & ab omni vaſallagio liberatus eſt, vt, deficientibus maſculis illius ſucceſſoribus, ad regnum Poloniæ dominium eius plenarium redeat. Nec II. ex eo, quod delinquente vaſallo, aut ſine conſenſu Domini id alienante feudum adDominum reuertitur. Nam id nihil amplius, quam pactum infert. Poſſuntq; etiam ſupremi Principes ita inter ſe paciſci, vt pacificatione, donatione aut alia ratione conceſſæ alteri ab altero ditiones, ſi non obſeruentur certæ conditiones, ad priorem Dominum redeant, belloque repeti posſint. Sed III. ob ſequentes potisſimum rationes I. quia dominium feudi directum & ſupremum, & posſesſio ſaltem ciuilis, penes Dominũ relinquitur, vt inter alios docent Dn. Struuius *a*) & Magerus *b*) niſi dicamus conceſſione eiusmodi *a) d. l. c. XI. aph.* Principatuum concedi etiam dominium directum: quod *b) d. op. cap.* de feudis Regalibus Principũ Imperii Germanici affirmant *XV. n. 54. ſeqq.* Beſoldus *c*) & Hilliger ad Donellum *d*) quod tamen, vt feudalis iuris principiis aduerſum, reiicit Paurmeiſt. apud Limnæum *e*) Iam liber & ſui iuris eſſe non poteſt Principatus, *c) I. Polit. VIII. n. 7.* qui ſub alterius ſupremo dominio eſt. II. quia pasſim *d) l. 17. c. 9. lit. L.* Domini feudorum regalium, etiam eorum, quorum vaſalli *e) iur. pub. IIX. n. 9.* non ſunt ſimul ſubditi, vocantur domini ſupremi. Exempla de Scotiæ regibus, cum id regnum feudum Anglicanum eſſet, e tabulis publicis & Scriptoribus illorum temporum ſuppeditabit Arniſæus *f*) Hoc autem pariter naturæ maieſtatis & libertati ciuili repugnat. III. quia vaſallo non licet alienare, vendere, donare, oppignorare, permutare aut teſtamento relinquere alteri extraneo feudum *f) I. de iur. maj. c. V.*

ſine

ſine conſenſu Domini, vt Limnæus *a)* & *b)* Struuius aliique docent. Id quod rurſus aduerſatur ſummæ poteſtati. IV. Quia ſubd ti vaſalli habentur etiam quodammodo ſubditi Domini. vid. Magerus. *c)* Subditus autem vnius Imperii non poteſt eſſe ſubditus alterius. V. Quia Domino competit iuriſdictio in vaſallum, ratione feudi, adeoque & in feudum ipſum. Liber autem Principatus eſſe nequit, qui ſub alterius iuriſdictione eſt. VI. Quia paſſim Principatus feudales ab H:ſtoricis, Politicis, ICtis, & in tabulis, inſtrumentisque publicis, numerantur inter partes ac membra eorum Imperiorum, quorum ſunt feuda. Exempla paſſim ſuppeditabit egregium opus Conringii *de finibus Imperii*. Peculiare autem Imperium eſſe nequit, quod alterius pars, aut membrum eſt. Nec obſtat, quod Principes eiusmodi vaſalli maieſtatem habent, vt ſupra diximus, adeoque etiam Principatus, cui præſunt, maieſtatem habere videatur. Fieri enim poteſt, vt & ſupremi ac liberrimi Principes non tantum ſint aliorum vaſalli, ſed & ſubditi reſpectu ditionum, quas in aliis Imperiis poſſident.

a) IV. iur. pub. IIX, n. 131. 155.
b) d. l. c. XIII. per tot.
c) d l. c. VI. n. 21.

§. XXXI.

Facile hinc apparet, quouſque verum ſit, quod ait Grotius, *nexum feudalem nihil aliud eſſe, quam ſpeciem fœderis inæqualis*; nempe de vaſallis ipſis, ſi tantummodo perſonam eorum & obligationem perſonalem, qua Domino adſtricti ſunt, conſideres, admitti poteſt. Nam ſicut in fœdere inæquali, mutua obligatione fœderatus inferior tenetur ſuperiorem comiter reuereri, fidemque & opem ei exhibere; ſuperior autem inferiorem defendere: ſic in contractu feudali, vt vaſallus ad ſervitia auxiliaque ac fidem Domino præſtandam: ita Dominus ad defenſionem vaſalli obligatur, adeo quidem, vt aliquando id expreſ-

ſe in

ſe in formulis inueſtituræ caueatur. De quo l. c. Magerus. c. VI. n. 7. & ſeqq. & c. XV. n. 43.
Vnde & *clientulorum* appellatio vaſallis interdum tributa legitur, vt docet idem Magerus: ſed de ipſis feudis id concedi nequit. Nam in fœdere inæquali & clientelari parti n. 46.
inferiori plenaria libertas, plenumque Dominium & prædiorum ius ac Dominium relinquitur; nec Protector vlla ratione pro Domino ab ea agnoſcitur: at in feudis tantummodo vſusfructus & Dominium vtile vaſallo conceditur; directum autem & ſupremum, vt ſuperius diximus, penes Dominium manet. Quare Principes quidem, qui meri vaſalli ſunt, pro liberis & ſupremis Principibus haberi posſunt; Principatus autem ipſorum feudales pro peculiaribus Imperiis ac Rebuspub. ſi accurate rem putamus, haberi vix merentur. Interim tamen Notitia noſtra eos, vt diſtincta & ſeparata ab aliis Imperia aut ſaltem eorum appendices, quorum feuda ſunt, commodius conſiderabit: tum quod eorum Principes aut Magiſtratus omnia libere & pro arbitrio agunt ac adminiſtrant; tum quod diuerſorum Principum aut Imperiorum feuda, ſi ab uno teneantur, communi conſilio gubernantur, communiaque arcana ac rationem ſtatus & alia in Imperiis orbis præcipue conſideranda, habent; adeoque vix aliter, quam vnum Imperium, conſiderari posſunt.

§. XXXII.

Antequam finiamus hoc caput, duo adhuc monenda ſunt; quorum prius eſt: non officere libertati ciuili ac ſupremo iuri ciuitatum, ſi ab altero Principe aut populo ditiones illius aut omnes aut aliquæ, ſeu conſentientibus illis, ſeu inuitis, militari præſidio teneantur. Sic cum anno huius ſæculi XLI. Honoratus Grimaldus, Princeps Moneconis, Mantoni & Rupebrunæ in Liguria, excuſſo iugo Hiſpanico, in protectionem regis Galliæ conceſsiſſet, præ-

ſidiumque Gallicum in vrbem Monaconis recepiſſet *Art.* VII. transactionis, inter dictum Principem & Regem Galliæ anno eodem, die VIII. Iulii, Peronæ initæ, cautum eſt, vt Maieſtas Chriſtianiſſima relinquat Principem in ſua libertate, & ſupremo iure Monaconis, Mantoni & Rupebrunæ, adeo vt præſidium illud regium, aut vllus alius ipſum ne turbet, nec ſeſe ingerat vnquam in ea, quæ ſpectant ſupremum ius terræ & maris: minus etiam, quæ gubernationis rationem, iuſtitiam populis ipſius adminiſtrandam, & adminiſtrationem bonorum eius ſpectant: ſed ſolummodo curet præſidium illud, vt locum tueatur. Et *art.* XI. vt Rex conſeruet Principem, & omnes hereditarios illius ſucceſſores in eodem iure ſupremo & libertate, in qua inuenientur, inque omnibus priuilegiis ſuis, iuribusque maris & terræ, & in quaque alia iurisdictione eius, & eo pertinentibus, quocunque demum modo. Et cum Belgæ fœderati ſuperiori bello Hiſpano-Belgico Rhenobergæ, Veſaliæ & aliis locis, ad Imperium Romano Germanicum pertinentibus, præſidia militaria impoſuiſſent, variaque in eiuſdem Imperii fundo caſtella, atque alia opera militaria exſtrui curaſſent; conquerentibus Cæſare, Electore Coloniensi, Duce Cliuiæ, aliisque Imperii Principibus, ſibi, ad quos bellum Hiſpanicum minime pertineat, agroque ſuo iniuſte vim hoſtilem illatam, vrbesque ad ſe pertinentes violenta manu occupatas, ac arces in ſuo fundo exſtructas, Belgæ proteſtati ſunt, ſe non inuaſiſſe dominium rei alienæ, ſed præſidiis ſuis ſaltem eorum vrbes arcesque, quas ipſi proprietarii, vel impotentes, vel negligenter agentes, & ſub titulo ac larua neutralitatis inſidias clanculum fœderatis meditantes, non tutati ſint, firmaſſe, ne præſentiſſimo periculo Hiſpanus easdem occuparet: manentibus interim cuique Domino integris omnibus & imperio

perio

perio, & priuilegio & iuriſdictione: itemque eorum amicitiam ſe minimum læſiſſe, vbi eorum ciuitates non iuriſdictionis poſſeſſione, ſed hoſtium conſilii infringendi animo Hiſpanis eripuerint. Arauſionenſis quoque Principatus, etſi proximis annis a Gallo occupatus, libertatem tamen ſuam retinere exiſtimandus eſt, quam diu Rex Galliæ eum ad Principem Wilhelmum ſpectare, ac in ſuam tutelam peruenienti reſtituendum eſſe profitetur.

§. XXXIII.

Alterum eſt, non derogare maieſtati libertatique Principis aut populi, ſi leges alterius Principis populive vltro & ſponte in ſuis ditionibus admittat, ratasque habeat. De quo videndus Richart. Zucheus. Itaque non derogat libertati Anglorum & Proteſtantium Imperii Germanici ſtatuum, quod in quibusdam negotiis ius Canonicum; nec aliis populis Imperiisque, quod ius ciuile Romanorum ſequuntur: neq; ſi populus aliquis liber aut ſocius Romanorum unam pluresve leges Romanas approbauerat ac receperat; (quod qui facerent populi, *fundi fieri* dicebantur: de quibus exſtant trium doctiſſimorum Gallorum, *Nicolai Rigaltii, Iſmaëlis Bullialdi & Henrici Valeſii*, Diſſertationes Diuione excuſæ) ita legum Romanarum obſeruationi ſe adſtrinxere, vt αὐτονομίᾳ iuribusque propriis vti amplius non poſſent, aut nouas leges inductis Romanis ſcribere, vt voluit Bullialdus: ſed vt recte docent *Rigaltius* & *Valeſius*, prorſus liberi & ſui iuris manebant, nulla lege populi Romani adſtricti, niſi quam ipſi ſponte adſciuiſſent, voluiſſentque.

Iur. Fec. p. II ſect. 2. quæſt. 5.

Digitized by Google

CAPVT QVARTVM.

Fontes Notitiæ huius. Experientia propria, eaque duplex, & Relatio aliorum: quomodo differant? vſus & peregrinatio apta huic rei; ſed neutrum ſufficit. Vtilis tamen erit peregrinatio, ſi animo bene præparato ſuſcipiatur, & conſuetudo peritorum hominum accedat. Idem de vſu dicendum. Relatio itidem duplicis generis. Aut enim ex ſcriptis, aut e conuerſatione & ſimilibus comparatur. Omnium orbis Imperiorum deſcriptionem ex profeſſo nemo dedit. Micralii, Hornii, Sanſouini & Auctoris Archontologiæ Coſmicæ opera laudata. De variis Rebuspublicis ſcripta, cum veterum, vt Ariſtotelis, Heraclidis Pontici, Xenophontis, Pauſaniæ; tum recentiorum, qui vel antiquiores deſcripſere Reſpub. vel hodiernas; ſiue iunctim, ſiue ſeorſim. Singulorum prærogatiuæ ac næui indicati.

§. I.

c. II. § IIX. FOntes Notitiæ Imperiorum ſupra duos conſtituimus: vnum, *Experientiam propriam eamque duplicem; vſum ſcilicet & peregrinationem: alterum, Relationem aliorum.* Inter quos tamen hoc diſcriminis intercedit, quod prior locum non habet, niſi in hodiernis Imperiis; alter omnis æui Imperiis, ſi non perfecte, ſaltē aliquatenus co-

Digitized by Google

cognoſcendis aptus eſt. Sed & in eo differunt,quod prior paucis tantũ imperiis cognoſcẽdis,alter vniuerſis,aut prope vniuerſis adhiberi poteſt.Nempe,in vtroq; experientiæ genere multa accurate pernoſci poſſe,negari quidem non poteſt.Nã qui rebus ipſis & arcanis ac interioribus cõſiliis, tractatibus, relationibus interſunt,ſi induſtriam & iudiciũ adhibeant,fieri non poteſt,quin abdita quæque& recondita ex ipſa negotiorum tractatione , e tabulis & archiuis Reipub. e conſiliorum viſceribus, penitisſimoque reſpectu momentorum ſtatus eruant. Peregrinatione quoque, præſertim ſi recte inſtituatur, longe plurima, quæ ad mores gentium, ſtatumque & regimen Imperiorum pertinent, & magis adhuc, quæ ad prouinciarum ſitum,qualitatem, aliaque ſpectant, certius multo,quam ex relatione domi accepta, aut e vulgaribus libellis hauriri, tanto euidentius eſt, quanto melius certiusque cognoſcimus, quæ ipſi videmus atque audimus, quam quæ aliena fide nituntur,Nihilo tamen ſecius vtrique generi ſua incommoda, magnaque imperfectio adhæret. Ob quam fieri neceſſe eſt, vt non ſufficiant perfectæ & accuratæ, qualem nos deſcribimus,Imperiorum cognitioni. Vſus enim,ſeu tractatio ipſa negotiorum, niſi aliis præſidiis inſtructa ſit, aut in diuinum planeque extraordinarium ingenium incidat, multa non ſatis penetrat, quippe a ſe ſuisque expeditionibus aliena: deinde & hoc incommodi habet, quod ferme vnius Reipub. finibus continetur; eius ſcilicet,cui operam ſuam nauat: cuius tamen ipſius non æque cuncta perſpicit, cum non omnia ad curam & officium eius pertineant, aut eodem tempore excutiantur. Ceterarum notitia fere arcetur, niſi forte vnius & alterius, quibus cum ſuæ Reipub. belli pacisque negotia intercedunt. Peregrinatione autem,etſi pluſcula Imperia perluſtrari posſunt,

 at-

attamen & multa omitti neceſſe eſt, ob orbis eiusque partium amplitudinem, ſi quidem aliquis diutius vnicuique immorari velit, quod ad interiora cuiusque Imperii penetraturo plane neceſſarium eſt: & plerumque externa ſolummodo & in ſenſus incurrentia annotantur. Interior autem Reipub. contextus & arcana, cæteraque accuratioris cognitionis non niſi leviter, ſi tamen, inſpiciuntur. Adde, quod plerique nimis iuuenes, nec ſatis præparato ad ſolidiorem harum rerum cognitionem pectore peregrinationes ſuſcipiant. Vt taceam alia incommoda, quæ pleroſque peregrinatores ſolida Reip. quam perluſtrant, notitia prohibent.

§. II.

Multum tamen in accuratiori Imperiorum cognitione proficiet, qui non ante peregrinationem ſuſceperit, quam & neceſſaria ſcientia, & moribus inſuper ac erudita virtute inſtructus fuerit, neque ignorarit, quid vbique cognitu pulchrum, quid æmulatu decorum, quos in vſus, quam per partem valeat. Nam in vniuerſum fieri vix poteſt, vt ex peregrinatione earum ſibi quisquam rerum penitiorem cognitionem promittat, quas antea prorſus ignorauerat, aut vix obiter cogitauerat. Et multum temporis ſuæ peregrinationi decernat neceſſe eſt, qui omne profectus ſui rudimentum in loca peregrina differet. *Scilicet tu mibi* (verba ſunt Clariſſimi Bœcleri) *ſtatum Reipub. tu mores gentium iudicabis, tu arcanas conſiliorum regulas penetrabis, niſi attuleris animum talis ſtudii tractatu non vulgari ſubactum atque præparatum. Sicut enim res exiguas viſu non diſcreueris, niſi adbibito microſcopio aliquo, figura, color, omnisque ſpecies ex illa ſubtilitatis caligine in plenam conſpectus bumani lucem educatur. Ita ſubtiliſſimum Reip. contextum, & celantia ſuos nexus vincula & inuoluta tot artiſi-*

Diſſert. de peregrinat. Germanici §. 10. ſeqq.

tificioſis tenebris myſteria, qui citra facem Politici intellectus introſpici poſſe autumat, is eadem opera ſine pennis volare inſtituat, opinor. Iam alienos mores arbitrari, qui ſuos non compoſuit, qui vitæ totius morem ignorat, non video equidem, quomodo poſsit. Veniat ad elegantes,& politiori conſuetudine ſuetos homines, peregrinator incultus, abnormis ad exemplum Gnathonis vel Thraſonis vel Æſchini in comœdia factus: periiſſe ſibi omnem virtutis exercendæ, omnem humani moris vſurpandi occaſionem dolebunt, donec inauſpicatos eiusmodi aduentores amoliti fuerint.

§. III.

Quod de peregrinatione diximus, id quodammodo & de vſu dictum eſt. Nam & hic parum iuuabit Notitiæ huius ſtudioſum, niſi pectore bene præparato acceſſerit. Sed de hoc & quæ cum in peregrinatione, tum in ipſa rerum adminiſtratione verſanti, ſi in Notitia hac ſolide proficere cupiat, præcipue obſeruanda ſint, infra ſuo loco dicemus. Id interim ex ſuperioribus liquet, præter experientiam propriam relatione aliorum opus eſſe. Ea vero & ipſa duplex eſt. Nam aut e libris editis ineditisve, aut ex conuerſatione, colloquiis, narrationibus, epiſtolis prudentum, peritorumque hominum, nótitia variorum Imperiorum comparatur. De vtrisque monemus, tantum cuiusque relationi habendum eſſe fidei, quantum ciuilium rerum peritia, candore, induſtria & iudicio valere deprehenditur.

§. IV.

Inter libros haud dubie fundamenti loco ſubſterni, eoque ante reliquos nominari debent, qui de Rebuspub. ſeu Imperiis orbis ex profesſo agunt. Atque vtinam esſent, qui tam vetera, quam hodierna, aut ſaltim illuſtriora

ſtriora ex vtriſque, eo, quem Notitia noſtra requirit, modo deſcripſerint! nunc nemo, quod ſciam, hoc labore defunctus eſt. Nam etſi de illuſtrioribus plerisque egit Ioan. Micrælius *a)* vix tamen amplius, quam Catalogos & Genealogias Imperantium, mutationes familiarum, & pauca quædam alia, ad hiſtoriam Imperiorum pertinentia, attigit. Georgius quoque Hornius, *b)* etſi pleroſq; Imperiorum ortus, mutationes & euerſiones, per certas periodos, breuiter enarrauit, reliqua tamen, & quæ ſunt præcipua huius notitiæ, plane præteriit. Franciſcus autem Sanſouinus, quamuis operi ſuo, mox nominando, tam antiquas, quam hodiernas Respub. præſcripſit, nullas tamen ex antiquis præter Romanam, Athenienſem & Spartanam expoſuit. Archontologia deniq; Coſmica, poſtremæ editionis, complectitur quidē Archontologiam ſpecialem præteritam; ſed pleraque Imperia vetera nude recenſet, addito numero Regum, ac temporibus ortus & euerſionis: reliquorum vix amplius, quam Reges eorumque geſta, enumerat.

a) in ſyntagmate hiſtoriarum ciuilium.

b) in introductione ad hiſtoriam vniuerſalem.

§. V.

Quod veteres ſeorſim attinet, Ariſtoteles peculiari opere, quod *Politias* inſcripſit, iuxta Diogenem Laertium, CL iuxta alios, CCL aut CCLV Respublicas, earumque mores, inſtituta ac diſciplinam deſcripſit; de quo opere plura Petrus Ioan. Nunneſius *a)* Conringius *b)* Huius operis fragmenta, poſt alios, e variis ſcriptoribus antiquis collegit Iſaacus Caſaubonus, leguntur que paſſim in nuperis editionibus Politicis Ariſt. ſubnexa. Sed quoniam pleraque e Grammaticis ſcriptoribus deſumta ſunt, parum politici continent. Alia quædam, prætermiſſa Caſaubono, indicant Voſſius *c)* de Hiſtoricis Græcis, & Conringius. *d)*

a) in notis ad vit. Ariſt. n. 44.

b) Introd in Pol Ariſt. p. 371.

c) lib. 4. c. IX.

d) l. c.

§. VI.

Sub idem tempus Heraclides Ponticus, Speuſippi primum

primum & Pythagoricorum, poſt Ariſtotelis auditor, librum περὶ πολιτειῶν *ſiue de Rebuspublicis* ſcripſit, quo varias Græcorum Republicas, earumque mutationes, regimen & mores expoſuit. Huius excerpta pariter ſuperſunt, Græce Latineque, cum ſeorſim a Nicolao Cragio, tum ab Heinſio aliisque cum *Politicis Ariſtotelis* edita. Ante vtrumque eodem inſtituto *Reſpublicas Athenienſium & Lacedæmoniorum* deſcripſit Xenophon duobus libellis, qui etiam nunc inter opera eius leguntur, ac ad ciuilem prudentiam, ſtatumque Imperiorum cognoſcendum multo aptiores ſunt fragmentis modo recenſitis.

§. VII.

Præter hos ſcriptores non memini, quenquam Veterum in iſto genere ſupereſſe. Nam Pauſanias & Strabo etſi multas Reſpub. deſcripſerunt, magnamque laudem merentur; potius tamen ad Geographos pertinent. At Neotericorum haud pauca huius argumenti exſtant. Quorum præcipui ſunt Vbbo Emmius *p. III. veteris Græciæ illuſtratæ*; Ant. Thyſius *in Memorabilibus celebriorum veterum Rerumpublic.* Barthol. Keckermannus *in Diſputationibus IV. Politicis ſpecialibus, de Principatu Perſarum, de LX. Rebuſp. priſcis, præſertim Græcis, de Repub. Athenienſi, de Rep. Spartanorum*; Barnabas Briſſonius in libris *de regio Perſarum Principatu*; Guilielmus Poſtellus, & Carolus Sigonius *de Rep. Athenenienſi.* Nicolaus Cragius *de Repub. Lacedæmoniorum*, Bonauentura Cornelius Bertramus, Sebaſtianus Caſtalio, Petrus Cunæus, Hermannus Conringius, Ioachimus Reimarus, & Ioannes Stephanus Menochius *de Repub. Ebræorum: de Romana, Athenienſi & Spartana* egit præclare Sanſouinus *lib. XIII. XVII. & XIIX.* Hendreich *de Rep. Carthaginienſi*; Martinus Schookius *de Repub. Achæorum*; de aliis alii.

ſub fin. tom II. ſyſtematu ſyſtematum p. 1438. & ſeqq.

§. VIII.

Hodiernas Reſpub. alii iunctim, pleraſque aut ſaltem plures; alii ſigillatim deſcripſerunt. Ad priorem claſſem pertinent I. Franciſcus Sanſouinus *in libris XXII. de l.Gouerno & amminiſtratione di diuerſi Regni & Republiche, coſi antiche, come moderne*, hoc eſt, de regimine & adminiſtratione diuerſorum regnorum & Rerumpub. tam antiquarum, quam hodiernarum: opus eruditum & prudens, & cum accurata diligentia, tum raritate ſua commendabile. II. Ioannes Boterus *in parte II* vaſti operis, quod inſcripſit *le Relationi vniuerſali*, id eſt, Relationes vniuerſales, magna & ipſe laude dignus. Huius opus a Guilielmo Bruecys Latine conuerſum, alteriusque Itali relationibus auctum, denuo poliuit auxitque, & ſub titulo *Politiæ Regiæ* edidit Iuſtus Reiffenbergius: ſed cui ſic quoque plurima neceſſaria deſunt. *III. Les Eſtats, Empires & Principautez du Monde &c.* id eſt, ſtatus, Imperia & Principatus Mundi, repræſentati per deſcriptionem regionum, mores incolarum, opes prouinciarum, vires, regimen, religionem & Principes, qui ſingulos ſtatus gubernarunt, vna cum origine omnium religionum, omniumque equitum & ordinum militarium. Alias idem Pariſiis editus ſub titulo: Nouuean theatre du Monde, contenant les Eſtats, Empires, Royaumes & Principautez &c. id eſt, *noui Theatri mundi, continentis ſtatus, Imperia, regna & Principatus &c.* reuiſusque per Claudium Malingreum. Auctor ſe vocat D. T. V. Y. nobilem ordinarium Cameræ Regiæ. Hunc vnum ſcriptorem, ſi paulo plus diligentiæ atque fidei adhibuiſſet, Gabriel Naudæus non dubitaret reliquorum loco habendum eſſe. Eum e Gallico in Latinum ſermonem transtulit & locupletauit, ac ſub titulo *Archontologiæ Coſmicæ*

Prodiit Rothomagi anno 1633. & poſtea Geneuæ.

an. 1643. & 1651.

In Bibliographia Politica.

micæ ante complures annos edidit Ioan. Ludouicus Gothofredus. Sed poſtea a mendis purgauit, neceſſariis acceſſionibus auxit, & ad ſua vſq; tempora continuauit Georgius Chriſtophorus Heinius. IV. Petri d'Auity domini Montis Martini, prolixum opus Gallica lingua conſcriptum, cui titulus: *Le Monde, ou la deſcription generale de ſes quattre parties &c.* id eſt, Orbis, ſeu deſcriptio generalis quattuor eius partium cum omnibus Imperiis, regnis, ſtatibus & Rebusp. ſecundo editum, reuiſum, correctum, & in tomo de Gallia auctum per Franciſcum Ranchinum, Aduocatum Montis Peſſulani. Opus ob eruditionem ac diligentiam ſingularem merito ſuo magni æſtimandum.

Prodiit Pariſiis, anno huius ſeculi XLIII. quinque tomis in fol. quibus poſtea VI. acceſſit.

V. Anonymi ſcriptoris Galli *Theatre de l'Vniuers ou L'Abbregé du monde &c.* id eſt, Theatrũ vniuerſi, ſiue, Breuiarium orbis, continens deſcriptiones particulares omnium ſtatuum, Monarchiarum, Rerumpub. & Principatuum orbis &c.

Pariſiis editum anno 1644.

VI. **Gottfried Schultzens/Kurtze Welt-Beſchreibung**: qui liber etſi valde imperfectus & fere non niſi vulgariſſima continet, tyronibus tamen huius ſtudii velut elementarii & compendii loco eſſe poteſt, vnde ſuperficiariam Imperiorum notitiam hauriant. VII. Lucas a Linda, Boruſſus, in *deſcriptione orbis & omnium eius rerump.* quæ Germanico quoque ſermone, ſed diſſimulato auctoris nomine ſub titulo: *Orbis lumen, & Atlantis iuga tecta retecta*, prodiit; in quo etſi paſſim iudicium & amplioris doctrinæ inſtructum, alicubi & meliorem Gallicæ Italicæque linguæ peritiam iure deſideres; attamen quoniam ex optimis ſcriptoribus pleraque congeſſit, & ad noſtri temporis ſtatum accommodauit, ſimul quædam addidit aliis neglecta, reliquis, qui quidem hactenus in lucem prodierunt, ſaltem Latinis, præferri meretur.

Lugd. Bat. anno 1655. & Iena, 1670 excuſa.

§. IX.

Singulorum Imperiorum hodie florentium deſcriptiones e variis ſcriptoribus collectas, laudabili conſilio circiter quinquaginta voluminibus, ſed forma & mole exiguis, inde ab anno Chriſti cIↄ Iↄc xx in Belgio edidere
L. c Elzeuirii *tam ingenioſa ſerie diſpoſitas* (verba ſunt Naudæi) *vt qui de de antiqua & noua Italia, de regnis Angliæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Suediæ & Daniæ, de Imperio Occidentali, Orientalique, aut de Venetorum, Heluetiorumque Repub. ac reliquarum Gentium adminiſtratione ſcripſerunt, totidem velut enchiridiis & manualibus libris includantur, maxima certe Politicorum hominum vtilitate & doctrinæ ipſius acceſſione haud prorſus futili vel pœnitenda.* Harum præcipuas optimasque in vnum volumen ampliori forma expreſſum collegiſſe dicitur Ioan. de Laet, cui & Hiſpanicam, omnium optimam, debemus. Laudandi præ ceteris ſunt Claudii Seſellii libri *de Repub. Galliæ, regumque officiis*; itemque Laetii opera congeſti libelli *de regno Perſiæ & Magni Mogoris*; tum *Reſp. Veneta* C. Contareni & Donati Iannotii, *Anglicana* Thom. Schmithii, & Tractatus *de Principibus Italiæ*, ex Italica lingua translatus & notis illuſtratus a Thoma Segeto ac *Reſp. Heluetiorum*. Quibus accenſeri merentur Vbertus Folieta *de Rep. Genuenſi*, Philippus Mornæus *de ſtatu regni Galliæ*, Io. Limnæi *Notitia Franciæ*, Vbbonis Emmii *deſcriptio Friſiæ*; Boxhornii, Mart. Schookii, Philippi Zæſii *Reſp. fœderati Belgii*, *Polonia* Simonis Starauolſcii, & Ioan. Theodori Sprengeri. His addi poſſunt libelli quidam, nondum editi, quales ſunt, quos plerique curioſiores ex peregrinatione Italica ſecum deferre ſolent: in quibus omnium Italiæ Principatuum ac Rerumpub. ſtatus, adminiſtratio, potentia, reditus & expenſæ ordinariæ, amicitiæ & inimicitiæ cum aliis, earumq; cauſſæ breuiter recen-

ſentur. Inſcribuntur plerumque *del Gouerno d'Italia*, ſiue de regimine Italiæ, aut ſimilibus titulis. Alios quacunque occaſione oblata Notitiæ noſtræ ſtudioſus indagabit.

§. X.

Pertinent huc etiam I. *variæ Relationes & Diſcurſus de diuerſis orbis Imperiis*, quæ in *Theſauro Politico* Philippi Honorii habentur, quæ magnam partem quoque continentur in eiuſdem tituli libro, ſed minore opera Caſparis Ens, ex Italico in Latinum ſermonem conuerſi; quemadmodum & *variæ diſſertationes* a Nicolao Bello editæ, vix al a re, quam ordine & numero ab Honoriano opere differunt II. Comitis Alfonſi Loschi, Vicentini, *Compendii Hiſtorici*, i. e. compendia Hiſtorica, Italice conſcripta, in quibus ortum, progresſum, ſtatum, ditiones & reditus regni Francici, domus Auſtriacæ, Imperii Ottomannici, regnorum Angliæ & Scotiæ, ac plerorumque Italicorum Principatuum ac Rerumpub. exponit: pollicitus ſe altera editione illius operis additurum ſeriem, & ſtatus Romanorum Pontificum, Imperatorum, Poloniæ, Suediæ, Daniæ, aliarumque remotiorum regionum. III. *Epiſtolæ* aliquot Martini Zeilleri ex iis, quæ duobus voluminibus iunctim ſunt editæ, quarum ſupplementum ſuppeditabunt eiusdem collectanea cap. v. IV. Ex *Diſſertationibus Hiſtorico-Politicis* Georgii Hornii I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. X. XII. XIII. XIV. XVI. XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV. & XXXII. quibus de Rebusp. aliquot Belgicis, regnis Daniæ & Norvvegiæ, regno Hunnorum, Comitatur Naſouiæ, Ducatu Cliuiæ, Imperio Mexicano & rebus Americanis egit. V. Pompeii Caimi liber Italicus, cui titulus: *Parallelo Politico delle Republiche antiche e moderne*, id eſt, Comparatio Politica rerumpub. antiquarum & hodiernarum.

Coloniæ anno huius ſeculi X. excus.

Vlmæ anno 1657. ed.

§. XI.

Atque hi ſunt ferme, quantum nobis conſtat, qui de præcipuis orbis Imperiis ſcripſerunt. Vtinam tam plene, tam accurate, tam vere, tam prudenter, vt eorum lectione notitiæ huius cupidus contentus eſſe queat! Nunc de omnibus nimis quam verum eſt, quod ſe comperiſſe ſcribit Bœclerus, valde ſcilicet fallacem habere cognitionem pleraque, quæ in hoc genere paſſim eduntur. Nam & omitti ſæpe, quæ omitti non debuerunt; nec ſatis diiudicari, quæ diſcretione aut deſignatione exactiori opus habent: adeoque multum debituros Politices ſtudioſos ei, qui ad ſcopum ciuilis prudentiæ idonea ratione, inſtructuque rerumpub. hiſtoriam contexendam ſibi ſumſerit. Et ſane quotusquisque horum ſcriptorum accuratius paullo pertractauit, quæ ad tuendum conſeruandumque cuiusq; Imperii ſtatum pertinent? Quis potentiam & opes ſingulorum ex vero retulit? quotusquisque non admiſit pudendos errores, falſis relationibus deceptus aut ſermonis exotici ſolidiori peritia deſtitutus? Quotusquisque eſt, qui non multa orbis Imperia etiam illuſtria, etiam Europæa, plane præteriit? iam ſi conſideremus, quas quantasque mutationes intra paucos annos in ſtatum ciuitatum ac Imperiorum tempus ac fortuna inferant; quis dubitet, pleraque orbis Imperia nunc multo aliter comparata eſſe, quam vt ab iſtis auctoribus deſcripta ſunt.

in Diſſert. Hiſtoria Schola Principum, c. I. §. 21.

CA-

CAPVT QVINTVM.

Apparatus aliorum varii generis ſcriptorum, unde accuratior Imperiorum cognitio haurienda; quales ſunt Geographi veteres & recentiores, quique totum terrarum orbem, aut inſulas & certas terrarum partes deſcripſerunt; itemque Chorographici, Topographici, itinerum deſcriptores, & alii; in quibus caute verſandum: ſed tamen omnes nondum ſufficiunt. Addendi igitur Hiſtorici cum univerſales, & qui res totius orbis aut Europæ, certo tempore geſtas, tradunt; tum particulares ſingularum gentium; quorum aliqui meliores & πολιτικώτεροι recenſentur, una cum iis, qui ſub fictis nominibus, aut fabularum ſpecie hiſtoriam tradiderunt; itemque varia Acta publica, Relationes, Inſtructiones, Memoriæ; ſcripta narratoria, disquiſitoria, incuſatoria, apologetica; quibus controverſiæ Principum ac Rerumpub. tractantur; ſcriptores, qui de ſtatu Imperiorum præſenti, eorumque arcanis & ratione ſtatus agunt aut disquirunt; Satyrici & his ſimiles. Neque prætermittendæ variæ quæſtiones, obſeruationes, diſſertationes &c. Annotationes & Diſcurſus

ad

ad Hiſtoricos veteres; Epiſtolæ & orationes Politicæ; Syſtemata Politica, & quæ alia huc referri ſolent.

§. I.

HÆc cum ita ſint, facile apparet, ei, qui ſolidiorum Imperiorum cognitionem expetit, aliis prætereà ſubſidiis opus eſſe, per quæ defectus iſti, quos diximus, ſuppleri, falſa emendari, regnorum, Principatuum & Rerumpub. notitia plenius, tutius, purius, ſolidius hauriri queat. Quam rem plurimum iuuabit, ſi ſcriptoribus Rerump. iungantur nonnulla ſcriptorum genera alia, res variorum Imperiorum alia occaſione exponentia. Huc igitur pertinent primo *Geographorum* illi, qui præter regionum, locorumque ſitum, fines, magnitudinem, formam, numerum, diſtantias, & alia propriè ad Geographiam pertinentia, exponunt etiam eorundem qualitatem, prouentus, opes, incolarumque naturam, mores, inſtituta, religionem, ſtudia, artes, tum formam adminiſtrationemque Imperii, potentiam, commercia, dominos, varias mutationes &c. Quales ſunt (I.) ex iis, qui totum terrarum orbem deſcripſerunt, *Veteres* quidem, Strabo, Princeps Geographorum, in *libris XVII. rerum Geographicarum*, ab Iſaaco Caſaubono emendatus & commentariis illuſtratus; Anonymus, natione Syrus aut Comagenus, in *veteri orbis deſcriptione* ſiue *exegeſi totius mundi & Gentium*, Conſtantio & Conſtante imperantibus, ſcripta, & a Iacobo Gothofredo primum cum notis eruditis edita; Pomponius Mela in libris duobus *de ſitu orbis*, poſtremo ab Iſaaco Voſſio emendatus, additis doctisſimis obſeruationibus; Euſtathius in *Commentariis ad Dionyſii Alexandrini Periegeſin*. *Recentiores* autem, Sebaſtian. Münſteri

ſteri *Coſmographia*, *Atlas maior* & *minor* a Gerhardo Mercatore primum conſcriptus, poſt a Iodoco Hondio, Ioan. Ianſonio, Guilielmo Blæuio varie emendatus, auctus & continuatus; noua *Geographia Blæuiana;* & his multo breuiores, Abraham. Ortelii *Theſaurus Geographicus*, Sebaſtian. Schrœteri *Geographia Hiſtorica*, Philippi Cluuerii *Introductio Geographica*, cum *ſupplementis* Ioannis Bunonis: Andreæ Concii *Geographia Mathematico-Hiſtorica;* Lazari Stahlii *Sceleton Geographiæ; Compendium Geographicum* Vltraiectinum; & Abrahami Gölnitzii; Petri Du Vallii *Geographia Gallica*, Pariſiis edita; Ioan. Antonii Magini *pars II Geographiæ.* (II.) Ex iis, qui Inſulas & continentis oras maritimas ſeparatim deſcripſerunt, Benedictus Bordonius, & Thomas Porcacchius, vterque Italus, in peculiaribus opuſculis; itemque Boterus *P. I Relationum vniuerſalium, vol. II.* Claudius Moriſotus, *lib. II orbis maritimi;* Ianſonius *in orbe maritimo ſeu tomo V Atlantis maioris;* Robertus Dudlæus in libris *de arcanis maris.* (III.) Ex iis, qui certas orbis partes, Philippus Brietius in *parallelis Geographiæ veteris & nouæ;* Georgius Fournier in *Notitia orbis Geographica;* Æneæ Syluii, ſiue Pii II Papæ, *deſcriptio Europæ & Aſiæ;* Ioach. Vadiani *Aſia, Africa & Europa;* Cyriaci Lentuli *Europa; Africa* Ioan. Leonis Africani; Ioan. Bapt. Gramayi *Aſia & Africa illuſtrata;* Philipp. Pigafettæ *regnum congo;* Nic. Godignus, *de rebus Abyſſinorum*, Ioa. Conſaluus, Mart. Henningius, *de regno* Chinæ; Nic. Trigautii *Deſcriptio Chinæ*, Athanaſ. Kircheri *Sina illuſtrata; Aſiæ noua Deſcriptio* Scriptoris anonymi, Pariſiis excuſa; *Tabulæ Aſiæ & Africæ*, Gallico ſermone publicatæ a Choulmerio; Hieronym. Benzonii *Nouus Orbis;* Ioan. de Laet Deſcriptio *Indiæ Occidentalis;* Ioan. Ludouici Gothofredi *Hiſtoria Antipodum;* Antonii Herreræ & Petr. de Ceuallos, *Deſcriptio In-*

Digitized by Google

diæ Occidentalis; Pet. Martyr *de rebus Oceanicis & Nouo Orbe*, Leu. Apollonius *de Peruuia &c.* Quo etiam referri poſſunt Paulli Merulæ *Coſmographiæ ſpecialis libri III*, quibus Hiſpania, Gallia & Italia deſcribitur;(cetera enim, quæ deſtinauerat, acerba mors eius intercepit;) opus nullo modo Geographiæ ac Notitiæ noſtræ Studioſis ignorandum, quippe eximie congruens ad regulam Strabonis, quæ iubet, vt ſi fieri nequeat, vt accuratam per omnia huius argumenti cognitionem adipiſcaris, eo quod latius per ciuilis vitæ diſciplinam diffunditur, eatenus tamen prodeat, quatenus capere poteſt, qui Reipub. adminiſtrationi deditus eſt. Nec enim valde diffuſum eſt, & antiqua recentibus copulat, & Geographiam multa Hiſtoriarum luce illuſtrat, & ſtatum deniq; ac regimen cuiusque Imperii ſic ſatis accurate deſcribit. Ceterorum labores ad hos vix comparari poſſunt, niſi cum ſingulas aut paucas regiones ſeorſim deſcripſerunt. Itaque & illi reliquis iungendi, Chorographici ſcilicet & Topographici ſcriptores: quales ſunt (IV.) *e Geographicis*, Mart. Zeilleri *Deſcriptiones Hungariæ, Poloniæ, Suediæ, Daniæ & NorVVegiæ, Belgii*, ac *decem circulorum Imperii Germanici*: Leandri Alberti, Chr. Magini, Nic. Reuſneri, *Deſcriptio Italiæ*, & Iod. Hondii *Italia noua*; Pet. Bertii *Germania*; Ludouici Guicciardini *Deſcriptio Belgii*; Guilielmi Camdeni *Britannia*, & multi alii in ſpeciali Notitia nominandi. *E Topographicis*, (V.) eiusdem Zeilleri *Topographia Galliæ, plerarumq; Germaniæ Prouinciarum*, itemque *Topographia Holſatiæ, & Ducatus Slesuicenſis*; *Deſcriptio Suediæ, Gothiæ & Fenningiæ* Mich. Wexionii; Andr. Burei *Deſcriptio Orbis Arctoi*; Io. II. Pontani *Deſcriptio Daniæ*; Bleſkenii & Ion. Arngrimi *Islandia*; Sim. Starouolſcii & A. Cellarii *Polonia*; Poſſeuini *Moſcouia*; Leu. Hulſii *Tranſiluania, Walachia, Moldauia*; Nic. Henelii *Sileſio-*

Bacl. de peregrin. Germ. p. 15.

ſiographia; Fr. Irenici *Exegeſis Germaniæ*; Greg. Graitſchii *Salæ fluuii & adiacentium regionum deſcriptio*; Pet. Apiani *Deſcriptio Bauariæ*; Ioan. Simleri, Henr. Glareani & Ioan. Bapt. Plandini, *Heluetia*; illius etiam *Valeſia*; Fr. Nigri & Gabriel. Bucelini *Rhætia*; Æg. Tſchudi *Gentium Alpinarum Deſcriptio*; Hub. Thom. Leodius *de populis inferioris Germaniæ*; Pet. Scriuerii *Batauia illuſtrata*; Vb. Emmii *Friſia*, aliique plures in hoc genere, ac paſſim obuii. E Veteribus vix quiſquam heic laudari poteſt, præter Pauſaniam in *Deſcriptione Veteris Græciæ*.

§. II.

Deinde *Itineraria*, ſiue deſcriptiones Itinerum per varias Orbis partes aut regiones ſiue ſuſceptorum peractorumque, ſiue a peregrinaturis ſuſcipiendorum. Nam & horum pleraque, ſaltem prolixiora, præter ſitum naturamque locorum, etiam mores incolarum, ſtatum Reipublicæ ac religionis, potentiam, opes, aliaq; huiusmodi aut exponunt prolixe, aut breuiter attingunt. Sed in his quoq; caute verſandum eſt. Nam, vt bene monet Bœclerus, *l. c. p. 15.* *ingerunt ſe illis libris, fauores & odia, & præconceptæ domi de peregrinis populis rebusque opiniones. Hinc eſt, quod res Germanicas, Galli & Itali, vix vnquam ad liquidum intuentur, aut deſcribunt. Obuerſante eorum oculis, animisque tanquam nube elati illius faſtigii, quo omnem ſeptentrionem contemnunt. Ex aduerſo, Germani, nimia exterarum rerum admiratione, in maius aliquando augent, quorum ſplendor oculos non ſatis præparatos perſtringit. Frequentiſſima labes e feſtinabunda indagatione & fortuitis indigenarum obſeruationibus, in libros peregrinantium immigrat.* Accuratiora tamen & fide digniora ſunt, ex iis, qui varias orbis partes aut regiones deſcripſerunt, inter Veteres vnus Arriani Nicomedienſis *Periplus Ponti Euxini &*

maris Erythræi, a Ioanne Guilielmo Stukio prolixis Commentariis illuſtratus. Nam Scylacis Caryandenſis, ſiue quis alius auctor eſt, *Peripli*, qui ſub eius nomine circumfertur, Antonini, & reliqua Itineraria antiqua, vix quisquam, præter nomina & ſitum Regionum, ſuppeditant. Inter Recentiores, *Peregrinationes* Marci Pauli Veneti, Haytoni Armeni, Ambroſii Contareni, Villamontii, Thom. Herberti, & alterius Angli, qui in Comitatu Equitis Cherleii, Legati Anglici in Perſiam, fuit: Marci item L'Eſcarboti, Maximil. Transſyluani, M. Antonii Pigafettæ, Ferdinandi Mendez Pinto, Ludou. Vartomani &c. *Nauigationes* Aloyſii Cadamuſti, Chriſtophori Columbi, Americi Veſpucii, Franciſci Dracki, Hug. Linſchotani; Ioa. de Bettencourt, Thomæ Lopes, & *Belgicæ in vtramque Indiam*, Francofurti excuſæ; quæque paucis abhinc annis prodierunt, *Peregrinationes* Vincentii Albi, Franciſci Boullayi & Payeni; *Itinerarium Orientale* Philippi a SS. Trinitate, Adami Olearii *Deſcriptio Itineris Perſici*, Ioannis Alberti a Mandelſloh *Deſcriptio Itineris Orientalis*, *Itinerarium* Hieronymi Welſchii &c. Ex iis vero, qui ſingulas Prouincias expoſuere, Zeilleri Itinerarium Germaniæ, eiusque *Compendium*, item eiusdem *Fidus Achates*, & *Itineraria Italiæ*, *Hiſpaniæ*, *Britanniæ*; *Iter Germanicum* Dan. Eremitæ; *Iter in Hiſpaniam & Angliam* Anonymi cuiusdam Galli; Franciſci & Andreæ Schotti, Du Vallii & Audeberti *Itineraria Italiæ*. Io H. Pflaumeri *Mercurius Italicus*; Sinceri *Itinerarium Galliæ*; Abr. Gölnitzii *Vlyſſes Gallo-Belgicus*; varia *Itinera in terram ſanctam ſuſcepta*, Bern. a Breidenbach, Ioan. Cotouici, Chriſt. Fulcherii, & alia ſuis locis memoranda.

§. III.

Pertinent huc (III.) & diligenter non euoluendi tantum, ſed & expendendi, comparandi inuicem, & meditan-

Digitized by Google

ditandi ſunt Notitiæ noſtræ ſtudioſo præcipui & πολιτικώτεροι ſcriptores *Hiſtorici*, partim ob deſcriptiones Imperiorum & regionum, quas paſſim operibus ſuis inſerunt; partim & præcipue, ob rerum geſtarum actuumque publicorum ordinem, cauſſas, prætextus, euentus, & de ſingulis ſua aliorumve iudicia. Quæ omnia ſicut anima ſunt hiſtoriæ melioris , ita fieri non poteſt; quin accurate diligenterque conſiderata, & expenſa, Lectorem induſtrium, & iudicio pollentem, ad ipſa Imperiorum penetralia deducant. Poſſunt autem, eiusmodi ſcriptores in *tres* veluti *Claſſes* diſtribui. Quarum *prima* complectitur Auctores *Hiſtoriæ vniuerſalis*, e quibus, quoadlicet, liquido & ordinate cognoſcendum eſt, quæ fuerit in vniuerſo orbe ab initio, vſque ad hanc ætatem, rerum facies, connexio, conſecutio, progreſſus; quibus occaſionibus, titulis, cauſſis, varia orbis Imperia orta, quibus artibus & per quos gradus progreſſa, aucta, elata; quibus ex cauſſis imminuta, extenuata, depreſſa, oppreſſa, euerſa fuerint. Abſque hoc enim palmario præſidio facies & indoles mundi, Imperiorumque fata & ſtatus, perſpici nequeunt. Commendari heic præcipue e veteribus debent Iuſtinus & Oroſius; e iunioribus *Epitome Hiſtoriarum totius mundi* Ioan. Cluuerii; Dionyſii Petauii *Rationarium temporum*; Boxhornii *Chronologia & hiſtoria Vniuerſalis*: Gothofredi *quattuor Monarchiæ*; Ioan. Carionis *Chronicon* ex editionibus recentioribus; Ioan. Ionſtoni *Polyhiſtor*; Chriſtiani Matthiæ *Theatrum Hiſtoricum*; Ioan. Micrælii *Syntagma hiſtoriarum Politicarum*; Chriſt. Beſoldi *Synopſis Hiſtorica maior*; Hor. Turſellini *Compendium Hiſtoriæ vniuerſalis* cum continuationibus &c. Quanquam nemo adhuc rem ab omnibus commendatam, a nullo exhibitam, tam accurate tradidit, quam magnitudo rei flagitabat. *Altera*

Digitized by Google

Claſſis continet *Hiſtoricos prope vniuerſales*, hoc eſt, qui res in orbe vniuerſo, aut ſaltem in Europa aliave illius parte intra certi temporis ſpatium geſtas enarrant. Quales e veteribus ſunt Herodotus, Polybius, Diodorus Siculus, &c. E recentioribus præcipue laudandus, quæ ad ſuperius ſæculum & partem præſentis, Iac. Auguſtus Thuanus, qui res in Europa ab anno cIↄ Iↄ XLVI ad annum cIↄ Iↄc VII vsq; geſtas, ex optimis ſcriptoribus, & propria experientia, ſumma eloquentia, prudentia, libertate, & fide compoſuit; cuius etiam operis *liber primus*, totius Europæ ſtatum, qualis tunc erat, exhibet. Thuano proximi in hoc genere videntur, Ioan. Sleidanus, qui *Commentarios de ſtatu Religionis & Reipublicæ ſub Carolo V* conſcripſit; & Paullus Piaſecius, qui in *Chronicis geſtorum in Europa ſingularium* res ſuperioris & noſtri ſæculi vsq; ad an. cIↄ Iↄc XLIIX tradidit. Noſtri ſæculi res geſtas ab anno XL vsque ad finem an. XLV ferme pari induſtria perſecutus eſt Victorius Siri in vaſto opere Italico, quod il Mercurio; overo Hiſtoria de' correnti tempi, i. e. *Mercurium ſiue hiſtoriam currentium temporum*, inſcripſit. In cuius Tom. I lib. I ſimiliter ſtatum totius Europæ, qualis anno XXXV & ſeqq. vsque ad XL fuit, deſcripſit. Res ab an. XIIX huius ſæculi ad annum LII vsque per Europam geſtas, breuiter congesſit Adolphus Brachelius, in *Hiſtoria ſui temporis*, a Chriſtiano Adolpho Tuldeno vsque ad an. LXI continuatus. Ab anno vero XXVII huius ſæculi vsque ad LVII res Europæas Italico ſermone conſcripſit Hieronymus Bruſonus in *Hiſtoria vniuerſali Europæ.* Pertinet huc & *Theatrum Europæum*, VII ingentibus voluminibus res noſtro ſæculo in Europa geſtas, cum variis actis, ſcriptisque publicis ac priuatis complectens: & *Diarium Europæum* res proximorum annorum cum variis itidem actis ſcriptisque exhibens,

bens. Tum qui res vnius anni, aut ſemeſtris tradunt, vt *Mercurii Gallo-Belgici, Hollandici, Anglici, Relationes Francofurtenſes, Lipſienſes, &c.*

§. IV.

Tertia Claſsis eorum eſt, qui ſingularum Gentium, aut Imperiorum res, aut etiam vnius belli, vel expeditionis vnius, hiſtoriam litteris conſignarunt. In quo genere, vt veteres nunc omittamus, antecellent in rebus Italicis Franciſcus Guicciardinus, in *hiſtoria Italica ſui temporis*, Nicolaus Machiauellus in *Florentina*, Paullus Paruta & Andreas Maurocenus, Venetæ Hiſtoriæ Princeps, in *Veneta*, Paullus Iouius, in *hiſtoria ſui temporis*; Petrus Bembus in *Veneta*; Pandulfus Collenutius & Chriſtophorus Beſoldus in *Neapolitana*; Leonhardus Aretinus in *Florentina*; & *ſui temporis Italica, &c.* Quibus addendi ſunt ex iis, qui *vitas Pontificum Romanorum* ſcripſerunt, Baptiſta Platina, Onuphrius Pauuinius, & Papirius Maſſonus: itemque Petrus Suauis Polanus, ſiue potius Paullus Sarpius, Seruita, in incomparabili *hiſtoria Concilii Tridentini*. In Hiſpanicis Ioan. Mariana, Hiſpanorum Liuius, & Æmilius, *de rebus Hiſpanicis*, & Hieronymus Coneſtaggius *de coniunctione Caſtellæ & Portugalliæ*. In Gallicis præter Thuanum, qui omnes ſuperat, Philippus Cominæus in libris *de rebus geſtis Ludouici XI, & Caroli VIII Galliæ Regum*; Henricus Caterinus d'Auila in *hiſtoria bellorum ciuilium in Gallia, a Franciſco I vsque ad Henricum IV geſtorum*, *Petrus Matthæus* in *Hiſtoria Gallica*; Gabriel Bartholomæus Gramondus in *hiſtoria Ludouici XIII*; Anonymi ſcriptoris *compilatio rerum ad hiſtoriam Caroli IX pertinentium*; Scipio Dupleixius in *hiſtoria Gallica*, Iean de Serre in *Inuentario Hiſtoriæ Gallicæ*. In Germanicis, quoad hiſtoriam mediæ ætatis, Ioan. Auentinus in *Annalibus Boicis*; Albertus Cranzius

Digitized by Google

zius in *Vandalia*, *Saxonia* & *Metropoli*. Quoad hiſtoriam ſuperioris ſæculi, præter Sleidanum, Dauid Chytræus in *Saxonia* ſua; Georgius Fabricius in *Hiſtoria Miſnica & Saxonica*, & Chriſtophorus Lehmannus in *Spirenſi*. In Helueticis, Franciſcus Guillimannus. In Belgicis Ioan. Rheidanus in *Annalibus Belgicis*, Vbbo Emmius in *Hiſtoria Friſica*; Ioan. Meurſius in *Ferdinando Albano*, *Guilielmo Auriaco*, & *Hiſtoria Induciarum*; Dominicus Baudius *de induciis Belli Belgici*; Famianus Strada *de Bello Belgico*; Hugonis Grotii *Annales & Hiſtoriæ de rebus Belgicis*. In Anglicis, Polydorus Virgilius in *Hiſtoria Anglicana*, Guilielmus Cambdemus in *Annalibus rerum Anglicarum & Hibernicarum regnante Eliſabetha*: Et Franciſcus Verulamius, in *hiſtoria Henrici VII*. In Scoticis Georgius Buchananus, in *hiſtoria rerum Scoticarum*. *In Danicis* Ioannes Iſaacius Pontanus, & Ioannes Meurſius, vterque in *hiſtoria Danica*; Ioannes Suaningius in *Chronologia Danica*; & lingua vernacula Arnoldus Huitfeldius; In Suedicis Ioan. Loccenius in *hiſtoria Sueco-Gothica* nouisſimæ editionis; Paullinus in *hiſtoria Arctoa*, & lingua vernacula Ioan. Georgius. In Polonicis Martinus Cromerus. In Moſcouiticis Sigismundus Baro Herberſteinius, & Petrus Petreius. In Turcicis Ioann. Leonclauii *Annales Turcici*, & Franciſcus Sanſouinus in *hiſtoria vniuerſali de origine, bellis, & Imperio Turcarum*, lingua Italica, nuper cum additionibus & continuatione, Comitis Maiolini Biſaccioni, Venetiis recuſa. In Perſicis Petrus Pizarrus; In Sinienſibus Martinus Martinius Ieſuita, &c.

§. V.

Particularibus hiſtoricis ſuo quodam modo accenſeri posſunt, qui veram Gentis aut Imperii alicuius hiſtoriam ſub fictis nominibus & circumſtantiis tradiderunt. Quo pe-

Digitized by Google

pertinent *Argenis* Ioan. Barclaii, qui ſub ſpecie fabulæ amatoriæ res Gallicas & ſtatum Galliæ, qualis ſuo tempore fuit, artificioſe depinxit; Et, quæ ad Argenidis exemplum comparari ſolet, Franciſci Blondi *Eromena;* itemque incerti Auctoris *Dianea*, & Caroli Grotnicii Germanicum opus, quod Die Geſchicht-Säulen inſcripſit, quorum vterque ſimili inſtituto res Germanicas tractasſe creditur. Sicut Turcicas & Genuenſes auctor ſimilis libelli a Philippo Zæſio conuerſi, cui titulus: Ibrahims von der beſtändigen Iſabellen Wunder-Geſchicht.

§. VI.

Pertinent huc & IV *Acta publica, Relationes & Inſtructiones Legatorum, Memoriæ miniſtrorum*, & alia huiusmodi, quibus ordo rerum geſtarum, & ciuilium negotiorum, accuratius exponitur. Qualia ſunt, quæ in *Relationibus Politicis* Caſparis Ens & *Theſauro Politico* Philippi Honorii continentur: itemque *Legationes* Cardinalis Peronii, *Memoriæ* Philippi Mornæi, Villeregii, Ducis de Sully, & aliorum: *Legationes* Philippi Canaii: *Negotiationes* Præſidis Ieannini, & plures alii Legatorum Gallicorum Commentarii, qui manuſcripti Pariſiis, in Bibliotheca Següieriana ſeruantur: *Legatio Rhætica* Caroli Paſchalii; *Relationes* Cardinalis Bentiuoglii; *Conclauia Paparum*, ſparſim edita; *Acta Sueco-Polonica, Florus Germanicus* Paſtorii, & quæ de Germanicis rebus collegerunt Melchior Goldaſtus in variis operibus, Chriſtophorus Lehmannus in *Actis de pace publica*; Michael Caſpar Lundorpius in *Actis publicis*; Fridericus Hortlederus in voluminibus *de Cauſſis belli Germanici*. Quibus addi posſunt varia ſcripta Theatro Europæo, Diario Europæo, Floro Paſtorii, Mercurio Victorii Siri, Mercuriis Hollandicis & Anglicis, &c. inſerta; *Miniſteria Cardinalium* Richelii & Mazarini;

Digitized by Google

Tractatus Hiſtorico-Politici hiſtoriis Brachelii & Tuldeni ſubiuncti; ac pleræque *diſquiſitiones*, e ſexaginta illis Boxhornii, quæ ſuppreſſo nomine auctoris non ſemel in Belgio ſunt editæ; denique varii tractatus & articuli pacis, induciarum, confœderationumq;, vt ſunt *Negotia, quæ interceſſerunt inter domum Auſtriacam & Francicam; Tractatus Confœderationis & pacis inter Coronam Gallicam ac Principes & ſtatus exteros*; Leonis ab Aitzema *hiſtoria pacis a fœderatis Belgis ab anno huius ſæculi XXI ad hoc vsque tempus tractatæ*; variæ *pacificationes* nuper ſimul Norimbergæ editæ, &c.

§. VII.

Ad interiorem Imperiorum cognitionem plurimum quoque conferent VI varia *ſcripta narratoria, diſquiſitoria, incuſatoria, Apologetica*, quibus controuerſiæ inter diuerſos Principes & Reſpublicas, vel etiam inter vnius eiusdemque Imperii Principes, ordines, populosve intercedentes, tractantur. Hæc enim atque talia, vbi ſemel in diſceptationem iuere, non posſunt agitari, quin Myſteria ſtatus quodammodo introſpiciantur, &, vt ita dicam, ſacra ciuitatis commoueantur. In huiusmodi tamen monumentis, præſertim rarioribus, conquirendis haud parum tum laboris & ſolertiæ, tum delectus & iudicii requiritur. Nam & valde differunt fide, induſtria, iudicio, & affectibus: &, quæ maxime ad rem faciunt, ſubinde ſupprimi ſolent. Ad noſtra tempora pertinent ex hoc genere varia *Gallico-Auſtriaca, Germanico-Bohemica, Suedico-Germanica, Hiſpano-Belgica, Hiſpano-Catalonica, Rhætico-& Heluetico-Auſtriaca, Hiſpano-Luſitanica, Britannico-Scotica, Gallico-Sabaudica, Hiſpano-Sabaudica, Danico-Suedica, Suedo-Polonica, Suedo-Brandenburgica, Sabaudico-Waldenſia, &c.* Quibus ſub titulis *Defenſio-*

ſionum, *Declarationum*, *Deductionum*, *Manifeſtorum*, *Antimanifeſtorum*, *Diſcurſuum*, *Iudiciorum*, *Cogitationum*, & ſimilibus aliis, de belli pacisque negociis, eorumque iuſtitia, ſtatu, euentu, &c. diſceptatur. Quæ ſingula, ſi quis, exemplo Goldaſti aliorumque, in ſuas Claſſes diſtributa colligeret, egregiam haud dubie operam Notitiæ noſtræ ciuiliſque prudentiæ ſtudioſis nauaret.

§. VIII.

Huc & VI illi ſcriptores faciunt, qui *de ſtatu præſenti Rerump.* earumq; belli ac pacis negociis, aut nude exponunt, aut inſtituta disquiſitione, quid prudenter & ex vſu illius Reipub. ac Imperantium, quidve ſecus geſtum ſit, aut geratur, disquirunt. Prioris generis ſunt Chartæ, quæ quotannis ſub titulo *Status Europæ* in Germania, Belgio & alibi eduntur. Poſterioris, *Relationes ex Parnaſſo*, a Traiano Boccalino conſcriptæ lingua Italica cum eiusdem *Lapide Lydio*, & *appendice* Hieronymi Briani; quique eum imitatus eſt, ſed diuerſo ſcibendi Genere, Auctor Anonymus *Secretariæ Apollinis*, Ducis Rohanæi libellus *de intereſſe Principum & ſtatuum Chriſtianorum*, ſiue, vt in Latinis Exemplaribus inſcribitur, *Trutina ſtatuum Europæ*; Thomæ Campanellæ libelli *de Monarchia Hiſpanica a capite XIV ad XXXI.* Ioannis Gilenii *Triumphus Suedicus*; *Motus animorum per Europam*, cum *continuatione*; *Cauſſa Regum heri & hodie belligerantium*; *Collegium Electorale*, cum ſuis *appendicibus* & oppoſita *cenſura*, & *anticenſura*; *Polonia ſuſpirans* Sigismundi Wartemanni, & quæ præterea in hoc genere prodierunt.

§. IX.

VII Huc pertinent ſcriptores, qui ſingularibus libellis aut operibus abditas Imperantium artes, & gubernationis, tum ordinariæ, tum extraordinariæ conſilia expo-

nunt. Huiusmodi ſunt Arnoldus Clapmarius *in libris VI de arcanis Rerumpublicarum* cum abbreuiatore ſuo Io. Arnoldo Coruino,& in eiusdem argumenti Diſcurſu Chriſtophorus Beſoldus ; itemque Deſiderius Creſcentius in *artibus reconditis regendi Reſpublicas & dominandi:* tum ſcriptores Italici *de Ratione ſtatus*, Ioannes Boterus, Gabriel Zinanus,Ludouicus Septalius, Fridericus Bonauentura, Cyrus Sponſonus,Ioannes AntoniusPalazzus,Scipio Claramontius ; qui paſſim exemplis veterum hodiernorumque Imperiorum ſuas obſeruationes illuſtrant. Addi posſunt *Princeps* Nicolai Machiauelli,Edoini Sandis,Angli, *Relatio de ſtatu Religionis*,& quibus illa artibus & conatibus in variis occidentis partibus fabricata ac uſurpata ſit; &c.

§. X.

Sed & VIII eorum ſcriptorum haud exiguus in hoc ſtudio vſus futurus eſt, qui *ſatyricis*, libellis famoſis, aut nimia libertate ſua proxime ad hos accedentibus,ſecreta Principum, occultasque miniſtrorum fraudes in apricum proferunt. Sed cauendum eſt,ne illis ſine diſcrimine fides habeatur : cum ſæpe libere quidem, ſed non ſine affectu,res enarrent. Horum ſubinde pæne infinita multitudo paſſim, ſed præſertim in Italia, Gallia & Belgio, prodit , quos Notitiæ noſtræ ſtudioſus , ſollicite diligenterque conquiret. Eximius eſt in hoc genere Barclaius in Satyrico, in quo, quod mirere, viginti annorum adoleſcens,ſub nomine *Euphormionis Luſinini* ea prudentia & maieſtate omnium Europæ Rerumpub. vitia & virtutes ſatyrico ſale perſtrinxit,vt vniuerſum orbem in ſtuporem dederit. Pertinent etiam huc Anonymi ſcriptoris *Heutelia*, *Relationes Boccalini, &c.*

§. XI.

Digitized by Google

§. XI.

Sunt & alia ſcriptorum genera, qui nonnulla ſuppeditant ſtudioſo Notitiæ huius non minimum adiumenti allatura, quos omnes, omniaque eorum genera, enumerare, pæne infiniti laboris esſet. Operæ tamen pretium fuerit nonnulla breuiter indicasſe. Huiusmodi igitur ſunt I, qui varias *quæſtiones, Obſeruationes, disſertationes, & Diſcurſus* Politicos continent, vt ſunt Paulli Parutæ, Hier. Frachettæ, &c. *Obſeruationes* Mich. Piccarti &c. Hi namq; dum ex omnis æui hiſtoria obſeruationes ſuas ſtabiliunt, ſubinde afferunt, quæ de ſtatu, arcanis, adminiſtratione, Legibus & moribus variorum Imperiorum Lectorem edoceant; II, qui *Politicas annotationes* & *Diſcurſus* ad hiſtoricos veteres adornarunt, vt Machiauelli *Diſcurſus in Liuium*; Iacobi Zeuecotii *Notæ Politicæ in Florum* & *Suetonii Cæſarem*; Chriſtophori Forſtneri *in Tacitum &c.* III Epiſtolæ, quibus ſæpe viri grauisſimi de maximis Reipublicæ negociis inuicem communicant: quales ſunt multæ Æneæ Syluii, Erasmi Rotterodami, Ioachimi Camerarii, Augerii Gislenii Busbequii, Huberti Langueti, Hugonis Grotii, Chriſtoph. Forſtneri, Iacobi Bongarſii: Gallicæ, Cardinalis Osſati, Germanicæ Martini Zeilleri, & ſimiles aliæ, quæ pasſim ac ſæpe ſine nomine ſcribentium prodeunt. Quibus addendæ, & ſollicite conquirendæ ſunt variæ nondum editæ, a Politicis & prudentibus viris ſuper negociis Reipublicæ exaratæ, quotquot earum haberi posſunt. IV *Orationes Politicæ*, quales ſunt inprimis, quæ a Legatis habitæ, & quæ deliberationes de grauisſimis Reipublicæ negociis continent. Nam & hæ omnes plura ſubinde ſuppeditant, ad ſpecialem Imperiorum Notitiam facientia. E veteribus huc pertinent variæ Demoſthenis, Æſchynis, Ariſtidis: item Antiphontis, Iſæi, & aliorum ſimul editæ; multæ

Ciceronis&c. Recentiorũ aliquæ huius generis ſimul prodierunt Venetiis anno cIↄ Iↄ LV ſub titulo: *Orationes clarorum hominum*. Plures poſtea aliquot voluminibus *Wechelii* dedere. Singulas editas, ineditasque conquirere ad induſtriam Notitiæ noſtræ ſtudioſi ſpectat. Sed præcipue hic commendari debent, *Orationes contrariæ* Thomæ Lanſii, ſiue *conſultationes de principatu inter Prouincias Europæ*, quæ cum variæ eruditionis ſuppellectile, quid in ſingulis Europæ Imperiis laudari culparique poſſit, ac ſoleat, docent, eademque opera vniuerſum vnius cuiusq; ſtatum lectori ſuo inſinuant. Neque paruus illarum vſus fuerit, quæ ſtatum Europæ, aut aliquot eius Prouinciarum delineant. Qualis eſt, quæ ab anonymo quodam *de præſenti Europæ ſtatu, ad Principes & populos Europæos* anno huius ſeculi XL ſcripta & publicata eſt. Neque omitti debent, in quibus cauſſæ & lites, quæ Principibus & Rebuspub. inuicem intercedunt, oratorie diſceptantur, vt factum in *tergeminis Diſcurſibus hiſtorico-Politicis* Nic. Vernulæi, *in quibus cauſſa belli Suedo Germanici, & Franco-Lotharingici, armorumque Hiſpano-Belgicorum ventilantur*; itemque quæ potentiam variorum Principum & Imperiorum inter ſeſe comparant, vt eiusdem Vernulæi *decem orationes*, de hoc argumento ſcriptæ. V denique nonnulli eorum, qui aut integra ſyſtemata Politica prolixius adornarunt, aut argumenta particularia v.g. de origine & progreſſu Imperiorum, de potentia Ciuitatum, de Principe, de bello & pace, de fœderibus, de præcedentia &c. ampliori cum apparatu exemplorum documentorumque perſecuti ſunt. Nam vtrique dum præcepta & obſeruationes generales tradunt, ſæpe veterum hodiernorumque Imperiorum Exempla adducunt. E Syſtematicis ſcriptoribus ad

Digitized by Google

ad hunc ſcopum inprimis faciunt, ex antiquis Ariſtoteles *in Politicis*; e iunioribus Bodinus *in lib. de Republica*, cuius magna in peculiaribus Imperiis deſcribendis induſtria, etſi non æquum ſatis ſemper iudicium fuit: itemque Arniſæus *in Doctrina Politica & lib. de Republica.* Particularium ſcriptorum magnam partem in reliquis Introductionis huius partibus indicabimus.

§. XII.

Hæc de ſcriptoribus, vnde accuratior Imperiorum Notitia peti queat, ex ſententia Doctorum prudentiumque virorum, propriaque obſeruatione, dicta ſunt. Qui ſi cui nimis multi videbuntur, is cogitet, nos heic reſpexisſe Notitiam perfectam, aut perfectæ proximam; ad quam cui pertingere non licet, is non ideo nihil in hoc ſtudiorum genere præſtitisſe exiſtimari debet; Deinde vaſtum esſe admodum hoc Doctrinæ genus, immenſamque rerum multitudinem & varietatem continere; ac proinde qui ſerio in illo proficere cupit, ei amplisſimo penu inſtructuque opus esſe. Cui vero non licebit omnes iſtos ſcriptores euoluere, (licebit autem oppido paucis) ei ſuffecerit illis vti, quos ſua ſibi fortuna, conditio, tempusque permittent.

CA-

CAPVT SEXTVM.

Conuerſatio cum prudentibus, iiſque vel extraneis; quorum conſuetudo præcipuo peregrinationis impendio quærenda; vbi tamen cautione opus; ab iis ſollicite haurienda cognitio interior aularum & Rerumpub. vel Legatis patriæ; quibus adhærere vtile peregrinanti. Quænam heic ambienda. A quolibet diſcendum. Amicitia cum exteris ſancita per litteras aliaque officia ſtudioſe obſeruanda. Conuerſatio cum prudentibus in patria: quæ circa illam obſeruanda.

§. I.

HActenus de *Relatione* aliorum, quæ *ex libris* petitur. Alterum illius genus eſt, quod *e conuerſatione cum prudentibus* peritiſque hominibus. Hi vel *extranei* ſunt, vel *in Patria* noſtra, aut vbi ipſi viuimus, degunt. Quod *illos* attinet, quærendi inprimis ſunt in ſingulis, quo ad licet, regionibus ac imperiis, qui ſcientia rerum, experientia ac ætate præſtantes, conuictuque politiore ad commoda adeuntium facti, ſuæ quisque Patriæ res ediſſerere queant. *Horum colloquia, notitia, amicitia, præcipuo peregrinationis labore, impendioque emidebent. Hæc enim vera peregrinatoris ſchola eſt eximiorum in vnaquaque gente hominum, modo experientia & vſu, modo doctrina erudiri; huius comitate foueri, illius familiaritate æſtimari; præſentis profectus rationes, cum futuris vtilita-*

Bæcler. de Peregrin. Germ. p. 33.

litatibus, felicitate ſapiendi connectere. Quid homini Reipublicæ nato, factoque ad laudem inſignius, ad agendas res efficacius, quam electis virorum idoneorum notitiis, quas Latinitatem inſuper habentes correſpondentias vocant, vndique ſubſidia, nec cognitionis modo, ſed negotiorum, comparata & promta habere? Thuanus certe diſerte fatetur, *ſibi, cum undiquaque materiam operi hiſtorico, quo omnium Europæ Imperiorum res ſuo æuo geſtas expoſuit, compararaſſet, plurimum profuiſſe, quod per peregrinationes in adoleſcentia, virorum illuſtrium in tota Europa, aut per litteras aut coram contraxerit familiaritatem: pluraque ſe hominum litteratorum literis, & amicorum conſuetudine, quam proprio labore, profeciſſe.* in Coment. de vita ſua lib. I & V.

§. II.

Ceterum, vt idem Bœclerus monet, *in hoc genere conuictionis, magna prudentia & cautione vtendum eſt. Sunt enim magnis quoque viris ſui naui ſuæ artes. Alius ſtudio partium, alius odio nationis, nonnulli certo ingenii propoſito aduentatoribus nec patere nec intelligi volunt, ſi præſertim deſit artificium incantandi, vt ſic dicam, penetrabilia carmina, quibus e latebris extrahantur animorum ſecreta.* l. c. p. 51. Similiter (vt idem porro loquitur) *Si rebus alienis importuno arbitratu ſe peregrinator ingerat, dedecori ſeſe exponet ac periculo, quod ne tum quidem vitabitur, ſi innoxiam curioſitatem, neque alienis tractandis, ſed ad ſua olim tractanda noſcendis intentam, tempore locoque minus idoneo exerceat. Non patebunt tibi duræ, ſed præſertim peregrinis, Archiui fores: niſi quatenus emittunt publicantque ea, quibus ſtatum ſuum extrinſecus conſpici cupiunt.* Quosdam, eosque longe plurimos, ſui mores vitaq; paullo turpius acta, & neglectæ occaſiones illuſtribus & peritis viris innoteſcendi, ab adytis interioris Notitiæ excludunt. Quo pertinet

tinet illud Itali cuiusdam, qui extero, de conuictu Italorum minus familiari conquerenti, acerbe quidem, ſed vere tamen, reſpondit: *At vos peregrinatores, cuius hominis conſuetudine in Italia vti ſoletis, præterquam cauponum, mercatorum, lenonum?*

§. III.

Nihilo tamen ſecius Peregrinator intelligens ac bene moratus, induſtriusque, & de propoſiti melioris fructu ſemper ſollicitus, ac rebus ſuis intentus, ſi non importune ſe ingerat; ſi, quantum fieri poteſt, tum curioſitatis nimiæ, tum vel minimam contentionis ſuſpicionem vitet; ſi colloquia ſua non verborum profluentia, ſed opportunitate ſenſuum moderetur, & ſuauitate morum non affectata neque oſtentata commendet; denique ſi candorem & taciturnitatem vbique præſe ferat; haud difficulter id, quod diximus, impetrabit. Nam *ferme vbique reperiet*
l. c. p. 43. (vtemur iterum verbis Bœcleri) *viros omnem ſuæ Reipublicæ aulæque conditionem ingenio vſuque complexos: Qui nefas non putabunt, cum Peregrinatore digno & capace, conciliandis illuſtribus amicitiis per virtutis indolem apto, ſermones de Republica accuratiores & ſecretiore ſapientia plenos cædere. Fietque hoc imprimis, ſi Peregrinator Reipub. deſtinatus, generis nobilitatem idoneis artibus ita conſpicuam fecerit, vt qualis in ciuili negocio tractando ſit futurus, præuideri quodammodo poſſit. Tales enim iuuenes animis curisque virilibus, maximus quisque virorum ciuilium in varios vſus futuri temporis familiarius adhibet, mutuamque ſibi aut Reipub. ſuæ operam, non ſimplici augurandi ſolertia tacite velut paciſcitur.* Adde, quod eximia ingenia, & iisdem artibus innutrita, arcano quodam vinculo, & ſingulari animorum conſenſu, ſibi inuicem copulantur; quo ſit, vt li-

liberius aditus pateſiat iis, quos ingenio ſtudiisque ſimiles eſſe nobis deprehendimus.

§. IV.

Ab huiusmodi igitur viris accurate & ſollicite hauriendà eſt præcipua pars ſtudii peregrinatorii, cognitio aularum & Rerump. non tantummodo ſuperficiaria, qualis in vulgaribus libellis, quos ſupra laudauimus, per rudiores lineolas, & formas non diu ſibi conſtantes expresſa habetur; ſed etiam interior illa, tam ſæpe commutabilis, & ad momenta Politici tractatus proprius valens, altiorisque in explicando indaginis, in æſtimando iudicii, ac, vt etiam ſupra monuimus, ex ipſo negociorum tractatu, e tabellariis publicis, ex conſiliorum viſceribus eruenda. Heic quicquid audis, quicquid legis, quicquid vides in hoſpitium reuerſo diligenter in diaria referendum (neque enim heic memoriæ, quantumuis felici, fidendum) & cum aliorum relationibus comparandum; ſed clam, & remotis arbitris, aut ſolum iis conſciis, qui propoſiti tui ſunt participes. Nam ſi aperte, & præſentibus iis, inter quos verſaris, facias, aut riſum, aut ſuſpicionem & offenſam incurres.

Bæclerus l.c. p. 41. & 45.

§. V.

Iuuabit etiam Oratoribus & Legatis, cum ordinariis, tum extraordinariis, nomine Principis aut Reipublicæ tuæ in iis regionibus, quas peregrinando perluſtras, verſantibus, eorumque ſecretariis & comitibus, adhærere. Hi enim præterquam quod accurate & ſollicite inquirunt in ſtatum & arcana Reipublicæ ac aulæ, ad quam ablegati ſunt, etiam hoc habent, quod libere & aperte tecum communicabunt, quæ e re tua eſſe videbuntur. Neque denegabunt ciui, præſertim idoneis artibus ac virtutibus inſtructo, commentarios & acta cum Legationis, tum alio-

rum tractatuum & negociorum, quibus ipſi admouentur, aut quorum conſcii & participes eſſe debent.

§. VI.

Sed quemadmodum in peregrinatione inprimis obſeruandum eſt generale præceptum; *Diſce a peritis:* ita nec illud Arabum negligendum; *ſapiens a quolibet* (ſcilicet iuxta cuiuslibet captum) *diſcit*; immo peregrinantibus pro Lege eſſe debet. Nempe, *facundus & ſollers peregrinator dum nullum genus hominum aut colloquiorum, quatenus licet, negligit, etiam e fortuito & temerario ſermone imperitorum, plebeiorumque hominum haud parum proficit.*

Becl. l. c. pag. 31.

§. VII.

Reuerſo e Peregrinatione amicitia cum exteris facta ſollicite & ſtudioſe obſeruanda alendaque eſt, crebris non litteris tantum, & ſalutationibus, ſed etiam officiis & beneficiis, ſi maxime id interdum cum aliquo facultatum, temporis, negotiorumque impendio fieri neceſſe ſit. Nam abſque hoc adiumento res Imperiorum, quæ ſæpe intra exiguum tempus magnam mutationem ſubeunt, recte pleneque cognoſci non poſſunt.

§. VIII.

Quod conuerſationem cum prudentibus eruditisque hominibus in Patria noſtra degentibus attinet, ad eam pleraque accommodari poſſunt, quæ de conuerſatione cum Peregrinis hucuſque diximus. Quare nihil amplius, quam hoc vnum, monemus; dandam eſſe operam, vt nobis conciliemus amicitiam & familiaritatem eorum, qui peregrinatione, aut vſu rerum ciuilium, aliquam Imperiorum Notitiam ſibi compararunt. Quales ſunt, qui per aliquod tempus Legatorum, Conſiliariorum, Secretariorum, aut ſimilibus muniis, ſiue apud exteros, ſiue domi,

Digitized by Google

mi, functi ſunt. Ab his quicquid haberi poteſt, ſtudio, prece, & pretio extorquendum, ſi maxime interdum nonnihil audaciæ & impudentiæ concedendum ſit.

CAPVT SEPTIMVM.

Experientia propria vſu conſtat & peregrinatione. Vtrumque in quonam præcipue conſiſtat.

§. I.

HÆc de priore fonte, *Relatione aliorum.* Alteram diximus eſſe *Experientiam propriam*; eamque duplicem fecimus, *Vſum* & *Peregrinationem.* De *Vſu*, præter ea, quæ ſupra diximus, id obſeruandum eſt, ſummam ab iis, qui in ipſo rerum actu verſantur, eſſe diligentiam adhibendam, cunctaque Imperiorum, quorum res tractant, accurate & ſolicite inſpicienda. Id enim niſi fiat, multa non recte perſpicientur, immo fiet interdum, vt (quod etiam in præliis euenire ſolet) melius res Imperiorum perſpiciant, diiudicentque, qui extra rerum actum conſtituti ſunt, quam qui in eo verſantur. *c. IV, §. I & III.*

§. II.

Peregrinatione, quantum eius huc pertinet, (nam prout ex aliis res Imperiorum a peregrinantibus cognoſcuntur, ad *Conuerſationem*, de qua iam dictum; prout a Legatis aliisq; miniſtris inſtituitur, magnam partem ad *vſum* ſpectat) vix amplius cognoſcere licet, quam ea, quæ in oculos aureſque influunt: puta regionum, vrbiumq;, & caſtellorum aliorumq; locorum ſitum, nomina, magnitudinem, naturam, & conditionem; incolarum mores, numerum, linguam; qualitatem ſoli cœlique; numerum,

nomina, ac functiones miniſtrorum ac magiſtratuum; ſtaturam & corpora Principum: ritus ceremoniasque ſacras, ſtatum rei litterariæ, commerciorum, militiæ; & pauca quædam alia. Quæ vero ad interiorem Imperiorum cognitionem faciunt, ſenſibus vix patent. Ceterum quomodo inſtituenda ſit cum fructu, plures prolixe & accurate præceperunt, quorum dicta non eſt cur huc transferamus.

CAPVT OCTAVVM.

In accurata Imperiorum cognitione acquirenda quattuor de ſententia Conringii obſeruanda: Materia, Efficiens, Finis, Forma. Temporis etiam ratio habenda. Tres aliæ claſſes conſtitutæ, Hiſtorica, Geographica, Politica, quibus plerorumque Imperiorum Notitia continetur ac deſcribitur. Duplex cognitio, vniuerſalis & particularis indicata.

§. I.

De Ciu. Prud. c. XII. & in Proœm Diſſert de Rebuspub.

DEfiniuimus Notitiam Imperiorum *accuratam & diſtinctam* eorum *cognitionem*. Ea igitur quibus partibus ſeu capitibus abſoluatur, nunc dicendum eſt. Illuſtris Conringius ad ſingulorum Imperiorum perfectam cognitionem vnice requiri ait, vt omnium ciuitatis illius rerum cauſſas quattuor plene quis cognoſcat: Efficientem, ſcilicet finem, materiam, & formam. Ad *materialem* refert multitudinem hominum, quorum conſiderari debeat I Numerus, II Qualitates tum corporis, tum animi, tum fortunæ; & hæc tum immobilia, ipſa

ipſa ſcilicet regio, in qua notandum, quomodo ſe habeant res neceſsariæ, vtiles & ad elegantiam facientes: itemque ſitus, vicini, cuſtodia, commercia cœlumque & aër: tum mobilia, vt frumentum, pecunia, vectigalia, &c. Ad *finalem* ſcopum Reipublicæ, hoc eſt, vitam beatam: vbi videndum, an ciues illius Imperii poſsint ciuiliter beate virere; an virtute ſint prædici; an habeant rerum omnium ſufficientiam; itemque an beatitudo populi primario attendatur, an vero potius amplitudo Dominii, opes, voluptates? an media ad ſcopum aſſequendum vera & debita recte adhibeantur; &c. Ad *efficientem*, quomodo ſe habeant omnes, qui aut ſummam poteſtatem exercent, aut magiſtratibus funguntur, aut ius dicunt: neque ipſi duntaxat, ſed quomodo eorum primarii quoque miniſtri ac domeſtici; idque reſpectu habito, partim ad facultatem eorum, partim ad voluntatem. Item, quantum rerum animatarum pariter ac inanimatarum ad manus ſit idonearum, vt ſint inſtrumenta rerum gerendarum: & an illæ probe & accommodate ad ſcopum Reipublicæ ſint compoſitæ; quo pertinent pecunia, ærarium, reditus, expenſæ, vectigalia, arma, &c. Ad *formalem* denique cauſſam refert ea omnia, quæ ad regimen ipſum Reipublicæ & ſummam poteſtatem, magiſtratus, iudicia, &c. pertinent. Vbi cognoſcendum, quomodo ſe habeat poteſtas ferendarum Legum, belli & fœderum, vectigalium ac tributorum, conſtituendorum Magiſtratuum ac iudiciorum, vitæ & necis in ciues, &c. quomodo item comparata ſit poteſtas ſecundaria, imprimis iudicia; vtrum ſumma poteſtas Rempub. violenter, an benigne regat; & an illa ratio regiminis ciuitati ſatis ſit conueniens, &c. Addebat præterea, cuiusque Reipublicæ *tria tempora* cognoſcenda eſſe; primo *præteritum*, vt melius intelligatur præſens, & propter

pter controuerſias de iuribus &c. Deinde, & maxime quidem, *Præſens*; quomodo nunc ſeſe Respublica habeat postremo *futurum*, quid ſcilicet ab hac vel illa Republica imposterum exſpectari debeat.

§. II.

Quæ a ſcriptoribus Rerumpub. ſupra laudatis in ſingulis Imperiis conſiderentur, hic dicere nihil attinet; cum & valde inter ſe differant, & plerique omnes nonnulla ex iis, quæ potisſimum conſiderari debebant, penitus omittant. Nobis, quæ in vnaquaque Republica maxime cognitu vtilia ſunt, haud incommode ad tres clásſes reuocari videntur poſſe. Alia enim veluti *hiſtorica* ſunt, alia *Geographica*, alia, & pleraque, *Politica*. *Primi Generis* ſunt, I Origo cuiusque Reipublicæ, eiusque tempus, occaſio, titulus: II Incrementa, decrementa, ac, ſi iam deſierunt eſſe, euerſio, horumque præſagia, cauſſæ, modus, tempus, &c. III Inſigniores mutationes ſtatus, potentiæ amplitudinis, an belli pacisque tempore factæ. IV Catalogi Imperantium, eorumque Genealogiæ, cognationes affinitates cum principibus aliis. Ad *ſecundum genus* pertinent ditiones cuique Imperio ſubiectæ, earumque nomina, ſitus, magnitudo, fines, flumina, maria, vrbes, caſtella; natura & qualitas locorum; prouentus agrorum, fructuum, animalium; numerus, mores, ingenia & lingua incolarum &c. Ad *poſtremum* denique I forma regiminis, & leges fundamentales; II ratio adminiſtrandi, & præcipui magiſtratus ac miniſtri, aliique curatorio nomine Rempublicam adminiſtrantes; III Status Religionis, & qui ab eo magnam partem pendet, rei literariæ; IV Opes potentia, reditus, & expenſæ Reipublicæ aut Imperantium: V Fœdera, amicitiæ, aut inimicitiæ cum aliis Rebuspublicis aut principibus, harumque cauſſæ, prætextus

pro

progreſſus: illorum finis, conditiones, firmitas aut infirmitas, &c. VI Prætenſiones & illuſtres controuerſiæ cum vicinis aliisque ac fundamenta & prætextus, quibus nituntur: VII Ordo vel ipſius Reipublicæ, vel eorum, qui præſunt, aut imperantes repræſentant, reſpectu aliorum imperiorum & Principum; & fundamenta, quibus controuerſiæ de præcedentia inædificari ſolent: VIII Ratio ſtatus, & arcana potiora: IX Denique prudentum iudicia de cuiusque Reipublicæ cum forma & legibus fundamentalibus, tum ſtatu præſenti, eiusque firmitate aut infirmitate, &c.

§. III.

Hæc igitur omnia in ſingulis Imperiis, ſaltem veterum celebrioribus, & inter recentiora Europæis, Notitia noſtra conſiderabit, ſi quidem haberi posſunt; ſin, ſaltem pleraque, vt origines & progresſus, mutationes inſigniores, familias & catalogos Imperantium, Regiones ſubiectas, ingenia populorum, formam regiminis & adminiſtrationem, ſtatum religionis & rei litterariæ, & prætenſiones illuſtres, exponet. Nam hæc fere de omnibus illis, litteris ſunt prodita. In reliquis antiquis, hodiernisque Aſiæ, Africæ, & Americæ Imperiis, ſuffecerit pauca de potentia regnantium, ditionum amplitudine, & numero, natura locorum, moribus & ingeniis incolarum, ſtatu Religionis, & forma regiminis narrasſe. Cetera namque ferme ignota aut incerta ſunt: &, ſi maxime pernoſcantur, paruo nobis vſui futura.

§. IV.

Notandum eſt tamen, duplicem esſe cognitionem vniuscuiusque Imperii: vnam velut vniuerſalem, & non ita temporum & perſonarum circumſtantiis alligatam, de qua potisſimum heic nobis ſermo: alteram magis ſingula-

rem, immo, vt ita loquar, ſingularisſimam, & ad ſingula temporum momenta commutabilem, quæ potisſimum ex hiſtoria & experientia hauriri debet.

CAPVT NONVM.

Prudentia, & hiſtoriarum intellectus, præcipuus huius Notitiæ fructus. Sine hoc nulla Respublica bene geritur; maxime cum vicinorum ſtatus ignoratur; nec deliberationes & negotia publica rite tractantur; contra Notitia hæc probe percepta magnam perſonis publicis auctoritatem conciliat, ac voluptatem, qua totius orbis Imperia domi præbet inſpicienda. Necesſitas eius in propria Republica præ exteris.

§. I.

COgnitis Notitiæ noſtræ fontibus, obiecto, & forma, ſupereſt, vt de fructibus illius breuiter dicamus. Quorum primus ac præcipuus eſt, quod ad acquirendam ciuilem prudentiam, quæ magnam partem ex ſingularibus hauritur, non ſolum vtilis, ſed plane necesſaria eſt. Qua de re iam diximus. Addi poteſt Kekermannus *in præfatione Diſputat. Politic. ſpecialium*, quæ exſtat *tomo ſecundo Syſtematis Syſtematum. pag. 1438. & ſeqq.* D. Conringius in ſupra laudato *cap. XII de prudentia ciuili.*

c. I. IV &c.

§. II.

Deinde nec hiſtoria, quæ merito inter præcipua ciuilis prudentiæ præſidia cenſetur, recte intelligi, adeoque nec

nec recte ad vſum transferri poteſt, niſi quis ſtatum eorum Imperiorum, quorum illa res geſtas exponit, probe cognouerit. Quomodo enim conſilia, occaſiones, cauſſas, prætextus, aliasque circumſtantias recte diiudicabit, qui ignorat, qualis illa Reſpublica, & quis eius ſtatus, quod regimen hoc illove tempore fuerit?

§. III.

Sed neque III quiſquam vllam Rempublicam bene geret, aut adminiſtrabit, qui ſuæ ciuitatis, in qua verſatur, notitia deſtitutus ſit. Qui enim regat ciuitatem, cui illa non ſatis perſpecta ſit? non magis certe, quam medicus curabit corpus, cuius ſibi conſtitutio ignota eſt. Ad ciuitatis autem cuiusque plenam notitiam, non tam requiritur, vt quis noſcat, quæ illi interna & veluti domeſtica ſunt, ſed etiam ne ignoret, quæ foris & in aliis ciuitatibus obtinent, aut geruntur. Qua de re Conringius: *Etiam* *l. c. p. 259.* *externa illa*, inquit, *pernoſcenda eſſe, ad id, vt tuæ Reipublicæ omnia plene ſcias, aut vt integræ ciuitatis alicuius plenam habeas prudentiam particularem, argumento eſt, quia ſine illorum cognitione, nemo aptus eſſe poteſt, omni ſane ex parte, recte Reipublicæ alicui conſulere. Cauſſa vero huius eſt, quia ciuitas & Reſpublica quæque, vel indiget aut fauore, aut auxiliis, aut bonis nonnullis alterius Reipublicæ, vel habet, quod ab illa ſibi metuat; vel denique poteſt aliquod rerum ſuarum emolumentum inde exſpectare. Nihil horum vero cedere in in vſum Reipublicæ illius, cuius notitiam primario ſpectas, poteſt, niſi probe cognitis iis omnibus, etiam alterius Reipublicæ, quæ iſthuc faciunt. Non ſane expleueris ex alieno indigentiam Reipublicæ tuæ, niſi ſcias, quænam alibi reperiri queant, & quemadmodum ſint acquirenda. Pari modo caueri non poterit, ſi quid aliunde ex vicinia forte imminet maligni, niſi omnia eius ciuitatis teneas, quæ cauenda fortaſſe ſunt. Non*

Digitized by Google

denique foris emolumentum parari poteſt, niſi ſcias, & vbi & quomodo poſſit obtineri.

§. IV.

Itaque ſi quis ſuæ Reipublicæ plenam perfectamque Notitiam comparare cupit, ei neceſſarium eſt, vt ſimul vicinarum, aliarumque res ac ſtatum cognoſcat. Sic v. g. homini Germano non ſolum neceſſaria eſt cognitio Imperii Germanici, ſed etiam regnorum Galliæ, Daniæ, Suediæ, Poloniæ, Hungariæ, ac Rerumpub. Heluetiarum, & Belgicarum; & propter Poloniam Regni Moſcouitici, propter Hungariam Turcici, propter hoc Perſici, &c.

§. V.

Neque poterit quis I V in deliberationibus & negotiis Reipublicæ ſuæ munere recte fungi, niſi variarum Rerumpublicarum cū veterum, tum præcipue recentiorum, Notitia inſtructus. Quomodo enim v. g. perſuadere potuerit, qui non eſt inſtructus variarum Rerumpublicarum exemplis, quibus doceat, hæc aut illa conſilia ſalutaria aut noxia fuiſſe, aut eſſe? vnde & Ariſtoteles ab eo, qui perſuadere velit, requirit, *vt mores & inſtituta gentium teneat.*

lib. I Rhet. cap. IIX.

§. VI.

Quinto, quemadmodum peregrinatio, ita & variorum Imperiorum Notitia, plurimum conciliat auctoritatis, & exiſtimationis, iis, qui in actu rerum verſantur. Eſt enim veluti domeſtica quædam peregrinatio. Auctoritatis autem quantus in omni vita, ciuili præſertim, ſit vſus, nemini poteſt eſſe ignotum.

§. VII.

Poſtremo, quanta ſit voluptas & delectatio, domi & in muſeo per vniuerſum orbem veluti peregrinari, & cuncta illius Imperia vno quaſi intuitu & accuratius multo, ſe-

Digitized by Google

ſecurius, & citius, quam ſi ipſe orbem circumeas, inſpicere & conſiderare, nemo facile verbis digne expreſſerit.

§. VIII.

Non diffitemur tamen I magis neceſſariam eſſe Notitiam propriæ Reipublicæ, quam exterarum; atque hanc poſteriorem non niſi ſecundario, & quaſi ex accidenti, requiri. II Exterarum non requiri plenam Notitiam, ſed, vt recte monet Conringius, ſatis eſſe, ſi illa earum haud ignorentur, quæ tuæ ciuitati vel obeſſe vel prodeſſe poteruntо: eoque, prout externæ Reſpublicæ magis minusve ad id faciunt, ita illarum Notitiam magis minusve vtilem vel neceſſariam eſſe. III Rectoribus quidem ciuitatis nihil ignorandum eſſe eorum, quæ præcipua ſunt in ciuitate ſua; niſi Rempub. perdere, & ſe prudentibus deridendos propinare velint: non autem id requiri in quolibet curatore Reipub. negotiorum, ſed ſatis eſſe, vt illius ciuitatis ſuæ partis plenam Notitiam habeat, quam ipſe curant. *l.c.p.240.*

CAPVT DECIMVM.

Tractationis nexus. Vtilitas Notitiæ huius pariter & neceſſitas repetita. Origo Imperiorum alia immediata, alia imediata. De immediata quærenti non reſpicienda ſola ratio & natura: cui conſentanea eſſe Imperia non negatur: quemadmodum nec illud, antiquiora maxime congrua eidem fuiſſe. Deus Imperiorum auctor eſt: ab eo fundamenta oeconomicæ, Eccleſiaſticæ & Politicæ Hierarchiæ;

electio regum; Imperia antediluuiana; qualia hæc inter pios iuxta & impios fuerint; Imperia prima poſtdiluuiana, qualia? variæ Imperiorum cauſſæ ſecundariæ. Anacephalæoſis dictorum de prima Imperiorum origine.

§. I.

QVæ in ſingulis Imperiis præcipue conſideranda eſſe diximus, intelligi ſatis & perſpici nequeunt, niſi de vnoquoque eorum explicatio terminorum, definitiones, differentiæ, & generales obſeruationes præmiſſæ fuerint. Id vero cum in ſpeciali Imperiorum tractatione fieri nequeat, videmur operæ pretium facturi, ſi in hac & in reliquis introductionis partibus ea omnia breuiter tradamus.

§. II.

Primam claſſem eorum fecimus, quæ ex Hiſtoria deſumi debent, eoque retulimus *Imperiorum ortum, incrementa, decrementa, mutationes, euerſiones* cum *Catalogis* & *Genealogiis Imperantium*. Horum enim exactior in ſingulis Imperiis cognitio ad controuerſias Principum & populorum cauſſas & prætextus prætenſionum, origines & fundamenta fœderum aut inimicitiarum, arcana & rationem ſtatus, ac eiuſmodi alia recte intelligenda & diſcernenda, non ſolum valde vtilis, ſed plane neceſſaria eſt. Nam in his omnibus ſæpiſſime rationes & fundamenta negotiorum ac controuerſiarum a ſuperiorum temporum rebus geſtis aut pendent aut arceſſuntur. Quare niſi quis cuiusque Imperii ſaltem ſummariam hiſtoriam animo teneat, plane penitusque cognoſci non poſſunt.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Deinde ad deliberationes quoque de præcipuis & grauioribus Reipub. negotiis earum rerum cognitio requiritur. Nam etſi,quæ iam præterierunt,non ſolent trahi in deliberationem, facit tamen haud parum ad deliberationem,iſthæc nouiſſe; quandoquidem perfrequenter in futurum probe conſulere haud poſſis, niſi noueris qua ratione vel conſtituta vel corrupta vel correcta antehac fuerint illa,de quibus forte nunc deliberatur. *Conring. de Ciu.Pr.cap. XII p.236.*

§. IV.

Denique quantum ad ciuilem prudentiam tum generalem,tum ſpecialem ciuitatis alicuius comparandam adiumenti adferat, quam item iucundum & viro politico dignum ſit,ſi quis norit,qua origine ſingula in ciuitate aliqua cœperint, quas mutationes paſſa ſint, vnde firmitudinem acceperint, quodnam denique noxæ aut commodi ciuitati attulerint, facile quis ex ſe intelliget.

§. V.

Origo Imperiorum alia *immediata* eſt, alia *mediata*. Illam voco, cum multitudo aliqua hominum primum in vnum corpus certasque leges & formam regiminis coit. Hanc,cum ex vno pluribusque imperiis iam ante conſtitutis ac fundatis, noua Reſpublica nouumque Imperium oritur.

§. VI.

Quænam *prima* ſiue *immediata Imperiorum Regnorumque origo* fuerit, vetus & peruulgata quæſtio eſt, ſed a pleriſque philoſophice potius, quam hiſtorice tractata, dum non tam in id inquiſitum eſt, quod reuera factum eſſet, quam quod naturæ & rationi maxime conſentaneum videretur, modo diſputandi e ſchola Platonis orto & paſſim ab aliis veterum vſurpato; quod præſertim de Ethnicorum

rum ſuper hac quæſtione Philoſophia dicendum, quæ meris coniecturis nititur, iisque tam variis, vt nonnunquam contraria affirmarint. Quanquam & Chriſtianorum nonnulli parem culpam incurrerunt, dum neglectis ſacris litteris e ſola ratione & fabulis Ethnicorum ortum regnorum inueſtigare ſunt conati.

§. VII.

Neque tamen nihil veritatis eorum placitis ſubeſt, maxime in iis, quæ de regibus aureæ ætatis, de regnis Heroicis, de imperiis iuſtitiæ fruendæ defenſionisque cauſſa conſtitutis, deque naturali hominum propenſione ad ciuilem ſocietatem philoſophantur. Veriſſimum enim eſt, imperandi parendique ordinem eſſe iuris diuini naturalis, eumque finem ſpectare, qui ſociali hominum naturæ maxime accommodatus eſt: puta iuris ſocietatem atque communionem, cuius obtinendæ cauſſa deligi debuerit optima ratio Imperii, tum conſtituendi, tum adminiſtrandi. Neque minus verum eſt, mitioribus & antiquioribus ſæculis plurimas gentes vſas fuiſſe eiusmodi forma Imperii, quæ cum ratione & natura hominis, quoad humana infirmitas patitur, præcipue conueniret. Sed hæc tamen profunditatem huius quæſtionis nondum exhauriunt; nec ad primam Imperiorum originem penetrant, quæ longe altius repetenda eſt.

§. VIII.

Sic ergo ea de re plerique ſaniores Politici pariter ac Theologi exiſtimant, *primam Imperiorum, poteſtatisque originem a iuſſu & ordinatione diuina legeque naturali arceſſendam eſſe.* Qui enim ſocietatem præcepit, is & ordinem ſocietatis præcepit, hoc eſt, ordinem imperandi & parendi; in minus perfecta quidem ſocietate Imperio marita-

ritali & paterno; in perfectiore, qualis eſt ciuitas, ciuili conſtituto. Quo pertinet quartum Decalogi præceptum; e cuius dictamine recte Chriſtiani Doctores omnem imperandi parendiq; ordinem arceſſunt: cum non ſolum ſacræ litteræ paſſim, ſed ipſa quoque natura, quod etiam Ethnici cognouerunt, pro parentibus haberi colique iubeat, quicunque aliis prouiſu imperioque præſunt. Videatur, præter Theologos, Bœclerus ad Grotii l. I cap. III, p. 197. & ſeqq.

§. IX.

Ab eodem diuino Numine fundamenta, vt Oeconomicæ & Eccleſiaſticæ, ita & Politicæ Hierarchiæ, ſub ipſa mundi incunabula in Paradiſo iacta ſunt; in quo etiam ſi non peccasſent primi homines, ordo tamen aliquis & quædam in officio conſulendi, eligendique relatio (quanquam longe alia, quam quæ nunc obtinet, tam imperantibus quam parentibus dura ac moleſta) futura erat; idque haud dubie ſub monarcha Adamo: quis enim dignior Imperio, quam vniuerſi generis humani auctor?

Bœcl. l. c. p. 200. ſeqq. Gerh. L. de Mag. Pol. c. III, S. 2.

§. X.

Ab eadem denique prouidentia diuina, vt humani generis ex vnica ſanguinis gutta in immenſum propagatio, ſic & inſtinctus ille fuit, quo ad ſocialem vitam ſuique conſeruationem primi mortales, excitati ab ipſa neceſſitate & egeſtate, ſibi præfecerunt, quos prudentiæ & iuſtitiæ laude præſtare animaduerterent.

§. XI.

Hunc ergo Dei naturæque iuſſum, hanc diuinam inſtitutionem, hunc naturæ inſtinctum ſecuti primi mortales, poſtquam in aliquam multitudinem excreuerant, in certas ciuitates diſtingui cœpere, quanquam alia ratione pii & fideles, alia impii Cainitæ. Ac inter fideles quidem

dem veriſimile eſt, poſtquam multiplicato genere humano familiæ diſperſæ ſunt (nam antea hauddubie Adamus ſicuti liberorum ſuorum Pater, & auditorum Paſtor, ita & familiarum Princeps fuit) ſingulas familias fuiſſe pro ſingulis Rebuspub. neque ample difuſſam exſtitiſſe formam imperandi, ſed pleraque auctoritate Principum familiæ ſiue Patriarchiarum tractata. Id quod facile fieri potuit, in tanta primorum hominum longæuitate: qui cum præterea & concubinis vterentur, aut ſaltem plures vxores ducerent, poſteri eorum in tantam multitudinem etiam viuentibus ipſis excreſcebant, vt ſpeciem Reip. conſtituerent. Itaque tum, ſaltem inter pios, moderatiſſimi & veluti patrii Imperii forma videtur obtinuiſſe, cuius iura & ſumma poteſtas penes DEVM eſſet, ſola adminiſtratione illius Patriarchis relicta, ad modum illius regiminis, quod Politicorum nonnulli *Theocraticum* vocant. Nam cum id poſtea in populo Iſraelitico diu duraverit, (vt ſcilicet iura Maieſtatis, proprie loquendo, penes ſolum DEVM remanerent, cuius oracula in cunctis negotiis ciuilibus, quæ quidem alicuius momenti eſſent, requirebantur;) non eſt, cur aliter obtinuiſſe exiſtimemus antiquioribus temporibus, quibus pariter diuinæ reuelationes & Patriarcharum familiarior cum DEO conuerſatio vigebat.

§. XII.

At in impiis Cainitis videtur violentius Imperium cœpiſſe cum ipſo Caino, peruerſæ gentis ſtirpe. Quem credibile eſt condita Vrbe, quam ab Henochi filii nomine appellauit, dominatum viuo adhuc Patre fundaſſe, mortuo roboraſſe, & filiis ſuis tradidiſſe. E quibus tamen,
l. XV de C. D. c. XX. iudicio D. Auguſtini, non ſemper primogeniti Patribus in regno ſucceſſere, ſed quos regnandi meritum, propter
vir-

virtutem, terrenæ ciuitati vtilem, vel ſors aliqua reperiret, vel ille potiſſimum hereditario quodam iure regnandi, quem præ ceteris filiis dilexiſſet. Ab his pleraque ab arbitrio & libidine imperantiū, præſertim proximis diluuio ſæculis peracta fuiſſe, credere nos iubet immanitas ſcelerum iſtius temporis, quæ DEVM mouit, vt totum genus humanum, paucisſimis exceptis, vniuerſali inundatione deleret. Nam inter ea & tyrannidem fuiſſe vix dubitare licet.

§. XIII.

Poſt diluuium ſub Noacho, velut altero humani generis conditore, nouum Imperium ſurrexit, cœlitus armatum gladio, legibusque, tum iis, quæ *Geneſ. IX.* recenſentur, tum, ſi vera ſunt, quæ Doctores Iudaici tradunt, ſeptem Noachidarum præceptis. De quibus videndi Pet. Cunæus *a*) aliique plures, ſed inprimis Ioan. Seldenus *b*) in Opere, De Iure N. & G. ſec. diſc. Ebræor. quo vniuerſam rationem primæui Noachidarum Iuris expoſuit. Huius imperii formam, credi par eſt, eandem fuiſſe, quæ inter pios ante diluuium obtinuerat, atque in Semi poſteris diu obtinuiſſe. Sed diſperſis poſtea Noachi poſteris, totumque orbem inter ſe partientibus, paullatim varia regna, Principatus, & Dynaſtiæ ſurrexerunt, anguſtis pleræque limitibus contentæ, ita vt ſingulæ fere vrbes ſingulos Reges haberent, donec nonnulli, ſiue dominandi cupidine, ſiue iniuriis laceſſiti, vicina imperia inuadere, ac vi atque armis ſubigere cœperunt. E quibus præcipuus fuiſſe dicitur Nimrodus, Chamita, qui vaſtum Imperium animo agitans, omnium nationum capita ſuo vnius ſceptro ſubiicere conatus, ingentem turrim ædificare cœpit, ſpecie quidem, vt operis gloria ædificantes maneret; ſed reuera, ſi piorum quorundam doctorumque hominum interpre-

a) *l. II de Rep. Ebr. c. XIX.*

tationem admittimus, vt homines diuturnis laboribus occupatos vnitosque detineret, ſibique magnifico opere auctoritatem pararet, & munimentum tyrannidis conderet: quod conſilium etſi linguarum confuſio intervertit; nihilo tamen ſecius paullo poſt a Nimrodo, ſi vera ſunt, quæ vulgo dicuntur, Imperium Aſſyriacum primum inter magna orbis Imperia fundatum eſt.

§. XIV.

His temporibus etſi plerique populi certis Imperiis ſubiecti fuerint, veriſimile tamen eſt, quosdam homines aut fuga tyrannidis, aut conſcientia ſcelerum, a ſe perpetratorum, metuque pœnarum, aut denique ob commodum aliquod conſequendum, in ſilvas ac ſolitudines confugiſſe, productaque numeroſa ſobole ſucceſſu temporis in tantum excreuiſſe numerum, vt totæ gentes feræ, & e latrociniis in ſiluis ac montibus viuentes, reperirentur. Inde enim potius factum crediderim, vt plures nationes ſine legibus & ordine degerent, quam quod antiquisſimi mortalium, vt nonnulli ſomniarunt, in ſiluis & agris ferarum ac pecudum more vagati fuerint, arborumque frugibus & glandibus victitarint. Hæ tamen gentes poſtea variis temporibus aliæ vi ſubactæ, devictæque, aliæ neceſſitate viuendi, vinculo religionis, ingeniorum ſimilitudine, aliisque causſis, in certum ordinem coierunt, & perfectum ciuitatis ſtatum conſtituere cœperunt, adeo vt hodie vix vllibi, quam in America forſan, & quidem interiori, terrisque incognitis, aliquam hominum multitudinem abque legibus & ordine viuentes reperias, eoque hoc ſæculo vix vlla Imperia immediate oriri poſſe.

§. XV.

Hæc *de prima Imperiorum origine*, quorum ſumma huc redit: I Imperia cum omnia, tum antiquisſima illa, ab in-

inſtitutione diuina eſſe, ac a Deo ipſo non ſolum conceſſa, permiſſa, approbata, ſed etiam in ſalutem humani generis ordinata & præcepta : II Prima omnium ex Iure Naturæ, hoc eſt, poteſtate parentum in liberos profluxiſſe, formamque ſuam deſumſiſſe, eo quidem modo, vt certis gradibus & progreſſionibus minorum ſocietatum ad maiores prodierint : III Eorum, quæ poſtea ſucceſſerunt, pleraque a neceſſitate ortum habere. Nam aucto hominum numero, cum omnibus ſuſtentandis ditiones iſtæ non ſufficerent, alii alias atque alias ſedes quærere coacti ſunt: IV Illa Imperia principio parua admodum fuiſſe, quod vnusquisque in finibus ſibi conſtituendis non ambitionis, avaritiæ aut voluptatum, ſed vnice ſuæ ſuorumque neceſſitatis rationem haberet: poſtea tamen ſuperbia, mutuis iniuriis, dominandi cupiditate, & avaritia, aliorum Imperia inuaſa atque ſubacta, atque ita factum, vt plura in vnum coaleſcerent : V Ex his rurſus cum nonnulli metu tyrannidis, aliasque ob cauſſas ſecederent, rurſusque coirent, alia noua Imperia enata eſſe.

§. XVI.

His Imperiorum cauſſis non male ſequentes addi poſſunt: I Diſſenſiones & iniuriæ domeſticæ, ob quas accidit, vt mortales eiusdem familiæ in factiones diuiſi, diſcederent in partes, agrosve & dominia, quibus antea communiter fruebantur diuiderent. Quo factum eſt, vt ſingulæ partes propria iurisdictione ac Imperio vterentur: II Iniuriæ ab aliis acceptæ, ad quas promtius commodiusque repellendas plures familiæ in vnum corpus coiuere: III Metus a potentioribus, qui itidem plures coniunxit, ciuilemque ſocietatem inire coëgit : IV Opum, atque diuitiarum ſtudium: V Spes conſilio & ope mutua res ſuas cuſtodiendi atque tuendi: VI Mobilitas vulgi, quæ ſupre-

Digitized by Google

mæ cuiusdam poteſtatis Imperio conſtringenda fuit: VII Quod priuati ſuis etiam rebus male vterentur: nam ideo rebus humanis conducibile viſum eſt, ſi modus propriis & priuatis rebus vtendi hominibus præſcriberetur.

§. XVII.

Falſum autem eſt, & partim Hiſtoriæ, partim & rationi repugnat, Imperia prima legitima non eſſe, etſi non ratione cauſſæ primæ, tamen reſpectu immediatarum cauſſarum, ſed violentum initium habuiſſe, ſeu vi coaluiſſe, quod viſum Bodino. *l. I de Rep. c. VI.* Neque colligere licet a Legum origine ad ipſum Imperiorum ortum, vt Arniſæus prolixe oſtendit. *l. Rel. Pol. c. I. S. III.* Falſum II, Imperia tantum eſſe inſtituta in remedium corruptæ naturæ. Nam etiam in ſtatu integritatis, vt ſupra diximus, *§. IX.* quoddam Imperiorum genus obtinuiſſet. Falſum III, Imperia tantummodo neceſſitatis & bene viuendi cauſſa primitus conſtituta eſſe, de quibus videatur Arniſæus. *l. c. S. I. §. VI & VII.* Falſum IV, Imperia eſſe tantum a Deo & Iure Naturæ ſuadente, ſiue permiſſiue & approbatiue, aut tacito Dei iuſſu, non autem præcepto; vt volebat Ferd. Vasquius, notatus & confutatus a Bœclero *a*) Quo etiam inclinare videtur Grotius *b*) & Lampadius *c*) qui non DEI præcepto, ſed ſponte, conſcientia infirmitatis ſuæ, homines in ſocietatem coiuiſſe volunt. Falſum V, homines initio in campis & ſiluis pecudum inſtar vagatos, poſtea per eloquentiam ad ſocietatem ciuilem perductos eſſe. Falſum denique VI, quasdam gentes primitus vixiſſe ſine vllo imperio & ordine. Neque idcirco Imperium non habuiſſe cenſendi ſunt, quod vrbes & pagos non inhabitarint. Nam & Germani Veteres, cum Principes & leges, atque communem Rempublicam haberent, per multa tamen ſæcula ſeparatim & in ſingulis tuguriolis habitarunt.

a) *ad Grot. l. I. p. 203. ſeqq.*
b) *Proleg. ad I. B. & P. p. IV. & l. I c. II. n. I.*
c) *de Rep. Rom. Germ. p. I. S. 3.*

CA-

CAPVT VNDECIMVM.

Mediata Imperiorum origo eſt ex aliis, iisque vel permanentibus; vel pereuntibus. An mutata forma regiminis, nouum Imperium naſcatur? An, ſi populus loco migrauerit; aut limites Imperii protulerit; aut ſi populus illuuie variarum nationum mutatus fuerit? hypotheſes de Imperiis proprie ſic dictis repetitæ & accommodatæ.

§. I.

SEcunda ſiue *mediata Imperiorum Origo* duorum eſt generum; vel enim permanent & perdurant ea Imperia, e quibus alia atque noua oriuntur; vel ortis nouis tolluntur atque intereunt.

§. II.

Prius his fere modis contingere ſolet: I Cum ex aliqua gente, ob abundantium hominum, locorumque anguſtiam aut paucitatem eorum, quæ ad vitam tolerandam ſunt neceſſaria, vel etiam ob tyrannidem Imperantium, diſcordias ciuiles, metum hoſtis potentioris ſibi imminentis, aliasque cauſſas aliqua multitudo hominum relicto ſolo patrio, nouas ſedes quærit, ibique nouum Imperium fundat. Quod olim creberrime factum, ac plerisque magnis Imperiis noſtri proximique temporis ortum dediſſe, hiſtoriæ docent: II Cum exercitus ex vna pluribusque gentibus, aut etiam a variorum populorum colluuie conflatus, ſub vno pluribusque Ducibus, parte aliqua terræ occupata, ſibi Imperium condit, ab eo, cuius antea

pars

pars fuerat diſtinctum, nec vllius Imperio obnoxium, id quod ſimiliter aliquoties factum legimus : III Cum colluuies variorum hominum e diuerſis Imperiis profugorum Duci cuidam ſe adſociat, eiusque ductu nouam Remp. conſtituit, vt factum ſub Romulo Romani Imperii fundatore : IV Cum multitudo aliqua claſſe profecta, in alias oras ſponte aut tempeſtate delata, vi armata, vel conſentientibus, qui eas regiones tenent, tractum aliquem terrarum ita occupat, vt libere; neque alterius poteſtati obnoxia viuat, qua ratione Troianorum Imperia in Italia prodierunt. V Cum aliquæ ciuitates aut Principes, qui antea magno cuidam Imperio ſubiecti, poſt ab illius poteſtate eximuntur, ac in plenam libertatem ſeſe adſerentes, a corpore ſuo veluti diuelluntur, & ſeparatim corpus conſtituunt; idque vel armata manu, vel certa pecuniæ ſumma perſoluta, vel denique ex gratia ſingulari, ac propter operam Imperantibus aut imperio fideliter nauatam. Ad iſtam rationem pleræque prouinciæ Europæ ab Imperio Germanico, Aſiaticæ & Africanæ a Romano, veteri ſcilicet, auulſæ ſunt. Eſt etiam, cum id ſola defectione fit, ſine bello, aut etiam certa transactione. Priori modo Luſitania cum annexis prouinciis ab Imperio Hiſpanico; Poſteriori nuper Pruſſia Ducalis a regno Poloniæ, Ducatus Slesuicenſis a regno Daniæ, vtroque quædam Respublicæ Helueticæ ab Imperio noſtro Germanico auulſæ, noua Imperia conſtituerunt.

§. III.

His omnibus modis nil amplius Imperiis, iam ante conſtitutis, decedit, quàm multitudo aliqua hominum, aut quædam vrbes prouinciæque; Imperia vero idcirco, & eadem quidem, quæ antea fuerunt, eſſe non deſinunt. At iis modis, qui ſequuntur, priſtina Imperia aut omni-

no,

no, aut ſaltem ſecundum ſpeciem, ſiue rationem corporis, vt Grotius loquitur, pereunt & alia eſſe incipiunt. Scilicet: I, cum, quæ vna ciuitas fuerat, ob diſcordias mutuas, aliasve cauſſas vel ſponte, & mutuo conſenſu, vel vi bellica diſſoluitur, & in diuerſas partes diuiditur, quarum ſingulæ poteſtate ſumma ſunt præditæ; vti factum eſt a ſucceſſoribus Alexandri Magni, in regno Macedonico: II, Cum vnum regnum aut principatus, ob pluralitatem heredum ſuccedentium in diuerſa regna ac principatus, quorum nullum ab alterius arbitrio dependet, diſpeſcitur. Quæ olim frequentisſima ratio fuit; hodie vero præcauetur, ſiue legibus regnorum fundamentalibus, ſiue vltima voluntate regnantium; ne cum diuiſione Principatus vis atque potentia Imperii diſſoluatur: III, Cum duo pluresve populi ac ciuitates ita vniuntur, vt in vnum corpus communionemque Imperii tranſeant: IV, Cum populus, qui ob peſtilentiam, ſeditionem, ſimilesque cauſſas diſceſſerat, aut vi ita fuerat diſtractus, vt rurſus in idem corpus, eandemque formam coire nequeat; quod interdum bellis fieri ſolet; aut totus, aut aliqua ſui parte in nouas leges, nouamque regiminis formam coit. *II de I.B & P. IX. § III*

§. IV.

Secundum Ariſtotelem tum quoque nouum Imperium naſci dicendum eſt, cum ciuitas formam regiminis mutat, ac v.g. regnum in Ariſtocratiam, hæc in popularem ſtatum migrat. Nam, *ſiquidem communio quædam ciuitas eſt*, inquit, *cum ciuitas diuerſa redditur ſpecie, Reſpub. variatur; neceſſarium eſſe vtique videtur, & ciuitatem non eſſe eandem, quemadmodum & chorum quandoque quidem comicum, quandoque autem tragicum; diuerſum eſſe dicimus, iisdem ſæpe perſonis exſiſtentibus.* Ariſtotelem ſequitur & Feldenius *a)*, Contra Grotius *b)* negat, refer- *l. III Pol. c. 1.*

a) ad Grot. l. II c. IX. § 8.
b) c. l.

re, quomodo gubernetur ciuitas, regione, an plurium, an multitudinis Imperio: eundem enim eſſe populum Rom. ſub regibus, Conſulibus & Imperatoribus. Immo etiam ſi pleniſſimo iure regnetur, populum eundem fore, qui antea erat, cum ſui iuris eſſet; dummodo Rex ei præſit, vt caput iſtius populi, non vt caput alterius populi. Nam Imperium, quod in Rege eſt, vt in capite, manet in populo, vt in toto, cuius pars eſt caput. Quam ſententiam ſequitur & Auctor *a) Iuris & Iudicii fecialis*. Addatur Bœclerus, *b)* cuius iudicio ciuitas, vt eadem ſit, non debet Monarchiæ, Ariſtocratiæ, & ſic deinceps, ſed eſſentiali formæ, id eſt, ordini imperandi & parendi, ſiue Imperio ſiue Maieſtati, nondum ita conſideratæ, vt in vno & pluribus exiſtit; quod ad formas accidentales pertinet. Et certe niſi verior eſt hæc ſententia, tutior ſaltem & inſtituto noſtro accommodatior eſt. Nam cum plerorumque Imperiorum regimen paullatim & veluti inſenſibiliter mutetur, ſi tum alia facta dicenda ſunt, initium cuiusque & interitus exacte definiri non poterunt.

a) part. II S. II qu. VII
b) de eo, quod ciuit. egit. p. 5.

§. V.

Sed neque tum nouum Imperium oritur, ſi loco migrauit populus, ſiue ſponte ob inediam aut alia mala, ſiue coactus; modo ſpecies corporis permaneat, neque diſſoluatur communio iurium & legum, quibus populus & ciuitas ita continebatur; quod tamen de toto populo aliquo accipiendum eſt. Nam ſi pars eius, etſi magna, immo potentiſſima, alio ſe transferat, nouum Imperium oriri ſupra diximus. Quanquam non facile inuenietur exemplum ciuitatis pluribus nationibus, vrbibus aut pagis conſtantis, quæ tota proprio auſpicio, arbitrioque alio conceſſerit, vt recte a Bœclero annotatum. *l. c.*

§. VI.

§. VI.

Multo minus noua orietur ciuitas, ſi contrahatur aut *l. c. p. 32.*
amplificetur locus, aut diſiungatur interuallis; quemad-
modum nec, ſi ſedes Imperii alio transferatur. Quam-
quam hoc poſterius haud raro via aut omen fuerit noui
Imperii.

§. VII.

Poſtremo, neque tum nouum, & a priori diuerſum
Imperium oritur, cum populus aliquis variarum natio-
num illuuie corrumpitur, & ſplendorem, potentiam,
mores ac leges priſtinas amiſit. Quare, quod Piſo, apud
Tacitum, Athenienſes ſui temporis, non Athenienſes, tot *Ann. II cap. LV.*
cladibus exſtinctos, ſed colluuiem nationum haberi *Grot. l. c.*
vult, in eo cauſſæ inſeruit, atque odio locum dat. Offen- *§. III.*
ſus enim erat, vt Tacitus mox ſubiicit, propria quoque
ira, quia Theophilum quendam, Areopagitarum iudicio
falſi damnatum, precibus ſuis non concederent.

§. VIII.

Ex iis, quæ ſuperius diximus, apparet, etiam aliis qui- *Cap. III*
busdam caſibus non ſtatim oriri nouum, aut aliud Impe- *§. XI ſeq.*
rium, etſi id cuidam primo intuitu videri queat, vt: I, quan-
do ciuitas aliqua, Principatus, Comitatus, aut Dynaſtia
fit liber Imperii Germanici Status: II, Cum plura regna, *§. XIX.*
aut Principatus, commune aliquod caput, ſcilicet Regem
vnum, adipiſcuntur, ita tamen, vt neutrum ab alterius ar-
bitrio pendeat: III, Cum diuerſa imperia arcto fœdere *§. XX.*
in vnum ſyſtema coaleſcunt: IV, Cum coloniæ deducun- *§ XXV.* *§ XXII. ſeq.*
tur, quæ agnoſcunt Imperium vrbis aut Reipub. matricis:
V, Cum duo Imperia fœdus inæquale inter ſe coëunt, aut *§. XXX ſeq.*
alterum alterius patrocinio ſe permittit: VI, Quando ali-
cui confertur pars, aut prouincia Imperii alicuius in feu-
dum ita, vt is pro arbitrio poſſit regere, nec in adminiſtra-

tione illius vllo modo dependeat a conferente, nec ſubditus ſit illius. Idem exiſtimandum eſt VII de Imperiis a forma recta in prauam ſiue corruptam, v.g. a regno in tyrannidem, Ariſtocratia in Oligarchiam; aut corrupta in rectam, vt e tyrannide in Ariſtocratiam, aut Democratiam transeuntibus. Itemque VIII, quando duo aut tres vni alicui Imperio, diuiſis inter ſe prouinciis eius, vna præſunt, idque communi nomine adminiſtrant, vt factum a Diocletiano, & Maximiano, a filiis Conſtantini M. &c. Denique IX, ſi pars aliqua Imperii rebellet, & ad tempus Regis ſui Imperio ſe ſubtrahat.

CAPVT DVODECIMVM.

Incrementa Imperiorum eueniunt vel quoad amplitudinem, vel quoad potentiam & opes. De incrementis ſcriptores Syſtematici & particulares.

I §.

INcrementa Imperiorum voco, cum ditionibus & amplitudine prouinciarum, aut etiam opibus & potentia augentur & creſcunt. Pleraque enim Imperia ſub ortum ſuum anguſtis admodum limitibus continentur, potentiaque & opibus parum valent; ſed ſucceſſu temporis viribus atque prouinciarum numero augentur, & in magna ſæpe Imperia euadunt, idque variis modis ac titulis, quorum præcipuos breuiter recenſebimus.

§. II.

Ditionum amplitudo augetur, cum priſtino territorio nouæ regiones, prouinciæ, dominia vrbesque accedunt. Id quod his fere modis euenire ſolet: I, *vi bellica*,

cum

cum hoſtium ſiue quæſitorum, ſiue ſponte ſe offerentium ditiones, victis illis, in victoris poteſtatem, ſiue inuitis prioribus Dominis, ſiue per transactionem pacificam transeunt: II, *Spontanea ſubiectione*, cum ſe defenſionis gratia potentiori dedit aut ſubiicit ciuitas, ſiue ſtatus aliquis inferior, quod videat alia ratione incolumitatem ſuam ſe tueri non poſſe; quod interdum fieri Grotius docet. III, *Matrimoniis* cum aliis Principibus, vel eorum liberis, fratribus aut ſororibus, aut cognatis contractis: qua ratione Gallica potisſimum & Auſtriaca potentia creuit: IV, *Coniunctione*, cum alterius Imperii Princeps in Regem electus, ſuas ditiones cum eo Imperio, cuius Rex fit, coniungit vera vnitate, eidemque, vt vulgo loquuntur, incorporat: ſic per Iagellonem, Ducem Lithuaniæ, a Polonis Regem electum, Lithuania Poloniæ accesſit: V, *Emtione*, cum ciuitas, aut Princeps, pecunia ad res gerendas tuendumque ſtatum ſuum indigens, partem ditionum ſuarum alteri vendit. Cui rationi affinis eſt oppignoratio, qua, quæ in alterius Principis aut Reipublicæ poteſtatem transeunt, ditiones aut vrbes, vix vnquam ad Dominum ſuum redire ſolent, id agentibus creditoribus, vt ſemper aut impediatur debitor, ne creditam pecuniam posſit reddere, aut ſibi prætextus in promptu ſint, cur reſtitutionem differant, aliquando & ipſorum oppignorantium voluntate ſuſpenſa reſtitutione: VI, *Occupatione*, cum in nouas regiones vel derelictas, aut incolis vacuas, quales hodieque plures in Africæ, Aſiæ & Americæ inſulis reperiuntur; vel ab aliis habitatas, pulſis ſesſoribus antiquis, coloniæ deducuntur; qui modus olim Athenienſium & Lacedæmoniorum, hoc & ſuperioribus ſæculis Hiſpanorum, Luſitanorum, Anglorum & Belgarum potentiam plurimum promouit, certe vires Hiſpanicas potisſimum ſuſtentat: VII, *per auxilia ſociis lata*;

I de I. Bel. P. III, §. 8.

Sprenger. in Bono Pr. dx. VI.

quorum hoſtes ſubiugati ſæpe in illorum poteſtatem concedunt, qui auxilium tulere : quomodo Cicero ait, *Populum Rom. ſociis defendendis terrarum omnium potitum eſſe*: VIII, *Per ſuppreſſionem ipſorum ſociorum*, & fœdera inæqualia; quæ, vt etiam ſupra monuimus, plerumque hic effectus ſequitur, vt infirmiores ſocii tandem in poteſtatem potentiorum concedant, quod olim Romanorum ſociis, in Italia, aliiſque pluribus euenit. IX, *Vicinorum ruina*; ſic e ruinis Babylonicæ Monarchiæ Perſica, e Perſicæ ruinis Græca, e Græcæ Romana, denique ex huius imminutione Turcica creuerunt.

cap. III. §. XXIII.

§. III.

Potentia & opibus creſcunt Imperia per *conceſſionem libertatis & immunitatum; per admiſſionem peregrinorum ad honores & Magiſtratus; per varietatem ſtudiorum & artium in ciuibus; per ſtudium armorum; per commercia & nauigationes in regiones externas; per concordiam ciuium inter ſe & cum vicinis; per fœdera cum principibus populiſque aliis.* De quibus aliiſque modis augendi potentiam Imperiorum commodius dicetur inferius, cum exponemus, in quo illa conſiſtat, quibuſque partibus abſoluatur.

§. IV.

De incrementis Imperiorum, qui plura cognoſcere deſiderat, ei, præter Scriptores Syſtematum Politicorum, legendi ſunt peculiares hac de re auctores, quales ſunt Renatus a Luſinga, in libris III *de incremento, conſeruatione & occaſu Imperiorum*, Gallice ab eo conſcriptis; ſed ab Hieronym. Naſello in Italicam, a Iac. Geudero in Linguam Latinam, denique a Ioan. Frederico Furtenbachio in Germanicam, diſſimulato auctoris nomine, translatis, ac ſub titulo : *Metamorphoſis Regnorum & Rerumpublicarum*, Francofurti, ∞ Iↄc LVI, impreſſis; item Duretus in eiuſdem

dem argumenti opere Gallico; Ioan. Boterus in libris III delle cauſe della grandezza delle città, ſiue, *de cauſsis magnitudinis ciuitatum*; libris eius *della Ragion di ſtato* ſiue *de ratione ſtatus* ſubiunctis; Hippolytus a Collibus, in libro *de incrementis ciuitatum*, paucis abhinc annis a Chr. Heroldo Germanice edito & alicubi aucto; Chriſtophorus Beſoldus, in Tractatu de *Incrementis Imperiorum, & eorum amplitudine procuranda.*

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

Decrementa Imperiorum, quoad ditiones & potentiam per imminutionem incolarum, opum, vrbium & propugnaculorum; armorum & fœderum. Cauſæ decrementorum præcipuæ. Scriptores de iis præter Syſtematicos particulares. An & aſtrorum influxu decreſcant aut euertantur Imperia? Gasſendus laudatus.

§. I.

D*Ecrementa Imperiorum* appello, cum vel ditiones aliquas partemque territorii ſui amittunt; vel potentia, opibus & ſplendore decreſcunt. Habent enim hoc pleræque omnes Reſpublicæ, vt poſtquam ad aliquod faſtigium potentiæ & amplitudinis euectæ ſunt, varias ob cauſſas, plerumque paullatim, & fere inſenſibiliter, interdum & ſubito, imminuantur, tandemque plane concidant.

§. II.

Ditiones Imperiorum partim iisdem modis, quibus eas

eas augeri diximus, partim & aliis amittuntur. Nempe: I *Bello*, cum aliqua pars Imperii vi ab hoſtibus occupata eadem vi retinetur, ab eoque Imperio, cuius antea pars fuerat, ſiue in perpetuum, ſiue per longum aliquod tempus, auellitur; qua ratione frequentisſime Imperia imminuuntur: II, *Transactione* inter eos, qui hoſtes fuerunt, aut etiam inter alios inita: quomodo nuper Alſatia ab Imperio Germ. pars Belgii Hiſpanici, cum comitatu Rusſilionenſi, ab Hiſpanico auulſa, Regi Galliæ; Prusſia Ducalis, Electori Brandenburgico ceſſit: III, *Rebellione* aut *ſeditione* quorundam ſubiectorum, ſiue alteri Principi Reique publicæ ſponte ſe dedentium, aut plane in libertatem ſe vindicantium: IV, Per *matrimonia* filiarum regiarum & principalium, cum aliis Regibus Principibusve contracta, quibus interdum dotis loco ita conceditur pars ditionum, vt a concedentis Imperio, aut abſolute, aut ſub certis conditionibus ſeparetur. Exempla pasſim in hiſtoria Gallica & Hiſpanica exſtant; V, *Teſtamento*, cum ditiones aliquæ alteri Principi populove legantur, quo pacto populus Romanus aliquot regnis Aſiæ potitus eſt: VI, *Diuiſione* in plures heredes, ita facta, vt ſinguli ſupremum Imperium obtineant: VII, *Venditione*; cum accepta pecuniæ ſumma aliqua pars Imperii aut venditur alteri Principi vel Reipub. aut libertati ſuæ permittitur. Sic Florentia 6000. Ducatorum, Luca 12000. ſub Rudolph. III Imperatore, Sena ſub Henrico V Imperatore ſe exemiſſe dicuntur. Eadem ratione regnum Arelatenſe ad Reges Galliæ tranſiit: VIII, *Oppignoratione* vnius aut plurium prouinciarum, necesſitatis, luxus, aliave cauſſa facta. Niſi quod hoc caſu dominium, ſi ius ſpectemus, penes oppignorantes remanet: IX, *Exemtione gratioſa*; quomodo nonnulli Venetos per

pe-

peculiare priuilegium Imperio Romano exemtos iactant: X, *Donatione*; quo titulo plurimas Italiæ prouincias Papæ Romani tenent: XI, *Auctoritate Paparum & eorum Banno*, ſiue excommunicatione Eccleſiaſtica; qua factum eſt, vt plures prouinciæ ab Imperio Romano decerperentur; inprimis Italia fere tota, quam cum viderent Imperatores Germanici, ſe aduerſus Pontifices tueri non poſſe, tandem illis relinquere coacti ſunt. Eadem ratione maxima pars regni Nauarræ ad Caſtellæ Reges translata: XII, *Liberatione prouinciarum ab hoſtibus inuaſarum, per alios, quam legitimos Dominos, facta*; quo titulo Hiſpaniæ Reges varia Hiſpaniæ Regna poſſident, a Saracenis & Mauris ſine vlla Imperatorum Germanicorum ope recuperata.

III.

Potentia & opes, quique ab his pendet ſplendor Imperii, tum maxime decreſcunt, cum multitudo incolarum, reditus & theſauri publici, facultates priuatorum, numerus & amplitudo vrbium, ac propugnacula, apparatus armorum ac fœdera cum aliis Principibus populisque imminuuntur.

§. IV.

Incolarum numerus imminuitur, cum eorum magna pars, aut omnino deletur, quod fieri ſolet inundatione, terræ motu, ferro hoſtili, fame, peſte, aliisque morbis apodemicis, incurſione beſtiarum, ſæuitia Imperantium, aut miniſtrorum, aut ob metum belli, peſtem, famem, nimias exactiones, tyrannidem Principum, vim religioni illatam, ſimilesque cauſſas, ſolum vertit, atque alibi ſedem figit.

§. V.

Publicæ priuatæque opes imminuuntur ſumtibus bellicis maioribus, quam res ferunt; prodigalitate Impe-

O ran-

rantium largitionibus non neceſsariis, nimio ædificandi ſtudio, abitu ciuium multorum, facultates ſuas alio transferentium, ſterilitate agrorum, inundationibus, incendiis, terræ motibus, crebra importatione rerum ad luxum facientium, neglectu commerciorum cum exteris, aut eorundem decremento a nimia multiplicatione vectigalium, ſuperbia & inhumanitate incolarum, mutationibus portuum, aliisque cauſſis profecto.

VI.

Vrbium & propugnaculorum multitudinem, robur, ſplendorem, & celebritatem ferme eædem cauſſæ imminuunt: incendia, inundationes, terræ motus, ſæuitia hoſtium, negligentia Magiſtratuum, imminuta frequentia incolarum, aut paucitas peregrinorum commeantium, mutatio alueorum & portuum.

§. VII.

Armorum apparatui potisſimum officiunt negligentia & ſocordia imperantium aut præfectorum, ignauia & luxus ſubditorum, inopia publica, &c.

§. VIII.

Fœdera denique tolli atque imminui ſolent perfidia, ſuperbia, vicinorum odiis, hoſtium multitudine & potentia, &c.

§ IX.

Cauſſæ decrementorum tam variæ ac prope infinitæ ſunt, vt fruſtra futurus ſit, qui cunctas ſe recenſere breuiter exiſtimet. Inter præcipuas hæ ſunt: I, Communis conditio rerum humanarum, ceterarumq; ſublunarium, variis mutationibus obnoxiarum, & cum ad ſummum faſtigium peruenerunt, recedentium: II, Abſtruſa quædam ratio prouidentiæ diuinæ, ad cuius arbitrium maxima quandoque Imperia vix quoquam ſuſpicante, inſigniter

ter decreſcunt : non quidem ex abſoluta Dei voluntate, ſed ob merita hominum aut aliquod Eccleſiæ bonum, nobis incognitum : III, Religionis immutatio aut contemtus, quem etiam Ethnicorum potentiæ nocuisſe, docet Machiauellus. *l. I de Rep. Diſc. XII.* De plerisq; autem magnis Imperiis idem prolixe oſtendit Tho. Bozius in libris VIII *de ruinis gentium & regnorum.* Idem interdum efficit nimius ardor & violentia in propaganda religione : IV, Diſſenſus internus partium Reip. a quo ſeditiones, factiones, bella ciuilia, proditiones oriuntur : V, Nimia Imperiorum amplitudo; quæ, cum Imperantium ambitio terminos reſpuat, latiusque quotidie fines Imperii proferre conetur, tandem paullatim imminuitur. Principes enim & populi, qui ad quæuis continentia occupanda animum appellunt, nihil immotum & æternum Imperio ſuo polliceri posſunt : VI, Nimia felicitas publica, & omnium rerum bonarum abundantia; quam plerumque, dum homines fortunæ magnitudine abutuntur, comitantur corrupti ciuium mores, ſequitur fortuna inclementior : VII, Imperantium, magiſtratuum, aut miniſtrorum iniuſtitia, tyrannis, oppresſio pauperum, luxuria, libidines, arrogantia, crudelitas, perfidia, mollities & puſillanimitas : VIII, Inſolentia & audacia procerum, qui cum ſe vident præ aliis coli a ſubditis, & æſtimari, facile aduerſus Rempub. aut Principem conſpirant : IX, Nimia ſubditorum licentia, legumque & magiſtratuum reuerentia & grauisſimorum ſcelerum impunitas : X, Negligentia magiſtratuum & imperantium non attendentium ad ea, quæ ad tuendam augendamque potentiam & ſplendorem imperii faciunt : XI, Nimia tributorum exactio, quæ animos nunquam non exacerbat, ſubinde & ſubditos expellit : XII, Neglectus disciplinæ militaris ac togatæ, vnde tumultus & ſeditiones

Digitized by Google

nes naſcuntur : XIII, Honorum ac præmiorum diſtributio neglecta, & inique aut imprudenter exercita: XIV, Nimia ſecuritas ac fiducia virium ſuarum, qua hoſtibus ianua aperitur, occaſionesque cauendi negliguntur : XV, Neglecta defenſio ſubditorum aduerſus iram externam, aut iniurias procerum, ac miniſtrorum : XVI, Exterorum temera irritatio, aut in auxilium aduocatio. Hi enim plerumque partem prouinciarum auferunt: XVII, Odium ſubditorum aduerſus Principes, Magiſtratus aut primarios Miniſtros : XIIX, Contemtus Principis ob eiusdem vitia, ſenectutem, orbitatem: XIX, Immatura Principum ætas, qua plerumque vicini aut proceres ad iniurias inferendas abuti ſolent : XX, Diuturnior abſentia Principis ab Imperio aut ſede Imperii, commodisſima inuaſuris, aut noua molientibus occaſio : XXI, Interregnum; quo nihil aptius ad tumultus & exterorum iniurias: XXII, Vicinorum ambitio & cupido fines Imperii ſui proferendi; qua inſtructi, vicinorum prouinciis ad quascunque occaſiones vi vel fraude imminent : XXIII, Lites heredum in Imperio ſuccedentium ſuper ſucceſſione & prouinciarum diuiſione, aut modo eas tenendi : XXIV, Vicinorum Principum aut populorum inhumanior tractatio & contemtus.

§. X.

De his aliisque decrementorum cauſſis plura paſſim, tum prolixiores Syſtematum politicorum ſcriptores, Pet. Greg. Toloſanus *in Syntagm. Polit. lib. XXI & XXII*; Ioan. Chokier *lib. VI Theſauri Aphoriſmorum Politicorum, &c.* tum qui diſcurſus, obſeruationes, digreſſionesque & quæſtiones Politico-Hiſtoricas ſcripſerunt; in his Ge. Richterus *in Axiomatibus Politicis*; Ioan. Loccenius in Tractatu,

tu *de periodis Imperiorum*; Renatus de Luſinga, in Tractatu ſupra laudato, *de Incrementis Imperiorum, &c.* tradunt.

§. XI.

Addunt nonnulli influxum Aſtrorum, quo, præſertim per coniunctiones magnas Planetarum, per Solis apogeum, aut varias configurationes cum Marte, Joue & Saturno, Imperiis, maxime maioribus, damnum & imminutionem afferri volunt. Sed cum adhuc omnis iſta vis aſtrorum incerta, ac hodie ſummis etiam Aſtronomis ſuſpecta ſit, ideo incertum eſt, Imperia per eorum varios adſpectus ac poſitus imminui, mutari aut euerti: vt etiam iure dubitetur, an ſaltem iis præſignificentur huiusmodi euentus. Videnda inprimis, quæ de totius Aſtrologiæ incertitudine, poſt Ioan. Picum Mirandulanum, in libris XII *aduerſus Aſtrologos*, Ben. Pererium libro II *Commentar. in Geneſin*, Paullum Merulam lib. II *Coſmographiæ generalis cap. XVI*, Ger. Ioan. Voſſium *Theologiæ Gentilis lib. II c. XLIIX*, Ioan. Barclaium *lib. II Argenidis*, aliosque plures, nuper ſolide & prolixe diſputauit Petrus Gaſſendus, ſummus ætatis noſtræ Philoſophus, & Aſtronomus excellentiſſimus, *Epicuri ſui* ſiue *Syſtematis Philoſophiæ Epicureæ*, & denuo diſtinctius & accuratius lib VI Phyſ. ſect. 2 Cuius aliorumque ſolidisſimas rationes minime, noſtro quidem iudicio, euertunt, quæ pro Aſtrologiæ veritate ac certitudine nuperrime attulit Io. Bapt. Morinus, in vaſto opere *Aſtrologiæ Gallicæ, propriis Principiis & rationibus ſtabilitæ*, quæ Hagæ Comitum prodiit. Idem exiſtimandum de Eclipſibus & Cometis, quibus & ipſis decrementa Imperiorum nonnulli magnam partem tribuunt, niſi quod de Cometis negari nequit, eos aliquando magnam mutationem agris & arboribus corporibusque humanis inferre. *Arniſ. lib. II Doctr. Pol. cap. II.*

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

Euerſio Imperiorum tribus potiſſimum modis contingit. Cauſſæ ſunt eædem, quæ decrementorum. Mutationis vox latioris ſignificatus; quid heic notet & quomodo differat ab euerſione Imperiorum? de ea ſcriptores.

§. I.

EVerſionem ſiue interitum regnorum, Imperiorum, ciuitatum, ſtatuum & Rerumpub. voco, cum pereunt, & talia eſſe deſinunt.

§. II.

Intereunt autem tribus modis, vel enim ipſum corpus plane exſtinguitur, vel fit alterius pars, vel denique in varia imperia diuiditur. Corpus ipſum plane tollitur I, Cum populus aliquis ſeparatum Imperium conſtituens exſtinguitur, v.g. cum mari abripitur, terræ motu aut chasmate hauritur, aut ſponte ſe internecioni dat; aut cum plane interficitur, vt Bizantino populo factum a Seuero. II, Cum populus aliquis abducitur in ſeruitutem, vt factum Iſraëlitis & Iudæis per Asſyrios & Babylonios, & Iudæorum reliquiis per Veſpaſianum: III, Cum Imperium aliquod in Anarchiam degenerat, ſublato diſcrimine imperantium & parentium, vt Syracuſis factum poſt mortem Dionis: IV, Cum imperium aliquod diſſoluitur, eiusque ciues in varias oras ſparguntur, vt poſt excidium Troiæ factum a Troianis, qui partim aliis Imperiis, vt partes acceſſerunt, partim noua Imperia fundarunt.

Grot. II de I. B. & P. c. IX §. IV.

Arniſ. II Doct. Pol. c. I.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Pars alterius Imperii fit ciuitas: I, cum in aliam ciuitatem adſcita particeps redditur iurium & priuilegiorum illius ciuitatis; quomodo Sabini & Albani Romano Imperio iuncti ſunt: II, Cum populus liber adſciſcitur in aliam ciuitatem, pluribus ordinibus conſtantem, ita, vt ſit pari cum illis iure: III, Cum in mixto ſtatu ciuitas libera venit in partem mixtionis, & quædam iura Maieſtatis poſſidet: IV, Cum Imperium aliquod in formam prouinciæ redigitur, aliisque legibus viuere cogitur.

Bæcl. de eo quod. ciu. eg p. 34.

§. IV.

In plura diuiditur aliquod Imperium: I, ſi diuidatur inter plures heredes, quorum ſinguli ſumma poteſtate gaudent: II, Si ob diſcordias mutuas, vel vi bellica in plures partes, quarum ſingulæ ſui penitus iuris ſint, diſſiliat: III, Si mutuo conſenſu a ſe inuicem diſcedant, qui antea vnum corpus conſtituebant.

§. V.

Non autem interire exiſtimanda ſunt Imperia I, ſublata Imperii ſede. Sic Carthaginienſium Imperium manebat, etſi vrbs incenſa: II, Si transferatur populus in alium locum: III, Si vniantur plures ciuitates tantummodo per modum arctioris fœderis, non autem per veram vnionem: IV, Si Respub. e recto ſtatu in corruptum tranſeat; hæc enim mutatio tantum non interitus Reip. eſt: V, Si mutet formam regiminis. Nam eo caſu, vt ſupra diximus, non oritur noua Resp. VI, Si Respub. aliqua fiat alteri tributaria & vectigalis: VII, Si alteri iungatur fœdere inæquali, aut in eius clientelam concedat: VIII, Si ab altera ciuitate, aut Principe præſidium in ea conſtituatur: IX, Si leges alterius ſponte admittat.

Arniſ. l. c.

Bæcl. c. I.

§. VI.

Digitized by Google

§. VI.

Cauſſæ euerſionum fere eædem, quæ decrementorum, proinde de illis conſulendi, quos præcedenti capite laudauimus.

§. VII.

Mutationis vox, cum de Imperiis vſurpatur, aliquanto latius accipitur, ita vt etiam corruptiones euerſionesque eorum deſignet; quo ſenſu mutationum alia ita fieri dicitur, vt ciuitas maneat eadem, alia, vt non maneat eadem, alia denique, vt plane deſinat eſſe ciuitas.

§. VIII.

Nobis hoc loco eſt, cum forma regiminis in aliqua Repub. mutatur.

§. IX.

Differt itaque mutatio proprie dicta a corruptione & euerſione. Corrumpi enim dicitur ciuitas, cum in fine ciuitatis deſtinando error committitur, aut, quod ſemel bene conſtitutum eſt, abrogatur, aut, quod rectum eſt, labe afficitur: adeoque corruptio non tam mutatio eſt ipſa, quam occaſio & cauſſa, & omen ac principium mutationis. Euerſio autem plane tollit Remp. ſiue facit, vt vel non ſit omnino, vel alia eſſe incipiat.

§. X.

Ceterum de mutationibus Rerumpub. diligenter inprimis & accurate agit Ariſtoteles lib. V Politicorum: cuius doctrinam prolixius exponunt, præter interpretes, Arniſæus *l. II Pol. c. I, II, & III.* Heiderus *in Syſtemate Philoſophiæ Politicæ c. VII.* Toloſanus *lib. XXII. de Repub.* Gabriel Zinanus *lib. VI de ſtatu Reipub.* Ludou. Septalius *de Ratione ſtatus cap. VIII, ſeq* aliique plures.

CA-

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

De Imperiorum progreſſu & mutationibus obſeruationes variæ. Cauſſæ mutationum diſtinguendæ ab occaſionibus, & morbi Imperiorum a ſymptomatibus. Decrementa Imperiorum fere ortui eorundem reſpondent. Sunt ſui plerisque Imperiis limites. An & certæ periodi annorum numero definitæ? Deciſio quæſtionis. An quibusdam Principibus aut familiis certi numeri; Imperiis vero certæ Principum genituræ fatales ſint? Imperiis fatalia nomina Principum fundatorum.

§. I.

PORro de vtrisque tam incrementis, decrementis, euerſionibus, quam mutationibus Imperiorum operæ pretium videtur nonnulla addere. Primo ergo diſtinguendæ ſunt accurate mutationum, decrementorum & euerſionum cauſſæ ab earum occaſionibus Nam Imperia ſæpe leuisſimis occaſionibus, vt plurimis exemplis Ariſtoteles oſtendit, imminuuntur aut conuertuntur; *Pol.l.V &c.* quibus tamen proprie mutationes iſtæ tribui non posſunt, ſed potius cauſſis veris, morbis ſcilicet & ſymptomatis, quibus iam ante infecta fuerant. Sic olim Romæ regia poteſtas occaſione ſtupri Lucretiæ illati; Decemuiralis occaſione iniuriæ ab Appio Claudio virgini factæ, ſublatæ ſunt: vtriusque tamen mutationis veræ cauſſæ fuerunt diu ante exercita crudelitas & ſuperbia Tarquinii Regis &

Decemuirorum. Similiter Heluetiorum pagi ab Imperio Germanico occaſione pilei, quem iudex quidam palo in loco publico impoſitum ſua vice honorare præceperat, pœnæque Guilielmo Tello irrogatæ; ſed reuera ob Auſtriacorum iudicum diu ante exercitam ſuperbiam & petulantiam deſciuerunt. Quamquam interim negari nequit, interdum vice verſa res leuiculas primam mutationi occaſionem præbere, ac grauiores cauſſas trahere. Similiter a morbis ipſis Imperiorum diligenter diſtinguenda ſunt eorundem ſymptomata. Id enim niſi fiat, neque vera mali cauſſa indagabitur, & remedia erunt tantum curationis pallatiuæ, vt Medici loquuntur, hoc eſt, diſſimulabitur, & aliquamdiu tegetur corruptus & inclinans Reipublica ſtatus, non autem plane cauebitur aut tolletur.

§. II.

Deinde animaduerſum eſt, decrementa, mutationes & euerſiones Imperiorum plerumque reſpondere eorum ortui, & incrementis, citiusque mutari & euerti, quæ celeriter prodierunt; tardius, quæ paullatim creſcendo, tempus aliquod conſumſerunt. Id quod exemplo Gallorum & Hiſpanorum in regno Neapolitano, & ducatu Mediolanenſi Renatus de Luſinga illuſtrat.

lib. III c.2
n.3.

§. III.

Eſt & illud III a quibusdam annotatum, ſolere pleraque, etiam maxima Imperia ſuos veluti fatales habere limites, vltra quos feliciter progredi potentiamque ſuam producere nequeant, quidquid etiam nitantur. Atque hæc eſt diuina illa ὁροθεσία in Sacris deprædicata. Sic quoties Aſſyrii & Perſæ vltra Helleſpontum, Romani vltra Euphratem, aut Tigrim progredi auſi ſunt, infeliciter rem geſſerunt. Similiter verſus Septentrionem Tanais fluuius

Act. XVII. 27.
Richter. Axiom. Pol. 37 ſeq.

uius & mons Caucaſus, omnibus Regibus & Monarchis fatales fuerunt.

§. IV.

Neque locorum ſolummodo, ſed & IV temporum limites certasque periodos, ſingulis Imperiis diuinitus conſtitutas, certorum annorum numero concluſas, plerique Politicorum & Hiſtoricorum, nec pauci Mathematicorum affirmant. In iis quingenteſimum & ſeptingenteſimum annos maxime fatales esſe; quippe intra quos omnia etiam potentisſima Imperia finiantur & conuertantur: idque alii numeris tribuunt, alii naturalibus cauſſis, quod ſcilicet circa id fere tempus ſexta hominum generatio decurrat, quæ magis magisque deflectat ab eorum ſimplicitate, robore & fortitudine, qui initio Imperia huiusmodi virtutibus acquiſiuerant, aut confirmarant. Quædam tamen Imperia ſolum dimidiam partem attingere, aiunt, intraque annos CCL finiri; quin & centeſimos quosque annos Rebusp. quodammodo mutationem adferre, Principum item familiis, regiisque ſtirpibus fatales esſe; quæ hoc tempore elapſo plerumque deſinant. Denique triceſimo anno circumacto plerumque aliquam mutationem in Imperiis fieri; decedentibus e ſtatione ſua iis, qui antea rebus præfuerant, nouisque ſuccedentibus, qui intra iſtos triginta annos adoleuerunt & nouos mores ſenſusque ad Rempub. afferant. Qua de re plura Bodinus *IV de Repub. c. II.* Ranzouius *in Catalogo Imper.* Richterus *axiom. Polit. II, III, IV. & Axiom. Oeconom. V.* Kekermannus *Syſt. Pol. l. I c. XXVI, &c.* a quibus tamen alii non pauci, iique prudentia & eruditione maxime conſpicui, disſentiunt. *Toloſanus XXI, 5, 1.*

§. V.

Nos ea de re ſic exiſtimamus: I, Diuina prudentia,

vti conſtituuntur & fundantur Imperia, ſic etiam certos limites ac periodos iis eorumque Principibus præfiniri, quos excedere nequeant. Quod Theologi confirmant ſacrarum litterarum teſtimoniis; neque ignorarunt Ethnici ſapientiores: II, Ex hiſtoriarum monumentis certum eſſe, Imperia plurima iis, quæ diximus, annorum interuallis euerſa eſſe: III, Teſtari easdem hiſtorias, noſtrique temporis experientiam, multas Reſpub. vltra illa tempora ſtetisſe; longe plures autem intra ea concidisſe. Id quod ipſi harum periodorum asſertores diffiteri non audent IV, In exemplis, quæ ad hanc rem adferuntur, ſæpe non ſatis exacte reſpondere numerum, aliquando etiam in calculo aberratum eſſe: V, Neque numerorum poſſe eam vim eſſe; quippe quorum nulla efficacia, neque cauſas naturales, quas adferunt, id, quod ipſi volunt, efficere, ſed potius aperte eorum ſententiæ refragari; adeoque rem omnem incertam eſſe, nec omnibus Imperiis eadem annorum interualla, easdemque periodos præfinitas dici poſſe.

Dan. V, 21. 26. Act. XVII, 26.

Arniſ. l. 2. Doct. Pol. c. 2.

§. VI.

Nec certiora ſunt, quæ V de numeris, certis familiis Principum, aut certorum Imperiorum Principibus fatalibus & noxiis nonnulli iactant. Qualia ſunt, *domui Auſtriacæ & Regibus Bohemicis peculiariter & fataliter infeſtos eſſe annos ſextos ſæculorum æræ Chriſtianæ*, vt ∞ IↃ VI, ∞ IↃC XXVI. &c. *Saxoniæ Ducibus ſingulos annos ſeptenos aliquid memorabile afferre*; *Pontifices Romanos plerumque tot annos ſedere, quot numeros continet nomen ab illis in electione adſumptum.* Quæ omnia exemplis confirmare conatus eſt Richterus. Si tamen probe expendas, fortasſe plus vanitatis, quam veritatis habebunt. Certe ad regulam & vaticinium trahi non debent, cum illam de Ponti-

Axiom. Oeconom. 7, 8, 9.

ti-

tificibus obſeruationem multa priſca & recentiora exempla refellant. Sicuti nec illud, quod a nonnullis obſeruatum eſt, *eos, qui capriconum in Horoſcopo adſcendentem habent, mutationem Imperio, in quo viuunt, ac ſpeciatim Romano, inferre:* de quo idem Richterus videri poteſt. *Ax. Pol. XXXIV.*

§. VII.

Eſt & VI hoc a curioſis obſeruatoribus animaduerſum, regna vel Imperia plerumque concidisſe, vel inſignem mutationem pasſa esſe ſub Principibus, idem nomen, quod fundatores Imperii illius tulerunt, habentibus: Cuius rei exempla poſt Richterum plura congesſit illuſtris Forſterus ad Tacitum. E quo tamen ruinas mutationesque Imperiorum velle prædicere, neſcio an a ſuperſtitione & vanitate liberari posſit. Quamquam interim plane ſperni & inſuper haberi non debeat. *Ax. Occon. IV.* *I. Annal. p. 27. 28.*

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

Indicia imminentium mutationum, alia ſunt naturalia, vt prodigia & oſtenta; An & Cometæ, Eclipſes maiores, & coniunctiones magnæ Planetarum? Alia, & certiora, politica. Heroes & viri heroici, imminentibus mutationibus, a DEO excitantur. Quid de vaticiniis circa mutationes Imperiorum exiſtimandum?

§. I.

CEterum etſi iſtis, quæ diximus, indiciis minime fidendum; ſunt tamen nihilominus alia quædam ſigna, quibus diuina prouidentia, imminutiones,

conuerſiones & ruinas huic illive imperio imminentes præſignificare ſolet.

§. II.

Horum alia natura, alia ſtatus & conditio Reip. ſuppeditat. Illa a quibusuis, etiam rudibus & plebeiis hominibus; hæc potisſimum a prudentioribus deprehendi ſolent.

§. III.

In natura, ruinarum præſagia ſunt prodigia & oſtenta, quibus raro boni quid præſignificari communis hominū conſenſus, omnium ſæculorum experientia, ipſæque ſacræ litteræ credere nos iubent. Quamquam interim exactiori discretione plane heic opus ſit, ne ex quouis monſtro nato, aut vehementiori tempeſtate, vel inſolitis meteoris, in aëre apparentibus, ſtatim mali quid ominemur.

§. IV.

Addunt alii Cometas, Elipſes maiores: de quibus tamen non immerito dubites; cum hæ ordinario naturæ curſu contingant, cauſſasque manifeſtas habeant: illi quoque plerorumque Philoſophorum ſententia, in aëre pariter ac cœlo, a naturalibus cauſſis producantur, adeo quidem, vt non deſint, qui eos aliquot annis, antequam ſe conſpiciendos præbeant, prædicere audeant. Vtrobique vero de voluntate DEI, per iſta ſigna aliquid præſignificare volentis, neutiquam mortalibus conſtat. Idem de coniunctione Planetarum ſimilibusque aliis cenſendum eſt.

§. V.

Certiora ſunt, quæ Politica prudentia deprehendit, vt I, Quando res priuatæ magis curantur, quam publicæ: II, Cum neglecta interna magnitudine, ſolo faſtu ſplendor & auctoritas Imperii cenſetur: III, Cum oppresſio pauperum, pretia rerum & luxus ad ſummum faſti-

ſtigium peruenerunt: IV, Cum deficiunt vincula ciuilis conuerſationis, iuſtitia & mutua caritas: V, Cum publicæ calamitates non ſentiuntur amplius, nec metuuntur, tantaque ſecuritas animos ciuium obſidet, vt ſigna atque omina appropinquantis cladis, in natura rerum, inque communi vita & Reipub. ſtatu, obuia ac manifeſta nemo animaduertat. Eſt enim illud Ammiani Marcellini verisſimum, ſi caute accipiatur, *ſolere manum iniectantibus fatis debilitari ſenſus hominum & obtundi*: nec minus alterum Taciti: *Quæ fato manent, quamuis ſignificata, non vitari*: VI, crebræ mortes piorum, vitioſorumque ac Reip. vtilium Virorum, quos DEVS futuris cladibus ſubtrahere, aut etiam in alias regiones transferre ſolet: VII, Nimiæ expilationes ſubditorum, & vſuræ voraces; quorum vtrumque mutationes Reip. accelerare, adeoque certum conuerſionis indicium a piis & prudentibus viris annotatum eſt. Plura de ſignis imminentium mutationum ſuppeditabunt Beſoldus in *de Republica curanda cap. XV*, Richterus *in Axiomatibus Politicis XXII, XXIII, XXVII.* Posſuntque huc quodammodo referri pleræque cauſſæ imminutionis imperiorum ſupra recenſitæ.

lib. XIV. Hiſtor.

I. Hiſtor. 18, 1.

§. VI.

Hic quoque a Prudentibus animaduerſum eſt, magnis Imperiorum mutationibus appropinquantibus plerumque DEVM excitare Heroës, viroſque Heroicos, quorum opera in mutandis imperiis extollendisve vtatur. *Heroës* autem vocamus viros inuſitata & prorſus ſingulari magnitudine ingenii, vigore animi incredibili, celeritate cogigitandi admirabili, impetu accerrimo, felicitate inuſitata, auctoritate & gratia ſumma, præcipuarum denique artium promtitudine, actuſque efficacia, ad ſummarum rerum effectionem aptos deſtinatoſque. *Heroicos Viros*, qui

non

non quidem exæquant Heroum præſtantiam, ſed tamen proxime attingunt. Sic cum Ægyptus punienda, Iſraelitæque liberandi esſent, Moyſes; Cum Cananææ gentes exſtirpandæ, Ioſua; Cum Philiſtæi coërcendi, Dauid; Cum Carthago exſcindenda, Scipio; Cum Babyloniorum Monarchia euertenda, Cyrus; Cum Perſarum, Alexander; Cum terris omnibus pasſim inſaniretur, turbaretur, ſæuiretur, laſciuiretur, adeoque magna mutatio inſtaret, Iulius & Octauius nati ſunt, *Heroës* omnes, magnis euentibus ſicuti a DEO deſtinati, ita & pares. *Heroicorum Virorum* exempla Romulus, Pompeius Magnus, Cicero, Cato, Agrippa, Marcellus, Druſus, Germanicus, aliique præbent. Neque hoc noſtro & ſuperiori ſæculo inter tot mala Principum exempla defuere, aut hodienum deſunt ingenia Heroica.

§. VII.

Ceterum prudentes plerumque virtutis Heroicæ magnitudinem ſuſpectam habent, vixque aliud, quam bella inde exſpectant. Præſertim vbi bellorum ſemina latitantia vltro ſe exſerunt, aut virtuti occaſio quæritur, & triumphorum cupidine pax aut plane contemnitur, aut non alia, quam bellis & victoriis petita optatur. Tunc enim fieri ſolet, vt eximiæ & heroicæ naturæ, ſummis viribus in vtramque partem valentes, magnis occaſionibus in ſequiorem partem inuitantibus, ambitione & conſcientia potentiæ inſtigante, denique flagitiorum miniſtris ſuffragantibus, aut calcar addentibus, ad peiora conſilia facile abripiantur; ſicque Respub. bellis & bella parituris inuoluantur, nullamque aut ſeram tantummodo laudem e quiete ſperent, quorum animus ſemel cogitationibus bellicis laudibusque imbutus, & veluti innutritus eſt. Quamquam interim haud raro DEVS, qui iſtiusmodi ingenia de-

dit, eorum malitiam cohibet, aut in bonum aliquod vertit, eorumque miniſterio etiam turbatarum Rerump. incrementa promouet, ſtatumque conſeruat. Quæ & alia plura de heroicis ingeniis, eorumque dotibus, differentiis, ſpeciminibus, indeque haurienda diuinatione prolixe & egregie disſerit Bœclerus *in Characteribus Velleianis a*) ac in Commentario ad Cornelium Nepotem. *b*)

a) c. II & III.
b) pag. 32. noſtra edit.

§. VIII.

Adderemus his indiciis vaticinia & prophetias, quibus haud raro DEVM futuras Imperiorum clades ac conuerſiones prænunciasſe nouimus. Sed ea hac ætate aut omnino defecerunt, aut, ſi quæ habentur, plerumque tam obſcuræ ſunt & perplexæ, vt vix ante intelligi posſint, quam impletæ ſunt; aut certe idoneis documentis, quibus prædictionum ſuarum certitudinem oſtendant, deſtituuntur, proinde neque exſpectanda aut optanda ſunt, nec temere illis, ſi qua offeruntur, fides adhibenda.

§. IX.

Loquor autem de veris prædictionibus & cum analogia fidei conuenientibus, reique prædictæ euentu, miraculis, prædicentium probitate, ſignisque propheticis, confirmatis. Nam ſubtilium, ſuſpectarum, fallacium, periculoſarum & noxiarum viſionum, reuelationum & prophetiarum hodie abunde reperire eſt; quarum tamen vanitatem euentus longe diſpar ſatis euincit. Nec meliora ſunt, quæ ex interpretatione diuinorum miraculorum auctor *Apocalypſeos reſeratæ*, ſimilesque Scriptores & ſomniatores alii, ab aliquot annis, vaticinati ſunt, quos vna cum iis, qui magno numero fidem illis habuerunt, vel anni proxime elapſi, tot præclaris & memorabilibus euentibus eorum opinione diſtinati, ſed reipſa deſtituti, redarguunt,

guunt. Idem iudicium eſto de plurimis, quæ nonnulli de rebus Turcicis, Turcorumque aut Chriſtianorum fatalibus euentibus vaticinantur.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

Familiæ Imperantium ciuilis prudentiæ ſtudioſo cognoſcendæ; idque varias ob cauſſas. Quemadmodum & nobiliorum e priuatis. Quænam familiæ nobiliores cenſeantur? Scriptores Genealogici cum ſpeciales, tum generales; quorum præcipui nominantur. Quibus addendi ſcriptores alii. Sed omnes caute legendi, conferendique cum aliis documentis. In quantum fides habenda illis, qui gentis nimiam antiquitatem iactant. Quædam in ſtudio Genealogico cautiones indicatæ.

§. I.

QVartum eorum, quæ in vnaquaque Republica præcipue cognoſcenda, & ex Hiſtoricis potisſimum deſumenda ſunt, diximus esſe familias & Genealogias imperantium; de quibus eleganter Bœclerus: *Familiarum*, inquit, *cognitionem pauciores appetunt, iidemque prudentiores. Nam ceteri non intelligunt, quantum peregrinatoris* (addo ego, & cuiuscunque in actu ciuili & Republica verſantis) *interſit, vel ad pericula quædam declinanda, vel ad ſubſidia comparanda, in numerato habere nobiles familias, earumque prærogatiuas. Ac in Principum quidem familiis, etiamſi ſequeſtrentur adulatorum inuenta,*

De Peregr. Germ. p. 17.

&

& eruditorum quorundam ineptiæ, latet arcanus ciuilis in orbe commercii contextus: qui inter diſcordes animos & diſſociabilia ſtudia, increſcentemque quotidie pereundi perdendique libidinem ſuis quibusdam vinculis, ex diuinæ prouidentiæ decreto, quantum vltima ferre posſunt tempora, aduerſus omnimodam disſolutionem valebit, opinor, & perennabit. Itaque nec diuelli poteſt, ſi quis ſeria peregrinationis (addo, ciuilisque prudentiæ) *ſubſidia circumſpiciat.*

§. II.

Eſt autem Familiarum & Genealogiarum illuſtrium accuratior notitia iis, qui cum fructu interiora ciuilis prudentiæ ſtudia tractare, aut in ipſa Repub. verſari cupiunt, ob ſequentes præcipue rationes vtilisſima, planeque necesſaria: I, Quod turpe ſit viro Politico non posſe diſcernere diuerſas Principum familias, earumque cognationes noſſe: II, Ad intelligendas prætenſiones, atque controuerſias illuſtres, præſertim quæ de succesſionibus inter cognatos Principes intercedunt, quorum iura absque Genealogiarum exacta notitia recte intelligi definirique non posſunt. Notatque Cranzius, aliquando Genealogiæ vnius ignoratione grauisſimum bellum inter Pomeranicam & Brandenburgicam domum exarſisſe: III, Propter fœdera & inimicitias Principum mutuas. Illa namque ſæpe cognationis reſpectu ineuntur, vinculo continentur, hæ finiuntur aut amittuntur: IV, Propter conſilia ſtatus, quæ ita formanda & dirigenda ſunt, vt ne potentior cognatus eius, qui cum nobis res eſt, offendatur: V, Ob mutua Principum bella, quibus haud raro ſanguinis propinquitas aut affinitas, occaſionem aut prætextum ſuppeditat: VI, Propter controuerſias de præcedentia; in quibus ſubinde illuſtres maiores, aut cognati vt argumentum maioris dignitatis allegari ſolent: VII,

Continuat. Vandal. & Saxon. p. 11.

Digitized by Google

Propter legationes & peregrinationes, in quibus ad pericula quædam effugienda, comparandaque ſubſidia, plurimum intereſt, exacte noſſe, quibus quisque Principum & procerum familiis illuſtribus innexus ſit, quaque generis prærogatiua gaudeat, aut gaudere cupiat.

§. III.

Neque Principum ſolummodo, & eorum, qui ſumma poteſtate pollent, ſed etiam e priuatis nobiliorum in quacunqueRepublica familiarum notitia Politico comparanda eſt. Nam & hæc cum in peregrinationibus aut legationibus, tum in aliis Reip. negotiis haud parum vtilitatis affert. Nobiliores autem fere habentur: I, E quibus aliquando Principes Imperio aut ei, cuius ſunt membra, ſiue externo præfuerunt: II, Quæ regiis & principalibus familiis, matrimoniis atque affinitate iunctæ ac innexæ ſunt: III, Quæ rebus in Repub. pace belloque præclare geſtis illuſtres: IV, Quæ ſummis Reipub. muneribus ſiue iure quodam hereditario, & ſingulari priuilegio, ſiue intuitu virtutis & potentiæ adhiberi ſolent: V, Quæ ceteris antiquiores & maiorum imagines longa ſerie a multis ſeculis oſtentare posſunt: VI, Quæ numeroſa ſobole, multisque veluti propaginibus præeminent: VII denique, quæ potentia & opibus alias antecellunt.

§. IV.

Ad vtriusque generis cognitionem adipiſcendam fundamenti loco ſubſterni debent Scriptores, qui ex inſtituto ſtemmata & Genealogias ſcripſerunt, quorum alii *generales* ſunt, totiusque orbis, aut ſaltem Europæ & cultioris eius partis Genealogias tractant; alii *ſpeciales*, ſingularum nationum aut familiarum ſtemmata tradentes, vel veteres familias, vel recentiores & hodie ſuperſtites, perſequuntur.

§. V

§. V.

Specialium Scriptorum,ſingulis familiis aut nationibus deſtinatorum,tanta, cum quoad Principes ;tum quoad ceteram nobilitatem, multitudo eſt, vt pæne ſoli Bibliothecam facere posſint. E *generalioribus* veterum Genealogias tractarunt Reinerus Reineccius in *Syntagmate Heroico tripartito de familiis, quæ in Monarchiis tribus prioribus rerum potitæ ſunt*; Vbbo Emmius, in accuratisſimo *opere Genealogico*,& breuiter Eilhardus Lubinus *in Face poëtica*; Romanas ſeorſim Elias Reusnerus in *Γενεαλογικῷ Romano*; & Cæſarum Gabriel Bucelinus *in Auctario Nuclei hiſtorici;* Conſulares vero ſiue eas, quæ ante Cæſares floruerunt, Richardus Streinius Baro, Fuluius Vrſinus & Anton. Auguſtinus in libellis de familiis Romanis. *Recentiores familias Principum Europæorum* omnium aut plerorumque breuiter perſecuti ſunt idem laudatus Bucelinus in *Nucleo Lectionis variæ*,ea parte ,quam *Notitiam S. R. I. Principum Genealogicam & Stemmatographicam* inſcripſit, & poſtea in *Auctario Nuclei* ſub finem auctiorem & recentiorem dedit; Itemque Ioan. Micrælius passim *in Syntagmate hiſtoriarum ciuilium*; & Tob. Wagnerus in *Liminibus Genealogicis:* ampliore forma Ant. Albizius, Florentinus, in *Stemmatis Principum Chriſtianorum*; Nicol. Rittershuſius, *in Genealogiis Imperatorum, Regum, Ducum &c. Orbis Chriſtiani;* & Alphonſus Loſchus in *Compendiis Hiſtoricis*; niſi quod hic poſtremus Regum Daniæ, Suediæ, Poloniæ, Principumque Germaniæ genealogias, peculiari volumini nondum, quod ſciam, edito, vel etiam alteri editioni reſeruauit. Pertinet huc etiam Eliæ Reusneri *Genealogia Regum, Electorum, Ducum, Principum atque Comitum*, qui origines ſuas a Saxonum Rege, Wittekindo, deducunt. Nam ab hoc Rege illuſtriores Europæ familiæ magnam p. 276.

Digitized by Google

gnam partem ortæ perhibentur. Nec omitti debent Bucelini *Germaniæ Topo-Choro-Stemmato-graphiæ*, duo volumina, in quibus non modo Cæſarum, Regum, Ducum, Comitum ac Baronum Germaniæ plerasque, ſed etiam plurimas Nobilium familiarum Genealogias exhibet. Plurimarum quoque familiarum Genealogias tractant Franciſcus de Rosſieres in Tomis VII *Stemmatum Lotharingiæ ac Barri Ducum*; Dauid Blondellus *in pleniore Aſſertione genealogiæ Franciæ*; Io. Limnæus *in Iure Publico, &c.*

§. VI.

Omnes omnium ætatum Genealogias oſtentat *Theatrum Genealogicum* Hieron. Henninges; opus immenſæ diligentiæ, ſed hodie rarum inuentu, eoque optandum, vt ab aliquo illuſtrium familiarum perito correctum, & ad noſtra vſque tempora continuatum denuo edatur. *Genealogias Imperatorum, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum Europæ, Aſiæ & Africæ* magno animo iuchoauerat Rudolphus Diepholdus, Profesſor Helmſtadienſis; ſed morte præuentus abſoluere non potuit. *Primam* operis partem ab anno cIↃ CCCC, ad annum cIↃ IↃC XXVIII continuatam, cum hiſtorica deſcriptione memorabilium rerum, a ſingulis familiis, ab anno cIↃ IↃ vsque ad eundem annum cIↃ IↃC XXVIII, geſtarum, Henricus Sannemannus, Halæ Saxonum edidit. Abſolutum opus, omnium illuſtrium Europæ familiarum genealogias exhibiturum, ante paucos annos Medicus quidam in Belgio meditabatur; ſed ab eo, quid exſpectari posſit, dicere non posſum.

§. VII.

His ſcriptoribus, ad conſequendam pleniorem cognitionem Genealogicam, addi posſunt alii, qui diuerſo ſcriptionis genere vnam pluresq; familias recenſent, quales

Digitized by Google

les ſunt *Panegyriſtæ & Encomiaſtæ, Scriptores vitarum, Auctores Epiſtolarum Dedicatoriarum, Hiſtorici particulares, &c.* quibus omnibus eo magis fidendum eſt, quod ferme comperta & domeſtica narrant, nec tam facile, quam illi, qui rerum multitudine, locorumque diſtantia, ab accuratiori inueſtigatione arceantur, falli posſunt.

§. VIII.

Negari tamen nequit, in vtroque genere ſubinde imperitia temporum, amore aut odio nationum, ſtudio placendi Principibus, eorumque propinquis, interdum etiam artificio gentilitio, perque rationem ſtatus, multa neceſſaria omitti, aliena inſeri, vera corrumpi; quo fit, vt prudentum iudicio, plerarumq; familiarum diſtributiones & origines minus in ſe veritatis ac fidei contineant, dum ſuis quisque Principibus blanditur, & familiæ dignitatem ab ipſis redimere contendit. Neque admodum multi ſunt, qui Andreæ Quercetani, ſummi in hoc genere Magiſtri, probitatem, iudicium, doctrinam conſequantur, Principibusque viris ſine fuco & ſuſpicione adulationis posſint *maiorum pictas a tergo oſtendere vultus.* Quin potius *plurimorum venalis calamus, & fami tantum, non vero famæ ſcribens, omnia ſusque deque habet, dummodo pro adulteratis & ſuppoſititiis aliquot monumentis genuinos, nec adulterinos, expiſcari posſit nummos,* vt Naudæus merito queritur. Quare ſi quis exactiorem huius ſtudii cognitionem deſiderat, ei auctor fuerim, vt non ſolum in ipſa peregrinatione, vbi ſingula rectius, tanquam in patria, quæruntur & pernoſcuntur, veras familiarum genealogias indaget; ſed etiam, quæ ab aliis in litteras relata ſunt, cum hominum peritorum commentariis nondum editis, & narrationibus diligenter comparet. Hac enim vnica ratione fieri poteſt, vt aliena a genuina veritate ſecerni posſint. *Sub fin. Bibliogr. Polit.*

§ IX.

§ IX.

In ſpecie, quod origines familiarum attinet, cauendum eſt, ne temere fidem habeamus quorundam commentis, qui nimiam antiquitatem genti ſuæ, aut ipſi tribuunt, aut ab aliis tribui haud ægre ferunt. Eſt enim hoc multis familiis inter rationes ſtatus, vt ab illuſtri aliqua ſiue domeſtica, ſiue externa origines ſuas deducant. Sic Magnos Moſcouiæ Duces generis ſui primordia ad Auguſtum Cæſarem referre, & ex eius, neſcio quo, fratre, Pruſſo dicto, maiores ſuos ortos prædicare, narrant *Annales Moſcouitici*, & Sigis. Baro ab Herberſtein in *commentariis Rerum Moſcouiticarum*. Simili commento quidam *Montanos*, Rhetiæ familiam, a Montanis, qui tempore Valentiniani floruerunt; *Masſarum* gentem Italam, a Papyriis Masſonibus; *Marullorum*, a Gordianis Marullis; *Comitum Ciliæ*, a Cœliis; *Ducum Cliuenſium* antiquorum, ab Æliis; *Veros*, item Hiſpanorum a Vero Imperatore; *Cornelios Venetorum*, *a* priſcis Corneliis; Mediolanenſium *Peggios*, a Pectiis; *Arlunos*, ab Arulenis; *Piſanos*, a Piſonibus; denique *Valerios*, *surios*, *Magios*, *Curtios*, *Cottas*, *Criſpinos*, *Marcos*, *Nouellios*, *Martinianos*, *Rocios*, *Cacurios*, *Mocitios*, *Ellos*, *Sentios*, *Capellas*, *Caprilios*, *Amulios*, *Memmios*, *Longos*, *Marcellos*, *Quirinos*, *Balbos*, *Veturios*, &c. a cognominibus Romanorum familiis deducunt. De *Montanis* videndus Sprecherus *a*) *in Pallade Rhetica*; de *Masſis* Paullus Manutius, *b*) *Commentario in Epiſtolas Ciceronis* ad *Familiares*; de *Marullis* Epitaphium Manilii Marulli apud Nath. Chytræum *c*) *de Comitibus Ciliæ Marquardus Freherus d*) *in notis ad Petrum de Andlo*; *De Cliuenſibus* Pighius *e*) in *Hercule Prodico*; *de Veris* ſcriptores rerum Hiſpanicarum, Ambr. Morales, Mena, Lopez, & pecu-

a) *l. II. p. 74.*
b) *lib. IX. ep. XXI. p. 1030.*
c) *in Delic. Itiner. pag. 264.*
d) *l. 1. c. XVI*
e) *p. 53. ſeqq.*

culiari *de hac familia commentario* Franciſcus a Ponte; de Corneliis Chr. Forſtnerus *a) in Oratione ad Ducem Venetum*, & Liberalis Crema *præfatione in Spigelii opus anatomicum; de Mediolanenſium* denique & *Venetorum* poſtremo recenſitis familiis Erycius Puteanus in *Comm. ad Hiſtoriam Inſubricam b)* Petrus Iuſtinianus in *hiſtoria Veneta c)* And. Alciatus *d) de formula Romani Imperii; &c.* Neque plus fidei tribuerim aut Petro de Andlo *e) de Imp. Rom.* Germanicam nobilitatem a Troianis & Romanis deriuanti; aut Ioan. Antonio Campano, quem pleraſque familias nobiles in Italia, Gallia & Hiſpania ex Germania deriuaſſe, refert Snoius *f) rerum Batauicarum.* Quanquam interim negari nequit, varia coniunctione gentium, migrationibusque ac bellis mutuo ſibi illatis, multas familias illuſtres in peregrina loca conceſſiſſe, ibique genus ſuum propagaſſe. Sic collapſo Romano Imperio magna pars Romanæ nobilitatis in prouinciis remanſit, quanquam metu Barbarorum plerique genus ſuum occultarint, obſeruante Pighio. Nec paucæ familiæ Romanæ in Thraciam translatæ ſunt, ſede Imperii Conſtantinopoli conſtituta. Denique & ad Gothos plures Romanorum tranſiiſſe, cumque iis in varias Europæ oras diſperſas eſſe, docent Conradus Rittershuſius *in Analectis ad Saluianum;* Ioannes Sauaro *in notis ad Sidonium*; & alii.

a) Part. I. Not. in Tacit. ſuffixa.
b) l. 1. p. 22. & l. IV, p. 199.
c) l. 1 p. 5.
d) p. 117.
e) l. I. c. XV.
f) l. 1.
l. c. p. 44. ſeqq.
l. V. Ep. 17.

§. X.

Porro Genealogiarum exactiorem cognitionem adepturo ſequentia ſunt obſeruanda: I, Non ſolum maſculorum, ſed & feminarum rationem in iis habendam eſſe, quod per has ſæpius regni vel ducatus alicuius poſſeſſio ad aliam familiam translata ſit: II, Non omittendos ſpurios, ſiue, vt vulgo vocantur, naturales liberos. Ex his enim plures illuſtriſſimæ familiæ prouenerunt: III, Non ſolum cognatos agnatosque in linea recta, ſed & collate-

 rales,

rales, conſanguineos pariter affineſque diligenter annotandos eſſe: IV, Etiam liberos eorum, qui hodie florent, recenſendos eſſe, vt appareat, quibus vnaquæq; domus illuſtris fulcris innitatur: V Denique, neque eum rem inutilem facturum, qui ſingulorum Principum Genealogias ita texuerit, vt ſingulis tabellis monſtretur, quoto conſanguinitatis affinitatiſque gradu quiſque Principum, præcipue Reges & Principes Europæ alios attingant; cuius induſtriæ ſpecimen antehac in familia Saxonica dedit quidam Gothofredus Sigfridus Neander *in Genealogia Chriſtiani Ducis Saxoniæ*, ſiue, im Geſchlecht-Regiſter Herrn Chriſtians/Hertzogen zu Sachſen. Neque parum iuuare poſſunt inſtitutum hoc *ſtemmata Bucelini* ſupra laudata: nam eorum ope, ſi iungas Tabulas Rittershuſianas, haud difficulter cunctos cuiuſque Principis agnatos cognatoſque indagabis.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

De familiis illuſtribus obſeruationes generales. Familiarum fata a DEO, eas extollente & euertente: non excluſis tamen cauſſis naturalibus, nec moralibus: quæ a diuina Prouidentia probe diſcerni debent. Certa quarundam familiarum ingenia, virtuteſque ac vitia hereditaria. Indicium florentis Reipublicæ, vigor familiarum antiquarum & celebrium.

§. I.

De familiis ipſis Principum, ac nobilium ſequentia notari merentur: I, Non caſu contingere, quod illuſtres

ſtres familiæ per multa ſæcula felici prolis ſerie, optataque graduum extenſione lætantur; ſed DEO vnice id tribuendum, qui excelſis ſtemmatis a prima eorum origine ſingulariter proſpicit, quæque ad omnigenam earum amplificationem, & firmandas radices profutura ſunt, euidenti benedictionis cumulo aggregat: II, Huius itaque prouidentia nunquam deesſe certas in populis, immo in orbe vniuerſo, familias, quæ reliquas omnes claritudine multum ſuperent; ac proinde III Fruſtra esſe, qui huiusmodi familiarum progresſibus obnituntur, earumque potentiam & incrementa conantur impedire, cum ipſæ DEO peculiariter ſint curæ: IV, ab eadem diuina prouidentia illuſtres familias ſubtractione diuinæ benedictionis, pœna orbitatis aut etiam ferro, peſte, aliisque cladis generibus euerti.

§. II.

Itaque V, quod gentium familiarumque fortuna nunc floret, nunc ſeneſcit, nunc interit; quod nobilitas huius familiæ longisſima celebritate perennat, illius gloria caduca videtur; quod nonnullæ diu perſtitere, aliæ nouiter ſuſcitatæ adhuc florent, quædam vltra ſolitas periodos durant, vigentque, id omne DEO potisſimum (a cuius arbitrio vt Imperiorum, ita & familiarum initia & incrementa pendent) adſcribendum esſe; qui hæc magna magnus ipſe diſponit, & pro diuina ſua voluntate transfert in alium, quia id conducere mortalium conditioni nouit; ac proinde VI, ſicut de translatione Regnorum, ita & de fatis illuſtrium familiarum valde obſcurus eſt diuinæ prouidentiæ procesſus, minimumque eſt, quod mortalium oculis intime perſpici poteſt.

§. III.

Quamquam interim VII negari non debet, ſæpe

& naturales cauſſas cum diuina diſpenſatione concurrere; vt ſunt natura rerum mundanarum, quæ ſic comparatæ ſunt, vt *ad ſummum perducta, rurſus ad infimũ velocius, quam aſcenderunt, relabantur*; & ille, qui cunctis rebus ineſt, *velut orbis*, qui rotatus aſſidue, quidquid ex imo in altum produxit, rurſus in principium ſuum reſoluit, & ad nihilum redigit. Nam vt hominibus ſingulis, vt imperiis & vrbibus, ſic illuſtribus familiis ſua eſt adoleſcentia, ſuum robur, ſenectus, denique mors; notatumque nonnullis eſt, pleriſque familiis certas eſſe temporum periodos, earumque felicitatem raro vltra abnepotes, aut trinepotes durare; de quo Richterus *a)* & Beſoldus *b)* videndi Adde, quod ſæpe fortuita orbitas, poſterorum ſegnities, tyrannica ſuſpicio & crudelitas, dum illuſtres viros contemtos aut exoſos reddunt, eorum familias extinguunt.

Senec. Præf. in l IContr. Tacit. III. An. 55, 5.

a) Axiom. Oecon. 21. b) de periodis familiarum.

§. IV.

In quibus tamen omnibus diiudicandis VIII caute procedendum eſt, ac ſuum cuique tribuendum; hoc eſt, quæ DEVS hic facit, optime facta cenſenda; quæ denique ſecundum curſum naturalem acciderunt, æquo animo perferenda; quæ denique propria culpa ſibi quiſque attraxit, probe dignoſcenda; nec illis immiſcenda, ne turpiter aberremus. De quibus omnibus plura ſuppeditabit diſſertatio Bœcleriana de principalium familiarum perpetuitate.

§. LVII. ſeqq.

§. V.

Notandum & illud eſt, quibusdam familiis quaſi familiarem ac certum genium ineſſe, quo inſtigante, diu eosdem mores obtineant, certisque virtutibus aut vitiis polleant. Quomodo apud Romanos gentilitia Claudiis arrogantia, Calpurniis ferox & impotens animus, Appiis am-

ambitio, ſuperbia, & odium populi, aliis alia vitia fuere. Contra paſſim Fabii, vt patriæ amantes & populares, Bruti, vt conſtantes & libertatis ſtudioſi, Valerii Poplicolæ, vt benigni & populares, Lælii, vt hilares, Hortenſii, vt eloquentes, Manlii, vt duri & ſeueri, Caſſii, vt triſtes & tyrannidis oſores, Scipiones, vt bellicoſi & gloriæ cupidi prædicantur. De quo Machiauellus, a) Piccartus, b) Rutgerſius, c) Beſoldus, d) Bœclerus, e) & Vernulæus, f) euoluendi. Maieſtatis quoque crimen certis familiis velut hereditarium eſſe obſeruat Berneggerus, g) firmatque exemplis Caſſiorum, Corneliorum & Brutorum, qui ſæpe in Principem aut Rempublicam conſpiraſſe leguntur; atque huiusmodi familias merito ſuſpectas habent imperantes; poteſtque hæc obſeruatio tueri æquitatem celebris legis: *Quisquis, C. ad L. Iul. Maieſtat.* ſuper pœnis eorum, quorum maiores aduerſus Principem conſpirarunt, ſancitæ. Ceterum hæc res non tam a temperamenti diuerſitate, quam ex modo educationis & inſtitutionis ſingulis familiis vſitato prouenire videtur, quippe plerumque ad extremam usque ſenectutem durant mores opinionesque de rebus teneræ ætati impreſſæ. Quanquam nec illa ratio ſpernenda eſt, quam Vernulæus affert, nempe quod *poſteri ob quandam naturalem reuerentiam familiarum ſuarum Principes libenter æmulentur, & ſe illis ſimiles efficere ſtudeant.* l. c.

a) lib. III. Diſc. de Rep. c. 46.
b) Obſeru. Hiſt. Pol. Dec. VI c. 10
c) Var. lect. l. IV c. 5.
d) de Nat. Pop. c. 2.
e) ad Tacit. l. Ann. IV Annot. 3. & Diſſert. III ad Suet. Caeſ. §. III.
f) obſeru. ad Tac. l. c. VI.
g) ad Suet. Caeſ. c. 80.

§. VI.

Porro vt exſtinctio familiarum nobilium crebra ſignum eſt labaſcentis corruptæque Reipublicæ; ita inter indicia florentis Imperii haberi ſolet, ſi in eo plures familiæ vetuſtæ ac celebres florent. Nam per eas non modo dignitas, & ſplendor Reipublicæ conſeruatur; ſed etiam præclari, publiceque vtiles viri magna frequentia

naſcuntur. Proinde boni Principes prouident, ne familiæ nobiliores & de Repub. præclare meritæ opprimantur, aut propter egeſtatem dignitatibus priuentur; qua de re exſtat obſeruatio Piccarti, *a)* Addatur Vernulæus, *b)*

a) Decad. XII c. 9.
b) ad Ann. I Tac. obſ. 71.

CAPVT DECIMVM NONVM.

Catalogi Imperantium conficiendi, iique duplices. Scriptores de iis, & vnde corrigendi. Characteres animi, ac mores Principum a quibus deſcribantur?

I §.

GEnealogiis quodammodo affines ſunt *Catalogi Imperantium*, qui & ipſi non ſunt negligendi notitiæ eius cupido, quam heic intendimus. Poſſunt autem duobus modis concinnari; vno, cum longa ſerie vniuſcuiusque imperii Principes eo ordine, quo alter alteri ſucceſſit, enumerantur; altero, cum totius orbis aut ſaltem imperiorum celebriorum Principes, vno eodemque tempore imperantes, velut vno intuitu, cum ſuis nominibus & cognominibus, familiis, ætate, moribus & characteribus animi, conſpiciendi exhibentur.

§. II.

Prioris generis Catalogos paſſim reperire eſt, cum apud ſcriptores *de Rebuspublicis*, vt Auctorem *Archontologiæ Coſmicæ*, *Lucam de Linda*; tum apud *Hiſtoricos vniuerſales*, vt in *Iſagoge Hiſtorica* Eliæ Reusneri, *Syntagmate Hiſtoriarum Politicarum* Micrælii, *Nucleo Hiſtorico* Bucelini, &c. Qui tamen omnes ſubinde imperfecti, præſertim in antiquioribus, ſæpe & falſi ſunt; ideoque a ſtudioſis huius

ius notitiæ collatis meliorum Hiſtoricorum ſcriptis ſupplendi & corrigendi.

§. III.

In poſteriori genere non memini quidquam adhuc prodiiſſe; cum tamen ipſa res ad intellectum antiquæ recentiorisque hiſtoriæ, atque ad præſentem ſtatum Europæ penitius cognoſcendum non vna ratione ſit neceſſaria. Rem aggreſſuro materiam præbebunt catalogi prioris generis, e quibus, ſi quis, adhibita Chronologia Imperiorum, in vnam tabulam congerat, qui vno eodemque tempore imperarunt, facile conficiet, quæ diximus; ſaltem quantum ad nomina, cognomina, familias, ætatem & res geſtas. Nam *Principum mores* ac *characteres animi* (qui & ipſi huc referendi ſunt) aliunde deſumi debent; puta ex Hiſtoricis, ex memoria noſtri temporis, ex rebus geſtis, cuiusque Principis, e Panegyricis, ex relationibus peregrinantium, aliorumque prudentum virorum, eque variis ſcriptis, quæ paſſim ſine nomine auctorum prodeunt, qualia nuper erant: *Motus animorum in Europa, Status Europæ, Collegium Electorale, &c.* In quibus tamen caute verſandum, accurateque diſcernenda ſunt, quæ ex affectu aut odio, vel vt cauſſæ inſeruiatur, dicta ſunt, ab iis, quæ ex rei veritate commemorantur.

CAPVT VIGESIMVM.

E Geographia deſumuntur Ditiones, quæ definiuntur; etiam aquas comprehendunt & Maria, quæ olim hodieque occupata ſunt, ſaltem de facto; an & de iure, disputatur. Sicut

ut & flumina. Ditiones aliæ ſunt maiores, aliæ minores: deinde aliæ connexæ, aliæ interruptæ. Illæ his meliores. In ſingulorum Imperiorum ditionibus nouem ſpectantur.

§. I.

POſtquam actum eſt de iis, quæ in exactiore Imperiorum notitia concinnanda, ex *Hiſtoria* deſumi debent: proximum eſt, vt de illis agamus, quæ ex *Geographia* mutuo ſunt accipienda. Quo pertinent ditiones cuique Imperio ſubiectæ, & quæ de illis in genere obſeruari merentur.

§ II.

Per DITIONES autem nihil aliud intelligimus, quam partes globi terreni, ſiue ſuperficiei orbis terræ, quas quisque Princeps aut Respub. tenet, quarumque imperio, dominioue potitur. Alii *prouincias* & *territoria* vocant.

§. III.

Orbis terræ vero, ſiue *globi terreni* vocabulis non ſolum Continentem & Inſulas, Peninſulas; earumque partes, Iſthmos, Promontoria, montes, valles, campos, ſiluas; ſed etiam maria, freta, ſinus, flumina, lacus, ſtagna complectimur, eoque hæc omnia, prout a certis populis, Rebuspublicis, aut Principibus, vel tota, vel ſecundum certas pattes occupara ſunt ac tenentur, vel etiam Imperium in eas prætenditur, non minus ac terras *ditionum* aut *prouinciarum* nomine comprehendimus.

§. IV.

Equidem de mari nonnulli dubitant an proprietatis, do-

Digitized by Google

dominii & Imperii capax ſit; immo quidam id aperte negant, quorum princeps eſt Hugo Grotius in tractatu, quem inſcripſit: *Mare liberum, & libro II, de Iure Belli & Pacis capite II numero 3. & capite III, a numero VIII ad XVI vsque:* quem aduerſus Ioannem Seldenum aliosque tueri conati ſunt Ioan. Iſaacius Pontanus, in duobus libris *Diſcuſſionum Hiſtoricarum*, & Theodorus Grasvvinkelius in libris quinque *Vindiciarum Maris Liberi contra Seldenum;* qui & eandem ſententiam gemino opere alio, contra Petrum Baptiſtam Burgum, & Guilielmum Welvvodum defendit.

§. V.

Contra ea, Mare ſaltem quoad certas partes (nam totum nemo ſibi arrogabit, neque humani generis vtilitas permittit) tam imperii, quam dominii corporalis iure diuino, naturali permisſiuo, Gentium, ciuili Romano ac Pontificio capax esſe, aduerſus Grotium eiusque asſeclas contendunt Ioannes Seldenus in *Mari Clauſo*, ſiue libris duobus *de Dominio Maris*; Petrus Baptiſta Burgus in libro, *de Dominio Genuenſis Reipub. in mari Liguſtico*; Guilielmus Welvvod in *Asſertione breui ac methodica, de Dominio Maris iuribusque ad dominium præcipue ſpectantibus*; Ioannes Loccenius & Franciscus Stypmannus in libellis, de iure maritimo & nauali; Ioannes Strauchius in disſertatione de *Imperio Maris*, & quidam alii.

§. VI.

Ad noſtrum inſtitutum ſufficit, ſaltem *de facto* certarum maris partium Imperium dominiumque, complures Principes & Reſpublicas, & olim noſtroque tempore & arrogasſe ſibi & reuera tenuisſe. Id quod antiquis recentioribusque exemplis prolixe oſtendunt Seldenus *libro I a cap. VIII vsque ad XX*; Thomas Riuius *lib. III hiſtoriæ naualis*

S me-

mediæ cap. XXXVII; Loccenius *lib. I cap. IV* operis ſupra laudati; Claudius Moriſotus Lib. II *Orbis Maritimi* cap. X, XX, XXIII, &c. Burgus cap. *III, IV, V, & VI.* De Romanis idem demonſtrant, Iacobus Gothofredus in diſſertatione de *Imperio Maris,* & Strauchius *cap. III.*

§. VII.

Quod autem ius imperii & dominii attinet, eam controuerſiam exacte definire, res ardua & fortasſis etiam intuta eſt; ad noſtrum certe inſtitutum non facit. Cautelas quasdam ad deciſionem eius non futuras inutiles ſuppeditabit Bœclerus in Annotatis ad Grotii *lib. II cap. II* §. *III.*

§. VIII.

Atque hæc de Mari. Flumina & ceteras minores aquas non ſolum de facto, ſed etiam iure occupari, hodie extra controuerſiam eſt, nec ipſe Grotius negat. Vide eum *libro II de Iure belli & pacis, capite III, numero VII & XVIII.* Addatur Loccenius *l.c. cap. VI.*

§. IX.

Porro ditiones aliæ ſunt *maiores* ſeu ampliores, aliæ *minores* & anguſtiores. Illas vocamus *Regna, Ducatus, Principatus, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, &c.* Has *Comitatus, Baronatus, Dynaſtias &c.* Quæ tamen ſpecies non ſemper, ac præciſe amplitudine & extenſione partium, ſed quandoque ſolummodo dignitate & potentia diſtinguuntur. Sæpe namque Comitatus Ducatu, Principatus Regno maior eſt, & ſimiliter in ceteris.

§. X.

Alia ratione ditiones ſiue territoria diſtinguuntur in *connexa* & *interrupta.* Illa ſunt, quarum partes continuo ſibi inuicem adhærent, nulla alterius Principis aut Reipub. ditione interiecta; hæc, quæ per alias inter iacen-

tes

Digitized by Google

tes prouincias, alteriusque imperii territoria veluti diuelluntur & aliquo a ſe inuicem ſpatio diſtant. Ex his priora poſterioribus longe meliora habentur, ceteris paribus. Eaque cauſſa Regnum Galliarum & Imperium Regis Magnæ Britanniæ Hiſpanico præferri ſolent.

§. XI.

Sunt autem in ſingulorum imperiorum ditionibus hæc potisſimum obſeruanda: I, *Nomina* tam vetera, quam noua; tam vernacula cuique genti, quam Græca, Latina ac peregriua cultiorum gentium ac linguarum alia: II, *Situs* tam abſolute quam comparate conſideratus: III, *Fines* ſiue limites & vicini; IV, *Magnitudo* ſiue cuiusque longitudo, latitudo, amplitudo, vna cum figura, quam exhibet: V, *Maria* & *flumina* maiora & potiora, quæ per eas transeunt, aut eas alluunt: VI, *Natura* & qualitas cœli, aëris, ſoli & quæcunque in hoc proueniunt, vt fruges, arbores, animalia, &c. VII, *Promontoria*, portus, vrbes, caſtella, in iis ſita: VIII, *incolæ* horumque numerus, temperamentum, ſtatura, ingenium, mores, artes, commercia, facultates, lingua &c: IX, Denique *modus imperii* ac *dominii*, quo vnaquæque ab imperantibus tenetur.

CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.

Geographica Imperiorum cognitio ex antiquis pariter & recentioribus ſcriptoribus Geographis, quorum præcipui ex Arabibus, Græcis & Latinis indicati, haurienda. Huc pertinent itineraria vetera & Notitiæ Patriarchatuum ac Epiſcopatuum; Hiſtorici & Poëtæ veteres; Tabulæ Geographicæ, quarum ex Antiquita-

te vix vllæ ſuperſunt. Tabula Peutingeriana qualis? Geographiæ tam veteris, quam hodiernæ, hïatus ac deliquia, per totum pæne orbem, oſtenſa.

§. I.

CEterum cum imperiorum notitiam acquiſituro ea, quæ ad ditiones pertinent, e Geographia, vt diximus, mutuo ſumenda ſint, operæ pretium facturi videmur, ſi, quibus e ſcriptoribus potiſſimum deſumi debeant, breuiter indicemus.

§. II.

Quod igitur vetuſtiora imperia eorumque ditiones attinet, illæ partim ex *antiquis ſcriptoribus*, partim e *recentioribus* cognoſcendæ. Ex illis præter Strabonem, Melam, aliosque ſuperius laudatos, huc pertinent, Dicæarchus in *Deſcriptione Græciæ ad Theophraſtum*, poſtremo a Dauide Hœſchelio edita; Hanno Carthaginienſis *in Periplo Africæ*; Iſidori Characeni *deſcriptio Parthiæ* & Marcianus Heracleota in *Periegeſi* (quam tamen alii Scymno Chio tribuunt; ſub cuius nomine & a Fred. Morello eſt edita) & *Periplo*; vterque primum ab eodem Hœſchelio in lucem protractus; Anonymus in *Periplo Ponti Euxini* ab Iſaaco Voſſio primum publicatus & notis illuſtratus; Plinius Senior in *Hiſtoria naturali libro II, III, IV*; & quæ inde compendio deſcripſit Solinus in *Polyhiſtore*, Commentariis Delrii, Grasſeri & Salmaſii illuſtrato; Æthicus, ſiue quicunque auctor eſt, *in Cosmographia*; Dionyſius Alexandrinus *in Periegeſi Orbis* cum Commentariis Euſtathii; & præſertim Claudius Ptolomæus Peluſiota, ſiue potius, Pheludienſis, vt ab Arabibus vocatur, a Petro Bertio editus ac illuſtratus; Iſ. Voſſii autem opera multo emendatior prodi-

rus.

Digitized by Google

rus. E medii æui Scriptoribus inprimis huc faciunt *Arabica Geographia* Nubienſis, aut Siculi potius, ſecundum Bochartum, in opido Mazara nati; & Abulfedæ, Principis Hamatæ, præſtantisſimum opus Geographicum, Arabice ab ipſo conſcriptum, & olim a Wilhelmo Schikardo, nuper ab Athanaſio Kirchero in Latinum ſermonem conuerſum, ſed a neutro adhuc editum. Specimen eius Arabice ac Latine dedit Ioannes Grauius, Anglus, qui & totum a ſe in Latinam Linguam conuerſum esſe ait. Abſoluit autem Abulfeda *Canonem terrarum*, ita enim inſcribitur opus hoc, anno Hegiræ IↃCCXXI, ſiue, anno Chriſti CIↃ CCCXXI. Ipſe vero obiit anno CIↃ CCC XLV. Nubienſis Geographia, cui titulus: *Liber relaxationis animi curioſi*, ante IↃ circiter annos ſcripta eſt. Vixit enim auctor eius tempore Rogerii I, vtriusque Siciliæ Regis, hoc eſt, anno CIↃ C X L I. Eam Latine Pariſiis anno CIↃ IↃ C XIX ediderunt Gabriel Sionita, & Ioannes Hesronita, Maronitæ. Exſtant etiam Arabice conſcripta, ſed nondum typis excuſa, *Geographia* Ibn Marufi; *Theſaurus Geographicus* Iacouthi Hamauæi, huiusque *compendium* per quendam Aſiotum confectum, & quædam alia Hottingero & I. Grauio laudata *in Præfatione ad tabulas Geographicas Naſir Eddini & Vlug Beigi*; itemque *Hortus Geographicus*, a Bernhardo Baldo, Vrbinate, Latine verſus, qui auctorem illum ante IↃC annos floruisſe putabat. Editurus erat Marcus Velſerus, niſi morte præpropera fuisſet impeditus.

Præf. in Hieroz.

Smegm. orient. l. III, Part. II, cap. II. p. 258.

§. III.

E Græcis præterea huc ſpectant Stephani Byzantii operis *de populis & ciuitatibus* compendium, tempore Iuſtiniani, Imperatoris, ab Hermolao Byzantio confectum, cum fragmento integri operis, nuper editum; Agathemeri Orthonis *Hypotypoſis Geographiæ*, cuius editio ab Iſaaco Vos-

ſio promiſſa fuit; Georgii Gemiſthi *deſcriptio Graciæ & Peloponneſi*, quæ in Bibliotheca Oxonienſi; itemque *emendatio aliquot errorum Strabonis*, quæ in Regia Pariſienſi habetur; Anonymi *Geographia Chriſtiana*, quæ in Medicæa, laudata Tho. Bartholino in *Obſeruationibus nouis de Vnicornu; cap. XX. & alibi.*

§. IV.

Voſſius Philol. cap. XI. E Latinis vero Feſtus Auienus & Priſcianus Cæſarienſis, interpretes Dionyſii Periegetæ; Vibius Sequeſter, *de nominibus fluminum, fontium, lacuum, nemorum, paludum & Gentium, quæ Poëtis memorantur*; Martianus Capella, libro VI de *Nuptiis Philologiæ & Mercurii;* Iſidorus Hiſpalenſis *originum libro XIII & XIV;* Vincentius Bellouacenſis, non Lirinenſis, vt pudendo errore Ricciolus laudat, *Speculi Hiſtorialis lib. II.* aliique, vt Adamannus *de ſitu terræ ſanctæ;* eiusque abbreuiator Beda *de Locis Sanctis*; Io. Phocæ *compendiaria deſcriptio caſtrorum & vrbium ab Antiochia vsq. ad Hieroſolymam, nec non Syriæ ac Phœniciæ, & in Palaſtina ſacrorum locorum;* Epiphanii Hagiopolitæ *Enarratio Syriæ & vrbis ſanctæ*; Perdiccæ Epſeſii *Expoſitio Carminica Dominicorum Hieroſolymis thematum*; Anonymi libellus *de locis Hieroſolymitanis;* Eugeſippus *de diſtantiis locorum terræ ſanctæ;* Willebrandi Oldenburgici *Itinerarium terræ ſanctæ.* Addi poſſunt *Itinerarium* B. Antonini Martyris, e Muſeo Claudii Menardi publicatum; Incerti *breues demonſtrationes chronicæ de locis Conſtantinopolitanis* a Lambecio & Combefiſio edita; Codini opuſcula de *Schematographia vrbis Conſtantinopoleos.* Pertinet huc Conſtantini Porphyrogennetæ liber, *de adminiſtrando Imperio.*

Geogr. Ref. l. I c. XVII. §. IV.

§. V.

Spectant huc & *Itineraria vetera*, vt quod Antonino Auguſto vulgo tribuitur; ſed reuera vel Æthici, vel Iulii cu-

Digitized by Google

cuiusdam Oratoris eſt, editum ab Hieronymo Surita, & cum Ptolomæi Geographia a Petro Bertio; item *Burdigalenſe* a Burdigala Hieroſolymam vsque, & ab Heraclea per Aulonam & Romam Mediolanum vsque; tum *libellus Prouinciarum Romanarum*, ab Andrea Schotto primum in lucem productus; quod vtrumque ſcriptum pariter Ptolomæo ſuo addidit Bertius. Neque negligi debet *Notitia vtriusque Imperii* Orientalis & Occidentalis, a Guidone Pancirollo doctisſimis Commentariis illuſtrata; Ebraico ſermone *Itinerarium* ſcripſit Rabbi Beniamin Tudelenſis, Latine cum notis a Conſtantino l'Empereur editum. *Voſſ. l. c.*

§. VI.

Pertinet huc quoque Pauſaniæ *Deſcriptio veteris Græciæ* a Friderico Sylburgio edita notisque illuſtrata; Artemidori vero Epheſi *Reliquias Geographicas*, quas Ricciolus exſtare dicit, plane, vt ingenue fatear, ignoro. Vereor, ne cum *Onirocriticis* eius, ab Aldo Manutio primum, poſt a Nicolao Rigaltio, editis, confuderit. *l. c.*

§. VII.

Poſtremo *Notitiæ* quoque *Eccleſiaſticæ, Patriarchatuum* ac *Epiſcopatuum* huc ſpectant; cuiusmodi eſt Latina, quam Aubertus Miræus edidit *cum ſpecimine Geographiæ ſacræ*; & Græcæ Latinæque variæ, quas *Geographiæ ſacræ* ab ſe editæ ſubiunxit Carolus a S. Paullo: & ab his omnibus diuerſa Nili Doxapatrii, cuius partem Leo Allatius publicauit *lib. I de conſenſione perpetua Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis cap. XXIV, ſect. I.*

§. VIII.

Atque hæc de priſcis Geographis, quorum monumenta ſuperſunt; quorum vix vllus prætermitti debet ab eo, qui veterem Geographiam cognoſcere accuratius cupit. E recentioribus eandem potisſimum illuſtrarunt

Ra-

Digitized by Google

Raphaël Volaterranus *in Commentariis rerum vrbanarum* libris XII prioribus; Cluuerius in *Introductione Geographica*, eiusque Commentator Io. Buno; Ioſeph. Anton. Gonſalius de Salas in *Compendio Geographiæ veteris;* Gerhardus Mercator *in notis ad Ptolomæum;* Hieronymus Surita *in Notis ad itinerarium Antonini;* Iſaacus Voſſius *in notis ad Pomponium Melam*; Cl. Salmaſius, in *Exercitationibus Plinianis*; Abrahamus Ortelius in *Theſauro Geographico* & *Notis ad Tabulas Geographiæ veteris*; Samuel Bochartus *in Geographia Sacra* bipartita; Philippus Brietius *in Parallelis Geographiæ veteris & nouæ;* Carolus a S. Paullo in *Geographia Sacra*, ſiue *Notitia Epiſcopatuum Eccleſiæ vniuerſæ*; Auctor *nouæ deſcriptionis Aſiæ*, antehac Pariſiis editæ in folio; Paullus Merula *in Coſmographia generali & ſpeciali*; Cluuerius *in antiqua Germania, Vindelicia, Norico, Italia, Sicilia, ſardinia*, & *Corſica*; Burchardi Niderſtedi *Malta vetus & noua*; Chriſtianus Adrichomius & Chriſtophorus Heidmannus *in deſcriptione Palæſtinæ;* Ferdin. Quareſmius in *Elucidatione terræ ſanctæ*; D. Henr. Müllerus in *deſcriptione terræ ſanctæ;* Vbbo Emmius *tomo I Græciæ veteris*; Wolffg. Lazius *in libris duobus commemorationis rerum Græcarum*; Nic. Gerbelius & Sophianus *in Græcia*; Petrus Laurembergius *in Græcia antiqua;* Phil. Labbeus *in Pharo Galliæ antiquæ &c.*

§. IX.

His omnibus iungi debent cum *Hiſtorici* & *Poëtæ veteres*, qui paſſim regionum, vrbium, aliorumque locorum deſcriptiones operibus ſuis nunc breuiter, nunc prolixius inſerunt: tum *Tabulæ Geographicæ;* quarum etſi vetuſtiſſimum eſt inſtitutum, vix vllæ tamen ex antiquitate ſuperſunt. Nam, quod illæ, quæ cum Ptolomæi Geographia ſunt editæ, Agathodæmonis Grammatici eſſe, etiam a doctiſſimis Viris, in his a Ger. Io. Voſſio exiſtimantur, id non vna cauſſa mihi ſuſpectum eſt. Certe, quæ in editionibus

De Philol. c. XI. §. 22.

nibus Mercatoris, Montani, & Bertii habentur, eas a Mercatore eſſe manifeſtum eſt. *Tabula* vero Peutingeriana, quam in octo partes ſeu fragmenta diuiſam cum Ptolomæo edidit Bertius, non tam ſitum locorum, quam nomina & diſtantias a ſe inuicem, vſitataque per Prouincias Romanorum itinera monſtrat.

§. X.

At noſtro, & ſuperiore ſæculo præclaram hac in re operam collocarunt viri docti. Inprimis commendari merentur Abrahami Ortelii *Parergon Theatri orbis terrarum*, ſiue *Tabulæ Geographiæ Veteris*, quæ & in tomo poſteriore *Theatri Geographiæ Veteris*, a Bertio editæ, reperiuntur; Gerhardi Mercatoris *Tabulæ ex Ptolomæo deſcriptæ ac reſtitutæ*, & a Petro Bertio varie correctæ & auctæ: & præcipue *Geographia antiqua*, cum introductione Georgii Hornii, in Belgio edita: tum quas Cluuerius *in Germania*, *Italia & Sicilia antiqua*; Bochartus in *Geographia Sacra*; Carolus a S. Paullo *in Notitia Epiſcopatuum*; Adrichomius *in Theatro terræ ſanctæ*; & minore forma cum *introductione Cluuerii* primo Ioannes Feldenus, poſtea Ioannes Buno, itemque *libro I Commentariorum rerum Germanicarum* Petrus Bertius, & cum *Græcia antiqua* Laurembergii Samuel Pufendorffius exhibuerunt; itemque *Tabula Ægypti veteris* apud Ath. Kircherum in *Oedipo Ægyptiaco*; & quædam aliæ in aliorum operibus, vt Fr. Haræi *Lumen Hiſtoriarum per Occidentem*; Nic. Blancardi *Europa antiqua cum finitimis Africæ & vtriusque Aſiæ regionibus*; *Typus peregrinationis Iſraëlitarum in deſerto, & peregrinationis S. Paulli*; *Peregrinatio Abrahami, Iſaaci & Iacobi*; *Palæſtina* Ortelii, Stellæ, aliorum; *Imperium Alexandri M.*, Io. Laurembergii *Hellas*, *Peloponneſus*, *Achaia*, *Theſſalia*, *Macedonia*, *Epirus*; *Inſulæ Maris Ægei & Cyclades &c.* Quibus addi

T poſ-

poſſunt, quæ veterum locorum nomina ſitumque cum recentioribus coniungunt.

§ XI.

Hodierni Orbis Scriptores Geographicos meliores cum Itinerariis huius & ſuperioris ſæculi ſupra commemorauimus: quibus nunc addimus Petrum Herigonium *tomo IV Curſus Mathematici*, Ioannis Boteri *Relationum vniuerſalium* partem I & VI, & inprimis Petri d' Auity egregium opus Gallicum, ſex voluminibus conſtans. Specialium ingens multitudo eſt, neque enumerandorum in præſenti locus.

§. XII.

Quod ad *generalem Geographiæ partem* attinet, præferri merentur Dauid Chriſtiani, & Bernhardus Varenius, in *Geographia generali*; Paullus Merula, in *Coſmographia generali*, Herigonius item, & Brietius in operibus modo laudatis.

§. XIII.

E *Tabulis* anteferri reliquis ſolent; quas Guilielmus Blæuvv eiusque filii Cornelius & Ioannes, cum *in Atlante maiore & minore*, noua *Geographia Blæuviana*, tum ſeparatim, quasque nuperrime Nicolaus Piſcator in Belgio ediderunt; cuius & *Tabula orbis terrarum generalis* proxime ad veritatem accedit. *Globus* omnium *optimus*, quod ſciam, eſt magnus ille, qui ante aliquot annos in Belgio prodiit: minores plerique non ſatis accurati ſunt.

§. XIV.

Ceterum diſſimulari non debet, Scriptores omnes Geographicos cum recentiores, tum præſertim veteres, nec minus Tabulas & Globos, paſſim multa omiſiſſe, plurima falſo tradidiſſe; ipſamque adeo Geographiam veterem pariter ac nouam, multo magis tamen veterem, paſ-

ſim

ſim mancam & imperfectam ac infinitis erroribus ac mendaciis refertam esſe.

§ XV.

Ac veterem quidem quod attinet, ea primo partem orbis maximam penitus ignorat. Neque enim amplius, vbi maxime, orbis cogniti latitudinem, quam ad gradus Meridiani circiter LXXX; longitudinem, quam ad Æquatoris gradus CLXXX extendit, vt e Strabone & Ptolomæo cognoſcere eſt. Cum tamen hodie orbis cogniti latitudo ad gradus CXLI, longitudo, ſi Oceanum vna computes, ad CCCLX gradus progresſa ſit. Et tamen ſic quoque maiorem veteres faciunt orbis longitudinem, quam reuera fuit. In Septentrione magna Europæ Aſiæque pars vltra Sarmatiam ſita: in Meridie, quidquid Africæ vltra Tropicum cancri porrigitur; in Oriente, quidquid vltra Indiam & fines Serum & Sinarum iacet, olim incognitum fuit; ad Occidentem autem vltra Fortunatas & extrema Africæ littora nihil compertum. Nam quæ de vaſta Inſula *Atlantide* & terris in vltimo occaſu ſitis e Platone, Diodoro, aliisque Scriptoribus afferuntur, aut fabulas olent, aut commode aliter posſunt explicari. *Caput* autem *Bonæ Spei*, ſiue meridionalisſimum Africæ promontorium, veteribus cognitum & circumnauigatum fuisſe, æque verum eſt ac illud, quod a nonnullis relatum eſt, veterum quosdam per Septentrionalem Oceanum in Indiam nauigasſe; quod tamen etiam nunc in tanta rei nauticæ perfectione, ſi non imposſibile, ſaltem difficillimum esſe, Anglorum Belgarumque hoc ſæculo conatus abunde docent. Et quis credat, Ptolomæum exiſtimare potuisſe, Aſiam vltra Mare Indicũ cohærere Africæ, ſi hanc nauibus circumiri posſe conſtitit? aut, ne vnius quidem littoris, aut promontorii, aut

montis in illa Africæ parte mentionem apud veteres factam, ſi cognita fuisſet? ſed de hoc alibi plura.

§ XVI.

Plane igitur ignotæ veteri Geographiæ, & vix fando a veteribus auditæ ſunt vaſtæ orbis regiones. In Oriente quidem magna pars *Tartariæ* Orientalis *Chataiæ* & *Chinæ*; in Meridie *tota Æthiopia exterior* cum *vicinis regionibus* & *Guinea* vsque ad Caput Viride, & quidquid *terræ Auſtralis incognitæ* ſeu Magellanicæ nomine hodie venit; in Occidente tota *America*: in Septentrione *Grœnlandia*, *Spitzberga*, *Noua Zembla* & extrema *Tartariæ*, *Rusſiæ*, *&c.* fortasſis & *Suediæ* ac *NorVvegiæ*, omnisque *Terra Polaris* etiam nunc incognita; magna item pars *Oceani*, vt totum *Mare Pacificum*, *Iaponicum*, *Anchidolium*, & quod *Auſtrales Terras reliquas nuper detectas alluit*; itemque *Æthiopicum*. E *ſinubus* maioribus in Oceano Sinenſi *Nanquinenſis* & *Liampoicus*; in Indico *Cochinchinenſis*; in Occidentali *Mexicanus*; in Septentrionali *Mare Hudſoni*, *Sinus Buttoni*, *Iameſii*, *Baffinicus*, *Mare Album &c.* E Fretis vero *Arianicum*, *Iezzi*, *Coreanum*, (niſi tamen Corea peninſula eſt) *Manipæ*, *Sundæ*, *Californiæ*, *Magellanicum*, *Mairanum*, *Hudſoni*, *Iameſium*, *Dauiſium*, *Forbisheri*, *Waigatz* ſiue Nasſouium, *Glaciale* inter Nouam Zemblam & Spitzbergam &c. Ex *Inſulis* denique cum *maiores* aliquæ, vt in Oceano Pacifico *California*, in Orientali *Iezzo* longe maxima (ſi vera ſunt, quæ de ea narrantur) *Corea* (niſi peninſula eſt) *Iaponia*; in Indico *Luconia*, *Mindanao*, *Gilolo*, *Noua Guinea*, *Celebes*, *Borneo*, *Iaua maior*, *Sumatra*: in confinio Æthiopici & Pacifici *Terra ignium*; in ſinu Mexicano *Cuba* & *Hiſpaniola*; in Septentrionali Oceano *Terra noua*; & in Glaciali *Noua Zembla*; tum *mediocres multæ* cum *minoribus infinitis*.

§. XVII.

§. XVII.

Sed & ex iis partibus Orbis, quæ Græcis Romaniſque (horum namque ſolummodo ſcripta Geographica ex veteri æuo ſuperſunt) innotuerunt, multæ parum exploratæ perſpectæque, quædam vix amplius, quam nomine ſituque fuerunt cognitæ, vt in Europa *Sarmatæ*, *Scythæ* & magna pars *Celtarum* ac *Paludis Mæotidis* accolarum; in Aſia *Scytharum*, plerique *Seres*, *Sinæ*; in Africa præter *Mauritanos*, *Libyas*, *Ægyptios* & Maris rubri accolæ reliqui fere omnes, multi præterea *Inſularium*. Immo vt dicamus, quod res eſt, præter Græciam, Italiam, Hiſpaniam, Galliam, Britanniam citeriorem, partem Germaniæ Rheno & Danubio vicinam, Illyricum, Pannoniam, Thraciam, Macedoniam, Epirum, Pontum, Aſiam Minorem, Ægyptum, Libyam, Mauritaniam, Inſulasque Maris Mediterranei, pauca veteribus ſatis explorata; & tamen ex his quoque multarum deſcriptiones iniuria temporis perierunt.

§. XVIII.

Satis hinc apparet, quam imperfecta & manca ſit Geographia vetus: quam falſa ſit, & quot mendaciis pudendiſque erroribus contaminata, paucis dici non poteſt. Breuiter: *ficta*, quæ nunquam extiterunt; vt: *Terra Antichthonum*, Oceani ductu anguſto a noſtra ſeparata, *Montes Populique Hyperborei*, *Mare ex Oceano Scythico in Mare Caſpium influens*, *Mare pigrum & innauigabile ſupra Britanniam & Hyberniam*, *Flumen Sabbaticum*, *Gentes Pygmæorum*; *Monoculi*, *Acephali*, aliaque infinita monſtrorum genera; *corrupta* locorum nomina, confuſa & præter verum multiplicata; *falſo tradita*, locorum ſitus, figura, longitudo, diſtantia, curſus fluminum ac maris, flexus littorum, natura & qualitas locorum, plantarum, animalium, forma, ingenium, mores hominum; habitæ pro

Inſulis Terræ continentes, aut Peninſulæ; lacus pro Maribus, Sinus pro Fretis: & contrario errore Freta pro Sinubus, Maria pro magnis lacubus, Inſulæ pro Peninſulis; & quis omnes eiusmodi errores enumeret?

§. XIX.

Atque vtinam recentior, & noſtri temporis Geographia plane eiusmodi næuis careret! Nunc paucioribus quidem, ſat multis tamen etiam nunc inquinata eſt. Nam & hodie magna pars terrarum plane ignoratur, vt *Terra Auſtralis*, quam *incognitam* vocant; nam nouam Guineam & Terram Ignium iam conſtat Inſulas eſſe. Quid *noua Hollandia* & *Zeelandia* ſint, nondum, quod ſciam, exploratum; certe paucis cognitum, nec in libros Geographicos relatum. Idem de *Terra Polari Arctica* dictum volo. Nam Nouam Zemblam Inſulam eſſe iam manifeſtũ aiunt. Spitzbergæ interiora, ne inueſtigarentur, hucusque fames & frigus prohibuit. In *Oceanum Tartaricum* nemo ſe penetrare potuit, etſi magno conatu id egerint Galli, Angli, Belgæ. Quotusquisque Geographorum vaſtam regionem *Iezzi*; quis regnum *Tunchinenſe* & alia Sinenſibus vicina vel nominat tantum? Quis *Septentrionalia Americæ* nouit?

§. XX.

Iam ex iis regionibus, quas exſtare, etiam vulgo conſtat, quis hoc ſæculo explorauit *Tartariam Aſiaticam*, præſertim partes Septentrioni & Ortui obuerſas? Quis *Iaponiæ Septentrionaliora?* Quis vaſtam regionem Iezzi, Coream, Samoiedam, *interiora item Africæ, Americæ & Indiæ Orientalis?* Quam pauca de Ruſſia & Moſcouia, de Tartaria Crimenſi vicinisque regionibus exſtant?

§. XXI.

Præterea inuenias & in recentioribus libris Geographicis, quæ nusquam exſtant, aut ſaltem exſtare certo affirmari

mari nequit. *Nouam Albionem, Regna Anianis* & *Quiuira*, vna cum *Freto Anian*, nemo fuit hoc & ſuperiore ſæculo, qui vel adiiſſe, vel ſaltem e longinquo adſpexiſſe affirmare poſſit; & ſunt, qui illam ab Anglis, hæc ab Hiſpanis ſingulari arcano conficta iudicant. Neque quisquam fuit, qui etſi diligentiſſime quæſitas *Grœnlandiam*, & *Frislandiam* Inſulas, quales a plerisque Geographis deſcribuntur, reperire potuerit. Chriſtiani certe IV, Daniæ Regis, iuſſu ſæpe Grœnlandia indagata eſt, ſed fruſtra; ac proinde ab eo *lapis ſuus Philoſophicus* vocari ſolita. *Terram Beach*, *Regionem Pſittacorum* & *Magellanicam* recentiores Nautæ Tabulæque ignorant. Nec magnam illam Chataiæ vrbem *Quinſai* deprehendere potuerunt, qui nuper illas vias perluſtrarunt.

§. XXII.

Denique iisdem fere modis, quibus in veteri Geographia, etſi non ita crebro, haud raro tamen, etiam in hodierna paſſim aberratum eſt. Regiones *Iezzi*, *Noua Zembla*, *California*, *Terra Ignium*, *Noua Guinea*, & a quibusdam *Iucatana*, pro continentis partibus acceptæ, cum Inſulæ ſint. *Iaponiæ* longitudo vix trecentarum leucarum credita, cum ſit plus quam quadringentarum: *Iezzi* vix maior habita, quam Iaponia, cum, ſi Incolis & Iaponenſibus fides habenda, vix quinque menſibus ſecundum longitudinem peragrari queat; *Iucatanæ* xx leucarum longitudo adſcripta, cum ſit amplius CL. Contra *America vtraque* multo anguſtior eſt, ſeu minore latitudine, quam vulgo exiſtimant. Et *Cuba* Inſula trecentas leucas longa exiſtimata eſt, cum non ſit longior ducentis viginti. *Chilenſe* littus quinque vel ſex gradibus, *Hiſpaniolam* Inſulam centum quinquaginta leucis, *Hauanam* circiter octoginta leucis verſus Orientem porrexerunt; *Palmam* contra, Fortuna-

na-

natarum vnam, tribus vel quattuor gradibus; *Caput Bonæ Spei* pluribus, immo quidam quadraginta & vno gradibus in Orientem retraxere; *Manilia*, Hiſpanorum in Philippinis Inſulis metropolis, & *Lima*, Peruuiæ portus, totis triginta ſex gradibus; *Inſulæ Salomonis* & *Peru* mille octoginta octo leucis; *Bantam*, celebre Iauæ emporium, & *Caput Bonæ Spei* ducentis leucis amplius diſtare a ſe inuicem ſunt creditæ, quam poſtea deprehenſum eſt. Curſus fluminum plerorumque, quæ inter Mare Caſpium & Chinam decurrunt, longe alius deprehenditur, quam a Geographis eſt traditus.

§. XXIII.

Atque hæc de imperfectione Geographiæ tam veteris quam nouæ ſufficiant. Cauſſas eius varias nunc adducere nihil attinet; quasdam fortaſſe tangemus in ſequentibus. Sed quomodo, inquies, huic malo medebimur, vt certiora ac meliora de ditionibus Imperiorum cognoſcamus? Res ardua eſt, fateor, & oppido difficilis: ſunt tamen nonnulla, quibus ſaltem aliqua ſuppleri defectus & errores emendari queant, vt I, Si loca ipſa, quæ adire datur, accurate inſpiciantur, & cum Scriptoribus, Tabulis, Globis comparentur; eque incolis ſciſcitemur ac indagemus, quidquid dubium parumve compertum nobis videtur: II, Si conſulantur, qui cuiusque regionis gnari & in ea bene verſati ſunt: III, Si præcipue fides habeatur Scriptoribus Chorographicis & Topographicis, quos credibile eſt maiorem in inquirendo diligentiam adhibuisſe: IV, Si recentiores potius Scriptores, quam aliquanto antiquiores ſequamur; vbi tamen obſeruandum, multa ſucceſſu temporis immutari adeoque fidem vtrisque conſtare posſe: V, Si plus tribuamus iis Scriptoribus, qui loca ipſa magnam partem frequentarunt, quam qui ſua tantum ex aliis deſcri-

ſcripſerunt: VI, Si conquiramus & euoluamus varia itineraria tam edita, quam inedita, & cum Geographicis deſcriptionibus aliorum conferamus &c. Ac edita quidem plurima habentur, e quibus, quod veterem Geographiam ſeorſim attinet, præferendæ ſunt veterum Scriptorum editones meliores ac recentiores, quarum pleraſque ſupra indicauimus. Comparandæ etiam diligenter veteres locorum deſcriptiones cum hodiernis, immo cum locis ipſis. quod ſingulari diligentia fecit in *Italia*, *Sicilia*, *Germaniaque* Philippus Cluuerius. Neque exigua laus ob eandem rem debetur Paullo Merulæ in *Deſcriptione Galliæ, Italiæ & Hiſpaniæ* &c. Plura in reliquis huius libri capitibus, ſuo quæque loco, ſuggerentur.

Capvt vigesimvm secvndvm.

Cognitio Nominum per eſt neceſſaria. Scriptores, vnde ſit petenda, laudati. Appellationes locorum diuerſæ probe cognoſcendæ, tam veteres, quam recentiores, Latinæ, Græcæ & vernaculæ; earumque conuenientia cum aliis ac diſcrepantia. Nomina vernacula ex cuiuſcunque regionis incolis diſcenda. Eorum rationes & origines quærendæ.

§. I.

Nominum cuiusque regionis, vrbis, oppidi, caſtelli, fluminis, ſinus, portus, maris, aliorumque locorum accuratior cognitio ad intelligendam cuiusque gentis & Reipub. Hiſtoriam, ad contra-

tractus, pacta ac fœdera, inter diuerſas gentes inita, aliasque ob cauſſas, plane eſt neceſſaria, ſolidam cognitionem Imperiorum adepturo; videmusque huius rei neglectu aut ignoratione ſubinde grauiter errasſe, qui de Rebuspub. earumve geſtis ſcripſerunt.

§. II.

Ad eam vero cognitionem haud parum conferent præter Geographos veteres ac recentiores, ſuperiori capite laudatos, *Dictionaria* ſeu *Lexica*, quæ nomina Geographica ſiue ſeorſim, ſiue cum aliis vel propriis vel appellatiuis explicant. Qualia ſunt e veteribus *Epitome Stephani de Vrbibus*, & Suidas in *Lexico*; quædam & apud Heſychium & Harpocrationem reperias. E recentioribus præcellunt *Dictionarium Hiſtorico - Geographico - Poëticum* Caroli Stephani, Philippi Ferrarii *Epitome Geographica*; altera pars *Fontis Latinitatis* Coruini; *Dictionarium Theologicum, Hiſtoricum, Poëticum, Coſmographicum & Chronologicum* Iunii Broysſinerii, Gallico ſermone aliquoties editum; *Onomaſtica* Riccioli libro Geographiæ Reformatæ XI exhibita. E Lexicis autem generalibus *Theſaurus Fabro - Buchnerianus*; multa quoque huius argumenti nec vulgaria ſuppeditabit, quantum ad vetera locorum nomina, Salmaſius *in Exercitationibus Solinianis*.

§. III.

Sunt autem heic nonnulla in genere obſeruanda. Ac I quidem, cum loca plurima diuerſo, vel etiam eodem tempore, aliis aliisque nominibus appellari conſueuerint; non recentiora tantum & vnica, vel varius ætatis, ſed omnia omnium ætatum, quantum fieri poteſt, cognoſcenda ſunt. Quo, præter auctores iam dictos, faciet, ſi quis diligenter inter ſe comparet variorum temporum cum Geographicos tum Hiſtoricos, aliosque Scriptores.

§. IV.

§. IV.

Inprimis vero danda eſt opera, vt cognoſcamus, quæ hodiernæ appellationes, quibus veteribus reſpondeant; ſiue quomodo hoc tempore loca veteribus deſcripta memorataque vocentur. Quod etſi valde difficile, interdum ſæpe & vix poſſibile ſit, nihilominus tamen laudabilem in eo operam, præter Lexicographos iam laudatos, præſtiterunt Ortelius in *Synonymis Geographicis* cum Theatro orbis terrarum editis, *Tabulisque Geographiæ veteris;* Montanus & Bertius in *margine textus Ptolomæi;* Cluuerius in *Introductione Geographica, Italia, Sicilia,* & *Germania;* Merula in *Cosmographia ſpeciali.* Huc etiam pertinent *Tabulæ* quædam *Geographicæ*, in quibus priſcis nominibus recentiora diuerſo charactere apponuntur, vt Bunonis, *Hiſpanicæ Speciales Blæuvvianæ, Gallicæ* nuperrime editæ, & quæ in *Geographia veteri* Hornii habentur.

§. V.

Deinde & in id incumbendum eſt, vt non modo Latina & Græca, ſed etiam vernacula cuiusque loci nomina, nec tantum eius linguæ, qua illius incolæ vtuntur, ſed etiam aliarum, noſcamus. Quod ex iisdem fere auctoribus, quos modo laudauimus, magnam partem peti poteſt. Quæ autem Latina, Græcaque nomina, quibus vernaculis, & quæ antiqua, qubus hodiernis reſpondeant, docebit Riccioli *Onomaſticon poſterius.*

§. VI.

Atque heic notandum eſt, propter varias in eadem prouincia, aut vicinia vſitatas linguas, ſæpe vnum eundemque locum variis quoque nominibus vernaculis appellari. Sic loca in Cantabrorum agris plerumque aliter a Cantabris, aliter ab Hiſpanis, aliter a vicinis Gallis vocari, *in Hiſp. cap. XII,* Merula notauit.

§. VII.

Cauendum quoque diligenter eſt, ne eadem nomina, vel etiam ſono affinia, varia tamen & diſtincta loca deſignantia, confundantur. Id quod multis errandi occaſionem præbuit.

§. VIII.

Vernaculorum autem nominum ſcripturam & pronunciationem quod attinet, in ea ſequendi potiſſimum regionum locorumque, quæ per ea deſignantur, incolæ. Nam a peregrinis Scriptoribus dici non poteſt, quantum corrumpi & in alia, ſæpe vix duabus litteris conuenientia, transformari ſoleant.

§. IX.

Denique etſi non omnino neceſſarium, jucundum tamen & quandoque vtile futurum eſt, ſi quis rationes & origines nominum addidicerit. Qua in re laudanda eſt ſingularis diligentia inter antiquos Euſtathii in *Commentario ad Dionyſii Alexandrini Periegeſin*; inter recentiores, Bochartus in *Geographia Sacra*; qui tamen ſubinde e veteri Phœnicum, Ebræa atque Arabica lingua deriuat, quæ haud dubie ortum aliunde traxerunt.

CAPVT VIGESIMVM TERTIVM.

Situs regionum vel abſolute conſideratur vel comparate. Prima ratio *eius abſolute definiendi per Partes globi terreſtris (a) Aridas, quæ in Continentem & Inſulas ſunt diſcretæ. Quattuor Magnæ Continentes recenſitæ. Omnes terræ proprie ſunt Inſulæ: ſed vſus aliter obtinuit. Vetus Orbis; eius fines, partes, diſtan*

ſtantia proxima a qualibet reliquarum partium. America, Terræ item Arctica & Auſtralis; earum fines & a ceteris diſtantia. Inſulæ quænam ſic proprie dicantur? Earum præcipuæ totius Orbis maiores, minores, minimæ recenſentur, ac harum tum ſingulæ, tum tota agmina. Inſulæ quædam fabuloſæ, & earum auctores. Aliæ Continentis partes vi Maris auulſæ. Terræ Procurrentes, Peninſulæ, Iſthmi, Promontoria, Terræ Interamnes, ac Inſulæ Fluuiatiles inſigniores. Generales de omnibus obſeruationes: (b) fluidas, quales ſunt: Oceanus; quid proprie vocetur; Mare, quod pro ſinu interdum ſumitur, variaque nomina a Cardinibus Mundi & Terris, qas contingit, accipit. Caſpium an Mare dicendum? Sinus etiam ab alio ſinu fit; Portum complectitur. Eius nomina alia. Fretum quid? ſpecies eius Boſphorus & Euripus. Totum terrarum Orbem oceano ambiri non veteres tantum crediderunt, ſed hodie etiam experientia conſtat eorum, qui Orbem circumnauigauerunt. Curſus Oceani circa Orbem ex recentiorum obſeruationibus oſtenſus. Oceanus commode diuiditur in Eoum, Atlanticum, Auſtralem & Septentrionalem: vulgo in Mare Indicum, Æthiopicum, Pacificum & Septen-

trionale, quod in varia denuo diſpertitur maria. De Maris proprietatibus ſcriptores potiores laudati. Orbis in Europam, Aſiam, Africam & Americam vulgo dispeſcitur; ab aliis in Veterem & Nouum, aut tres Inſulas Maximas. Secunda ratio *ſitum regionum definiendi per Zonas & climata;* Tertia, *per longitudinem & latitudinem. Vtriusque terminus a quo. Innotescit longitudo cum latitudine e Catalogis Artificum, Globis & Mappis; quæ tamen omnes non ſunt accuratæ.* Quarta ratio, *per Cardines Mundi. Aliter regiones Septentrionales & Meridionales, aliter Orientales & Occidentales dicuntur; nulla abſolute Orientalis aut Occidentalis. Quænam abſolute Meridionales & Septentrionales, quænam comparate?* Quinta ratio, *definiendi regionum ſitum eſt a Maribus, quibus adiacent. Comparate ſitus conſideratur iuxta diſtantiam vulgarem & artificialem. Vnde vtraque æſtimetur? Vulgaris plerumque maior artificiali, idque propter impedimenta viarum & ambages. Vnde cognoſcantur diſtantiæ vulgares, vnde artificiales? Cauſſæ errorum in vtroque diſtantiarum genere adductæ.*

§. I.

§. I.

SItus cuiusque ditionis partiumve eius vel *abſolute* vel *comparate* & reſpectu aliarum ditionum aut locorum conſideratur. *Abſolute*, cum definitur, in qua parte orbis terrarum ſitæ ſint. Qui cum variis modis diuidi ſoleat, inde fit, vt potisſimum quinque modis ſitus alicuius loci definiri posſit: I ſcilicet, ratione *partium*, in quas partim natura, partim humana induſtria orbem terrarum discreuit: II, Ratione *Zonarum & Climatum*, in quas Geographi totum orbem, natura præeunte, diſtribuunt: III, Ratione *longitudinis* & *latitudinis* locorum, quam quisque in Globo, ratione circulorum maiorum, obtinet: IV, Ratione quattuor *cardinum mundi*, quos ſolis curſus efficit: V denique, ratione *marium* ſiue partium Oceani, quas ſingulæ regiones adiacent.

§. II.

Comparate vero, tum quando indicatur, quas regiones, quæ maria, flumina, montes vnusquisque locus ad ſingulas mundi plagas proxime attingat: quod fecit Ioannes Boterus in *Relationibus vniuerſalibus*; tum ratione diſtantiæ a regionibus, locisve aliis.

§. III.

Partes, in quas natura globum terreſtrem discreuit, ſunt *terreæ* vel *aqueæ*. Quædam enim terræ portiones teguntur aqua; aliæ exſtant ſupra ſuperficiem aquæ, a qua cinguntur vel alluuntur. Has Geographi vocant *Aridam* & *Conſiſtentem*; illas *Liquidam* ſiue *Fluidam*.

§. IV.

Sunt etiam partes quædam globi terreni, quæ nunc teguntur aquis, nunc exſtant & conſpicuæ ſunt, vt Inſulæ quædam ad Norvvegiam, Scotiam & alibi: itemque puluini & littora, in quibus fluxus ac refluxus maris locum

ha-

habet; ſed quoniam paruæ admodum ſunt, ſi ad reliqua comparentur, nulla peculiaris claſsis illis aſsignatur, ſed ad partes Continentis referri ſolent.

§. V.

Arida ſiue ex aquis eminens terra vulgo diſtinguitur in *Continentem*, ſiue terram firmam & *Inſulas*.

§. VI.

Continentis vox non vno modo accipitur. Nunc enim, ſtrictiſsimo ſignificatu, deſignat partem terræ, quam mare nullibi alluit; nunc paullo latiore, quæ hinc mari alluitur, inde terræ cohæret; aliquando, quæ vtcunque alteri annectitur; nunc denique, latiſsima acceptione, pars aridæ longe maxima, in latiſsima regna, ampliſsimasque prouincias diuiſa; tamque longe lateque porrecta, vt circuitus aquæ eam cingentis minus ſit ſenſilis, terraque continua eſse videatur. Quæ ſignificatio potiſsimum huius loci eſt.

§. VII.

Huiusmodi Continentes hodie vulgo quattuor numerantur: I, *Vetus orbis*, olim ſolis Europæis cognitus, quem nos incolimus: II, *America* ſiue India Occidentalis intra hæc duo ſæcula primum detecta: III, *Terra Polaris Arctica*, ſiue Orbis Arcticus: IV, *Terra Polaris Antarctica*, ſiue Auſtralis incognita, quæ & *Magellanica* ab inuentore ſuo dicitur; quarum tamen duæ poſteriores non vltra, quam ſecundum littora quædam hucusque innotuerunt; ſecunda etiam magna ſui parte, qua ad Septentriones porrigitur, hodieque incognita eſt.

§. VIII.

Nonnulli Geographorum, in his Bernhardus Varenius, hanc terræ partium in Continentes & Inſulas diuiſionem non tam in natura rerum, quam in vſu loquendi funda-

Geogr. Gener. l. I cap. IX Prop. 2.

datam aiunt. Nam accurate loquendo, omnes terras exſtantes debere *Inſulas* appellari; quia omnes, ſi partes earum coniunctim ſumantur, vndique per circumferentiam ſuam Mari alluantur, adeoque inſulæ maximæ ſpeciem præ ſe ferant. Sed quoniam nonnullæ terræ adeo magnæ vaſtæque ſunt, vt circuitus aquæ, eas ambientis, minus ſit ſenſilis, ad earumque magnitudinem comparatæ reliquæ Inſulæ admodum exiguæ ſint; idcirco conſuetudinem obtinuiſſe, vt hæ ſolæ *Inſulæ*, maiores autem *Continentes magnæ* vocarentur.

§. IX.

Horum opinioni, ne aſſentiamur, illud officit, quod nondum certo conſtat, vtrum Continentes illæ magnæ vndique mari ambiantur; an vero alicubi duæ pluresve cohæreant. De Terris Auſtralibus incognitis quidem hodie certum eſt, eas ab America non modo freto Magellanico, ſed etiam vaſto & aperto Oceano; ab Africa autem & Aſia Oceano Æthiopico & Indico dirimi. Vtrum vero continuo tractu verſus meridiem porrigantur; an vero in varias Inſulas diuiſæ ſint, hucusque incertum eſt: de reliquis vero ne id quidem certo conſtat, eas vbique mari a reliquis ſeparari: cum nec Americæ nec Tartariæ Aſiaticæ Septentrionaliſſima adhucdum explorata ſint; adeoque fieri poſſit, vt alicubi vel America cum Aſia, aut cum Grœnlandia; vel Aſia cum Terra Polari Arctica connectatur. Præterea de Terris quoque Polaribus nondum exploratum eſt, vtrum longo tractu continuentur, an ſpargantur in Inſulas.

§. X.

Ceterum ex his quattuor Continentibus *Vetus Orbis* verſus Septentrionem, quantum ſcitur, Mari Glaciali, Septentrionali, Albo & Oceano Tartarico; verſus Orien-

tem Oceano Sinenſi; verſus Auſtrum Oceano Indico, Auſtrali, & Æthiopico; verſus Occidentem denique Mari Atlantico, vulgo del Nort dicto, cingitur. Diuiditur autem a Mari Mediterraneo & Sinu Arabico in duas partes, Iſthmo, non amplius xxx milliaria lato, in confiniis Ægypti & Palæſtinæ iunctas; quarum vna eſt Africa, alteram Europa & Aſia conſtituunt. Minimo interuallo ab America diſtat, ſi vere rem putamus, circa eam partem Tartariæ Aſiaticæ, Oceanique Tartarici, vbi fretum Anian collocari ſolet. Sed quoniam inter Caput Mendocinum, quod iacet in longitudinis gradu CCXXIV & regionem Ieſſo ac Orientaliſſimas partes Tartariæ, quæ inter gradum CXXC collocantur, incertum eſt, an & quæ terræ interiaceant, potius eſt, vt proximam diſtantiam ponamus inter Guineam & Braſiliam, quippe quæ vix maior eſt XXX gradibus. Polarem Arcticam proxime attingere dicitur circa Fretum Waigaz ſiue Naſſouium, inter Samoiedam & Nouam Zemblam ſitum; Magellanicam prope nouam Guineam, cui Malacca opponitur. Verum cum Noua Zembla & Noua Guinea, ſi Ricciolo credimus, Inſulæ ſint, fieri poteſt, vt alibi propius orbem noſtrum Terra Arctica & Auſtralis contingant. Arctica fortaſſis ad Tartariam vel Regionem Iezzo, vel Grœnlandiam; Auſtralis autem ad Nouam Hollandiam.

§. XI.

Nouus orbis, ſiue America, ad ortum Mari Atlantico, ad meridiem Freto Magellanico vel Mari Brovveri; ad occaſum Mari Pacifico ambitur. Septentrionales partes nondum ſatis exploratæ ſunt, niſi ex aduerſo Grœnlandiæ, vbi Fretum Dauis repertum: cuius tamen exitus nondum cognitus, adeoque incertum eſt, Fretum an ſinus ſit: diſtinguitur a duobus Sinubus, altero Pacifici, altero Atlantici

ticiMaris,pariter in duas partes,exiguo terræ tractu,inter vrbes Panamam & Nomen DEI porrecto, connexas; quarum altera *Septentrionalis* & *Mexicana;* altera *Meridionalis* & *Peruuiana* dicitur.Proxime abeſt,quantum conſtat, ab orbe veteri, vt iam diximus, ex aduerſo Guineæ; ab Arctica circa Fretum Dauis; a Terra Auſtrali, ſi Terram Ignium ad hanc referas,circa Fretum Magellanicum: ſin, fortasſis ad Nouam Zelandiam.

§. XII.

Terra Arctica, qua parte perluſtrata eſt, cingitur Oceano Septentrionali & Glaciali. Circa fretum Dauis ab America; circa Nasſouium, ab orbe veteri proxime, a Magellanica vero vbiqne longisſime diſtat. Huius orbis, præter littora quædam, Europæ oppoſita, (quæ tamen nonnulli Inſularum eſſe volunt) nil amplius Europæis innotuit, quam pars Grœnlandiæ; quæ tamen,adhuc incertum eſt, Inſulane an pars Continentis ſit?

§. XIII.

Denique *Terra Arſtralis incognita* circumdatur Mari Indico, Pacifico, Æthiopico, Brovveri, & Freto Magellanico. Maxime propinqua traditur orbi veteri prope Promontorium Bonæ Spei,vel ad Nouam Guineam; Americæ circa Fretum Magellanicum. Sed vtrumqe incerta fide. Itaque potius dixerim, proxime abeſſe ad Nouam Hollandiam, qua Malaccæ & Iauæ, aliisque Inſulis Indiæ obiicitur.

§. XIV.

Inſulæ ſunt modicæ partes ſuperficiei terrenæ,ſiue aridæ e mari exſtantes, ac vndique eo circumfuſæ. Harum infinitus numerus diuerſaque magnitudo eſt. *Maiores* habentur iſtæ: prope *Europam*, in Oceano Septentrionali, *Islandia* & *Noua Zembla*, ac iuxta quosdam etiam *Grœnlan-*

dia & *Spitzberga;* in Atlantico *Britannia*, olim omnium Inſularum maxima, ſed falſo, credita; eaque multo minor *Hibernia;* in mari vero Mediterraneo *Candia, Sicilia, Sardinia;* prope *Aſiam* in Oceano Sinenſi *Iaponia*, & duæ e Philippinis Inſulis *Luconia* ac *Mindanao*. Quibus addi debent *Iezzo* ſiue Esſo ſupra Iaponiam, & *Corea* inter eandem Iaponiam & Chinam ſita, ſi verum eſt, quod Ricciolus ait. Tandem compertum, vtramque esſe Inſulam; & Iezzo quidem hinc a Tartaria, permodico freto, leucarum IV; inde autem a Quiuiræ & Aniani Regnis freto Aniano leucarum CXXXIII, ac, vt e relatu incolarum & Iaponenſium ſcripſere Ieſuitæ, qui in ea fuerunt, ab vrbe eius primaria Matzumai vsque ad Occidentale caput Nixi dierum LX; ad caput autem Orientale Figazium dierum XC iter continere: in mari Indico *Ceilanum, Sumatra, Borneo, Celebes, Iaua maior*, & ſi Hiſpanarum relationibus fides habenda, *Noua Guinea;* prope *Africam* in eodem Oceano Indico Inſula *Madagaſcar, ſiue* S. Laurentii; prope *Americam Septentrionalem* & aduerſus Europam *Terra Noua*; in Oceano Septentrionali, & in ſinu Mexicano *Cuba* & *Hiſpaniola;* in Mari autem Pacifico, iuxta Ricciolum aliosque, *California*. Denique prope *Meridionalem* ad fretum Magellanicum *Terra Ignium*, niſi tamen e diuerſis Inſulis Minoribus conſtat.

Præf. Geogr Ref §. 7. & 8

§. XV.

Aliquanto *minores*, nondum tamen minima magnitudine ſunt, iuxta Europam in Mari Mediterraneo, *Maiorica, Corſica, Cyprus, Eubœa* hodie Negroponte; in Oceano Septentrionali, ſub ingresſus Maris Baltici, *Selandia* & *Fionia;* iuxta Aſiam in Oceano Indico *Gilolo* & *Amboina;* iuxtà Americam in Sinu Mexicano *Iamaica;* ad fretum Magellanicum *Terra Ordinum*, & in Oceano Pacifico *Iſabella*,

bella, vna ex Inſulis Salomonis; iuxta Terras Auſtrales denique in Mari Anchidolio *Ceiram* & *Tomir* cum quibusdam aliis obſcurioribus: in Oceano Chinenſi *Ainan* & *Formoſa*, &c.

§ XVI.

E *Minimis*, quarum innumerabilis copia eſt, præcipue celebrantur in Mari Mediterraneo *Rhodus*, *Malta*, *Chius*, *Cephalonia*, *Iuica*, *Minorica*; in Oceano Atlantico, inter Africam & Americam Meridionalem, Inſulæ *S. Helenæ*, *Aſcenſionis*, *D. Thomæ*; ac in eodem Oceano e regione littoris Barbarici *Madera*; in Mari Indico *Zocotora*, ad fauces ſinus Arabici; in Mari Baltico *Gotlandia*, *Oſelia* & quædam ad regnum Daniæ pertinentes, &c.

§. XVII.

His adde *agmina Inſularum*, vno nomine comprehenſarum, quales ſunt ad Europam *Inſulæ Maris Ægei* ſiue Archipelagi; & in Oceano Septentrionali *Orcades*, *Hebrides*, *Danicæ*, *Norwegicæ*, Inſulæ *Ferro*; ad Aſiæ littora in Oceano Indico *Maldiuæ* ad vndecies mille, *Mollucæ & Bandanæ*; in Mari Pacifico *Philippinæ*, quarum ingens numerus; inter Africam & Americam in Oceano Atlantico *Canariæ* circiter decem: *Aſores* ſiue *Flandricæ* & *Heſperides* ſiue *Capitis Viridis* duodecim; ad Americam in Sinu Mexicano, vel circa eum, *Lucares* ad quadringentas, primæ omnium ex Americanis detectæ, itemque Inſulæ *Principis Camercanæ &c.* Denique ad Fretum Magellanicum *Inſulæ Salomonis*, & quæ ad *Terram ignium* ſitæ.

§. XVIII.

Memorantur & aliæ quædam Inſulæ a Geographis, ſed quas, cum, etſi diligentisſime inueſtigatæ, hoc ſæculo reperiri non potuerint, fabuloſas & confictas putant. Huiusmodi ſunt, *Friſlandia*, quam Hibernia maiorem

faciunt, *Eſtotilandia*, *Griſlandia*, & aliæ quædam a Marco Antonio & Nicolao Zenis, Venetis, vt creditur, excogitatæ: itemque Inſula *Paradon*, quam Luſitani c milliaribus a Canariis in occaſum, pleriſque inconſpicuam, & a Chriſtianis habitari aiunt; ſed Hiſpani nunquam inuenire potuerunt.

§. XIX.

Notandum etiam, quasdam Inſulas quondam partes Continentis fuiſſe, ſed poſt violentia maris auulſas dici, vt Siciliam ab Italia, Ceilanum, Sumatram & Maldiuas ab India, & fortaſſe plures ab aliis regionibus; ſicuti viciſſim alibi Inſulæ, fretis in Iſthmos mutatis, Continenti annexæ creduntur.

Varen. l. I Geogr. Gen. cap. XIIX. Prop. 12.

§. XX.

Ceterum vtrasque, tam Continentes, quam Inſulas, ſaltem maiores, natura in varias partes diſtinxit, quarum aliæ ſunt *Mediterraneæ*, quæ nullibi mari alluntur; aliæ *maritimæ*, quæ mari adiacent; atque hæ vel leuiter tantum, & exigua ſui parte, mare attingunt, atque generali nomine regionum *maritimarum* appellantur; vel maxima ſui parte, nec vno latere a mari velut includuntur, vt ſunt: *Terræ Procurrentes*, *Peninſulæ*, *Iſthmi*, *Promontoria*, *Terræ interamnes & Inſulæ fluuiatiles*.

§. XXI.

Terræ procurrentes ſunt in Europa *Hiſpania*, *Italia*, *Græcia*, *Aſia Minor* & *Scandia*, Norvvegiam, Suediam & Lappiam complectens. In Aſia *Arabia Felix*, *India extra Gangem* & *Camboia*, & iuxta Martinium, *Corea*. In Terra Auſtrali *Noua Hollandia*, *Noua Zelandia* & *Noua Guinea*, niſi Inſulæ ſunt. In Polari Arctica *Grœnlandia*, ſi, vt hodie plerique cenſent, Americæ connectitur. In America denique *Noua Britannia*, vna cum *Nouo Belgio*, & iuxta pleros-

que

que *California*. In Inſulis quoque paſſim haud exiguæ reperiuntur: vt in Meridionali parte *Angliæ* & *Iaponiæ*; in Septentrionali *Madagaſcar*; in Occidentali *Islandia*, *Celebes*, *Mindanao* & *Cuba*; in Orientali *Terra Noua*, *Iezzi*, &c.

§. XXII.

Peninſulæ potiores, præter illas quattuor maximas, in quas vetus& nouus orbis diſtinguitur, ſunt in Continenti Europæ *Cherſoneſus Cimbrica*, hodie Iutlandia; *Thracia* ad Helleſpontum; *Caſſandria* ad Sinum Theſſalonicenſem; *Taurica*, hodie Tartaria Precopenſis; *Peloponneſus*, hodie Morea; in Aſia *Cherſoneſus Aurea* veterum, hodie Malacca; *Cambaia* in mari Arabico; in America *Noua Francia*, in Orientali latere Americæ Septentrionalis; & *Iucatan* in Sinu Mexicano.

§. XXIII.

Iſthmus tribuitur κατ' ἐξοχὴν *Corinthiaco*, omnium celebratiſſimo, qui Græciæ reliquæ Peloponneſum annectit. Præter hunc inſigniores alii quinque numerantur. *Primus*, qui Aſiæ Africam; alter *Malaccenſis*, qui Malaccam Indiæ reliquæ; tertius *Tauricus*, qui Cherſoneſum Tauricam Tartariæ Europeæ; quartus *Thracicus*, qui Cherſoneſum Thracicam reliquæ Thraciæ; quintus denique *Panamenſis*, qui Americam Meridionalem Septentrionali iungit.

§. XXIV.

Promontorium Latinis veteribus dicitur *Lingula*, recentioribus *Caput*, ac Luſitana voce *Cabo*. Celebriora Promontoria ſunt *Caput Septentrionale*, vulgo Noord Cæp in Finmarchia; *Caput finis terræ*, olim Promontorium Nerium, in Gallicia; *Caput S.Vincentii*, olim Promontorium Sacrum, in Regno Algarbe; *Caput Blancum* & *Caput*

Viride in Africæ ora Occidentali; *Caput Bonæ Spei* in meridionaliſſima parte Africæ, omnium celeberrimum; *Caput Comorinum* in India; *Cincapuræ* in Malacca; *Liampoum* in littore Sinenſi; *Victoriæ* & *Deſideratum* ad fretum Magellanicum; *S. Lucæ* in California; *Mendocinum* ſiue *Currentium* in America Septentrionali; & quædam alia apud Ricciolum. Promontoriis affinis eſt *Cuſpis* Italis aliisque nationibus *Punte*, quæ eſt pars terræ ſine altitudine acuminatim in mare producta.

Geogr. Ref. l. X c. VIII. l. IX. c. IV.

§. XXV.

Terræ Interamnes ſunt *Pannonia interamnis*, ac vicina *Stiria*, *Meſopotamia*, *pars Bauariæ* inter Ænum & Iſarum, & vicina *pars Archiepiſcopatus Salisburgenſis* inter Ænum & Salzam, multæ *partes Lombardiæ*, & *quædam Mediterraneæ* Regni Sinenſis &c.

§. XXVI.

His affines ſunt, quæ partim mari, partim flumine vno pluribusve ambiuntur, vt *Lincolnia* & *Norfolcia*, Prouinciæ Angliæ, *Schrikfinnia* Suediæ, *Pars* Occidentaliſſima *NorVVegiæ*, maxima *pars Hetruriæ* cum *Patrimonio Petri*, diuerſæ *partes Indiæ extra Gangem*, Regni Sinenſis Prouincia *Xantung*; partes Prouinciæ *Nanquing &c.*

§. XXVII.

Inſulæ Fluuiatiles ſunt, quæ in medio flumine ſitæ, vndique fluuialibus aquis circumdantur. His accenſeri posſunt: I, Quæ inter duo brachia vnius fluminis iacent, vt *Meroë* Nili Inſula, &c. II, Quæ inter mare & diuerſa oſtia vnius fluminis, v.g. Danubii, Nili, Nigri ſitæ: III, Quæ in lacubus exſiſtunt, vt illa in Zembre, lacu Africæ, *Inſula Plumbi* in lacu quodam Americano.

§. XXVIII.

De his omnibus obſeruandum eſt, cum ab inuaſionibus

bus exterorum, maxime vicinorum, tum a contagione morborum malignorum, tanto tutiorem eſſe, ceteris paribus, vnamquamque terræ partem, quanto magis mari alluitur, aque terris aliis ſeiungitur: adeoque tutiſſimas omnium eſſe Inſulas medio Oceani & procul Continenti ſitas, ſi præſertim portus & aditus bene munitos cuſtoditosque habeant. Poſſunt tamen & mediterraneæ æque tutæ, immo quandoque tutiores eſſe maritimis, ſi montibus aut fluminibus maioribus vndique concludantur. Quod etiam de Peninſulis, Terris Procurrentibus, & Iſthmis affirmandum eſt, ſi, qua parte terras alias contingunt, montibus, fluminibus, muris aliave ratione probe communiantur.

§. XXIX.

Hæc de *Arida* ſiue partibus globi terreſtris conſiſtentibus. *Fluidæ* ſeu *aqueæ, minores* aliæ, aliæ *maiores* & veluti principales ſunt: illæ ſunt Fluuii, Lacus, Paludes, Stagna, Torrentes, Riui, Fontes, Putei: de quibus commodius dicemus infra, cum de natura & qualitate locorum agemus.

§. XXX.

Maiores ſunt *Oceanus*, eiusque partes, *Maria, Sinus, Freta:* de quibus pauca ad inſtitutum noſtrum facientia ſubiiciemus.

§. XXXI.

Oceani vox dupliciter accipitur; vel enim pro tota aqua, quæ tellurem ambit, ſumitur; vel pro parte eius, quæ alteri parti ab vtroque latere lato tractu adhæret. Quo poſteriore ſignificatu dicimus *Oceanum Atlanticum, Æthiopicum, Indicum, Chinenſem, Germanicum, &c.* quos alii *Maria* appellare malunt; quanquam & vox *Maris*, vt mox dicemus, non vno modo accipitur. Priore ſignificatu, quo

nos hanc vocem accipimus, Mare ſignificat vniuerſam aquarum collectionem, ſiue quidquid aquarum terris paſſim diffuſum omnem Aridam cingit, eique maximarum inſularum ſpeciem conciliat. Dicitur & *Mare Magnum* ad diſcrimen eorum, quæ proprie *Maria* vocantur.

§. XXXII.

Maris vox, præter ſignificationem modo dictam, duas alias obtinet. Interdum enim & magni Sinus ſic vocantur, vt *Mare Mediterraneum, Balticum, Rubrum, Album, Hudſoni &c.* Proprie vero ſolæ partes Oceani vtrinque longo tractu, reliquo mari connexæ. Quo ſenſu nihil aliud eſt, quam congregatio multarum aquarum ad certum mundi cardinem, aut certum terræ locum. Vnde nunc a cardinibus mundi nomen ſortitur, vt cum *Eoum, Auſtrale, Occidentale, Septentrionale* dicimus: nunc a terris, quas contingit, vt *Indicum, Æthiopicum, Atlanticum, Britannicum, &c.* Quæ omnia, & quocunque alio nomine vocentur, partes ſunt vnius eiusdemque Oceani, communionem inuicem habentes, vno *Mari Caſpio* excepto, quod nulla in parte reliquo mari, niſi forte ſub terra, cohæret: adeoq; *lacus* potius, quam *mare* dici debet. Propter magnitudinem tamen ſuam nomen & dignitatem *maris* retinet.

§. XXXIII.

Sinus prout partem maris denotat, (nam & littus ipſum, quod mare ſuis veluti brachiis complectitur, ſic dici ſolet) eſt excurſus maris, ſiue aquarum multitudo, inter duas terras ex Oceano vel alio maiore ſinu decurrens, vsque dum ad aliquam terram ſiſtatur, & velut in ſe redeat. Itaque non tantum Maria & partes Oceani maiores, ſed etiam Sinus ipſi maiores & ampliores rurſus alios ſinus faciunt, dum in anguſtum deflectunt. Huiusmodi ſunt

Si-

Sinus Adriaticus, *Theſſalonicenſis*, *Mare Ægæum* in Mari Mediterraneo; *Finnicus*, *Boddicus* & *Liuonicus* in mari Baltico. Pars ſinus eſt *Portus*, quo nomine deſignatur ſinus modicus tantæ profunditatis, quæ ſit ferendis ac recipiendis nauibus. Dicitur & *Statio nauium* ac *Nauale*. Græcis eſt κόλπος, vnde Italorum Hiſpanorumque *Golfo*. Plinius *a*) & Mela *b*) Græcorum imitatione *Gremium* dixere; alii *Receſſum maris maiorem*. Hiſpanis, eorumque imitatione aliis, *Baya* dicitur. In Aridæ partibus ei proportione reſpondent Promontorium & Terra Procurrens, ac ſi anguſtum ingreſſum habet, Peninſula; ipſi autem ingreſſus ab oris ſimilitudine vocantur *Fauces*; Italis *Bocca*. Præcipuos ſinus enumerant Cluuerius cum Bunone *c*) Varenius *d*) Sed multo plures *e*) Ricciolus.

a) *Nat. H. IV*, 10.
b) *II, c. III.*
c) *l. I, Introd. Geogr. c. XI, XII.*
d) *l. I, c. XII.*
e) *l. I, Geogr. Ref. c. XIV*

§. XXXI.

Fretum, Græcis πορθμὸς, Hiſpanis *Eſtrecho*, Italis *Stretto*, Gallis *Eſtroit*, Belgis *Hoofden*, eſt pars Oceani ſeu magni alicuius Sinus, inter duas terras anguſto tractu decurrens, duoque maria vel earum partes connectens; eſtque triplex. Aut enim Oceanum Oceano, aut Sinum Sinui, aut Oceanum Sinui iungit. Proportione reſpondet Iſthmo. Si valde arctum eſt, appellatur *Bosphorus* & *Euripus*; quod poſterius nomen præcipue tribuitur Fretis, quæ Inſulas a ſe inuicem, aut a Continenti ſeparant. Potiora recenſuit Buno ad Cluuerium, *f*) Varenius, *g*) Weigelius, *h*) & plenius Ricciolus, *i*) Quibus addi debent *Fretum Tesſoi*, inter Tartariam & Terram Iezzo, & *Fretum Friſum*, inter Iezzo & Terram Societatis; vtrumque paucis abhinc annis ab Hiſpanis Belgiſque detectum. Fretis affines ſunt, quos vulgo *Canales* vocant, aliquanto latiores quam freta; anguſti tamen, ſi cum reliquis maribus comparentur, trans-

f) *l. c.*
g) *l. c.*
h) *Spec. Terr. c. I, §. XXVII*
i) *l. c.*

itus ; qualis eſt, qui inter Angliam & Galliam interfluit, & quidam alii.

§. XXXV.

Hunc Oceanum continuo tractu terram vniuerſam, ſeu Aridam, ambire, eiusque ſuperficiem, quanquam alicubi coarctetur, nusquam tamen per interpoſitas terras interrumpi penitus, ac ſeparari, non modo veteres plerique firmiter crediderunt, cum ſolum noſtrum orbem cognitum haberent : ſed etiam hodie certa experientia conſtat, poſtquam vniuerſa tellus primo ab Hiſpanis, Duce Ferdinando Magellano; deinde bis ab Anglis, FranciſcoDraco &ThomaCandiſchio,ſiue,Cauendiſchio; poſtremo quinquies a Belgis circumnauigata eſt. Quod tamen de ſola illius longitudine, ſecundum ductum Æquatoris ab occaſu in ortum, & hinc rurſus ad occaſum, inter polos orbis progrediendo, accipi debet. Nam quod latitudinem eius, in Meridiano computatam, attinet, nondum quisquam, quod conſtet, in Septentrione vel noſtrum orbem, vel Americam, nedum Terram Polarem, quemadmodum nec inMeridie terramAuſtralem circumuectus eſt; etſi id olim nonnulli ſiue iactarunt ſiue crediderunt; ac fieri poſſe, etiam noſtro tempore Ruſſi quidam affirmant.

§. XXXVI.

Eſt autem totius Oceani, ſecundum recentisſimas, quæ nobis quidem innotuerunt, obſeruationes, circumductus, ſiue circa terrarum orbem curſus huiusmodi : *A Freto WAigaz* ſiue Nasſouio in Septentrionen, circa Nouam Zemblam, Spitzbergam, Islandiam & Grœnlandiæ littora, incertum quousque, fluit; inde ad Meridiem, pergens verſus Orientem interSamoidam & Lappiam*Mare Album;* verſus Occidentem vero ſupra Canadam &Terram

ramNouam primo per *Fretum Dauis* in Sinum *Baffini;* dein per *Fretum Hudſoni* in *Mare Hudſoni*, eiusque Sinus *Iameſium* ac *Hudſonium* illabitur; hinc decurrit inter Europæ & Americæ littora, diciturque generali nomine *Oceanus Atlanticus*; in partibus autem Europæ proximis *Caledonius*, *Hibernicus*, *Britannicus*, *Danicus* (vbi Mare Balticum facit) *Germanicus*, *Aquitanicus*, *Cantabricus*, *Hiſpanicus* (e quo *Mare Mediterraneum* effluit) denique ad Africam *Mare Atlanticum* ſpeciatim ſic dictum. Ad oppoſita vero Americæ littora *Mare Virginium*, quod *Sinus Mexicanus* excipit. Mox vltra Æquatorem inter Africam & Braſiliam dicitur *Oceanus Æthiopicus*, atque ex vna parte per *freta*, *Magellanicum* ac *Lemarium*, & ſupra Terram Ignium ac RegionemOrdinum per *Mare Browveri* a *Mari Pacifico*; ex altera prope Promontorium Bonæ Spei *a Mari Indico* excipitur. Hoc primum inter Africam & Terras Auſtrales; mox effuſo Sinu Arabico inter easdem terras & Aſiæ littora fluit, ac ea parte, qua *Mare Rubrum* vocatur, *Sinum Perſicum* facit; hinc *Bengalenſem*, (veteribus Gangeticum dictum) & *alium* inter Malaccam & Camboiam, quem *Cochinchinenſis* excipit. Vtrisque *duo Sinus Terræ Auſtralis* circa Nouam Hollandiam & Nouam Guineam opponuntur, quorum vnus Mare *Anchidolium* appellatur, alter, inter Caput Falſum & Nouam Guineam, nomine caret; inde vaſto tractu inter Aſiam & Americam decurrens, qua parte Aſiam præterfluit, ac facto *Sinu Nanquinenſi*, Coream ac Iaponiam, partemque Tartariæ præterlapſus, inter Tartariam & Iezzo per fretum anguſtisſimum Tesſoi; inter Iezzo autem & Terram Societatis per fretum ſiue *Canalem Friſium* illapſus, *Oceanus Tartaricus* appellatur, ac ad fretum vsque Nasſouium pertinere, ſed incerta fide, creditur. A *Freto* autem *Magellanico* ac

deinceps Septentrionem verſus Americæ littora Occidentalia, Chili, Peru, Mexicana, Nouæ Hiſpaniæ & Californiæ attingit. Vltra Caput Mendocinum, quousque & quibus partibus, quo flexu curſuque Americam alluat, hucusque, quod ſciam, compertum non eſt. Neque conſtat vtrum vel inter Grœnlandiam & Americam, vel ſupra Grœnlandiam, vel denique inter Americam & Terram Iezzo Septentrionali Oceano iungatur. Nam quod nonnulli heic ponunt Fretum Anian, coniectura potius, quam certa experientia niti videtur, neque exploratum eſt, a quo primum excogitatum ſit.

§. XXXVIII.

Porro Oceanus, prout Mari Interno ceterisque magnis ſinubus contradiſtinguitur, Latinis Mare Externum, Germanis die offene See / commodisſime quidem, ratione ſitus & quattuor magnarum Continentium, diſpeſcitur in quattuor particulares Oceanos; quorum primus *Eous*, ſiue *Orientalis*, comprehendit quidquid aquarum ingenti tractu inter Americæ littus Occidentale & Aſiam, alter *Occidentalis* ſiue *Atlanticus*, quidquid inter Veteris Orbis Occidentale & Noui Orientale littus interiacet: tertius *Auſtralis*, qui terras Auſtrales: quartus *Septentrionalis*, qui Polares Arcticas cingit. Qua ferme ratione Veteres Oceanum diuidebant: de quo præter illos, quos ſupra laudauimus, videndus ſunt Merula *a*) & Concius *b*) Nec male Ricciolus diſpeſcuit in Oceanum *Hemiſphærii antiqui*, cuius partes ſint, *Occidentalis*, *Septentrionalis*, *Eous* & *Auſtralis*; & *Hemiſphærii Noui*, cuius partes facit *Braſilicum*, vltra Orientalem, citra Æquatorem; *Pacificum* ſiue Meridionalem ad Californiam vsq; atque inde ad Quiuiram, *Occidentalem*. Hodie tamen a plerisque paullo aliter dispertiri ſolet: quanquam in totidem maria principa-

a) Part. I, Coſmogr. lib. III c. VI VII, VIII.

b) Geogr. Spec. cap. I. Art. II, n. V.

palia, quæ ſingula ſecundum diuerſas ſui partes, aut etiam tota, a ſitu, terris vicinis, natura aquarum, aliiſque circumſtantiis, varia nomina indipiſcuntur. Quidquid enim inter Africam, Aſiam & Terras Auſtrales a Capite Bonæ Spei vsque ad Moluccas & Philippinas Inſulas protenditur, id *Mare Indicum* & *Oceanum Orientalem* vocant; cuius pars eſt *Mare Arabicum* ſiue *Indicum* in ſpecie ſic dictum, complectens *Rubrum* ſiue *Erythræum*, & in hoc *Arabicum* ac *Perſicum*; *Aſperum*, Ricciolo *Archipelagus S. Laurentii*, circa Inſulam Madagaſcar & vicinas, & verſus meridiem *Auſtrale*: Sinus autem præcipui *Bengalenſis* a Capite Comorino ad Fretum Cincapuræ, *Perſicus*, *Arabicus & Barbaricus*. Ab eodem Capite Bonæ Spei vsque ad lineam Æquinoctialem, ſiue vt alii, ad oſtia Nigri fluminis inter Americam, Africam & Terras Auſtrales porrigitur, *Oceanus Æthiopicus*, terminaturq; freto Magellanico. A quo vsq; ad Fretum Tesſoi & Terram Iezzo, ſiue partes extremas Tartariæ inter Aſiam, Americam & terras Auſtrales Americæ oppoſitas, interfunditur *Oceanus Auſtralis*, qui & a fluctuum placiditate *Pacificus*; ac vbi regnum Peru alluit *Peruuianus*, vbi Sinam, a Macao ad Coream vsque, *Sinenſis*; vbi Tartariam, *Sericus*, & circa fretum Magellanicum, *Magellanicus* dictus, cuius pars eſt *Mare Brovveri*, vltra Terram Ignium; prope Philippinas aut Moluccas, Iauas, Latronum, Saltatorum, Nouam Guineam, aliasque vicinas Inſulas & oram Siamenſem ac Cochinchinenſem, ad fretum vsque Cincapuranum, & Inſulam Timor, *Archipelagus S. Lazari*; hinc ad Nouam Hollandiam, Terrasque Auſtrales *Mare Anchidolium*. Præcipui *Sinus* eius ſunt ad Sinam *Nanquinenſis*, ad Americam *Californicus*, vulgo *Mare Vermeium*, & qui inter Nouam Hollandiam & Carpentariam ſe inſinuant.

§. XXXVIII.

§. XXXVIII.

Quod in Septentrione ad Æquatorem vsque ſupereſt, inter Americam, Europam, Aſiam,& Polarem Arcticam, *Oceanus Septentrionalis*, *Atlanticus* & *Occidentalis* dicitur, variisque nominibus diſtinguitur. Nam in vltimo Septentrione dicitur *Oceanus Scythicus*, *Hyperboreus*, *Tartaricus* & *Mare Arctoum*, *Concretum*, *Amalchium*, *Glaciale*, *Cronium*, *Mortuum* (Tacitus etiam *Pigrum* vocat) *Ruſſis Mourmanskoy Mare*, cuius Sinus eſt *Mare Album*: Mox inter Oby fluuium & Lappiam *Oceanus Sarmaticus* & *Mare Pezoricum*: hinc prope Norvvegiam, Suediam, Daniam & Germaniam, *Oceanus Germanicus*, vulgo die Nort-See / & vbi Holſatiam alluit, *Cimbricus*, vulgo die Weſt-See/ vnde *Sinus Codanus*, ſiue *Mare Balticum* oritur. Porro ſupra Scotiam, inde ab Islandia, *Oceanus Scoticus* olim *Caledonius*; inter Galliam & Britanniam *Mare Britannicum*, vulgo das Canal; inter Britanniam & Hiberniam, *Hibernicum* ſiue *Canalis S. Georgii*, quod iuxta latus Hiberniæ, Galliæ oppoſitum, *Oceanus Vergiuius excipit*. Prope Aquitaniam, ad Baionam vsque, *Aquitanicus*; hinc ad Biſcaiæ & Aſturiæ littora *Cantabricus*; inde ad Caput Finis Terræ *Callaicus*; atque inde vsque ad fretum Herculeum, quod initium eſt maris Mediterranei, *Mare Hiſpanicum*. Ad oppoſita vero Nouæ Virginiæ & Floridæ littora, *Mare Virginium*, Sinum Mexicanum proxime attingens. Denique, quod ſupereſt, vsque ad Nigri fluminis oſtia, vel, iuxta alios, ad Æquatorem vsque, generali nomine *Mare Atlanticum* dicitur.

§. XXXIX.

Atque hæc de Oceano: de cuius natura & proprietatibus (quæ & ipſæ notitiæ noſtræ ſtudioſo quodammodo cognoſcendæ ſunt) inter alios breuiter Merula; *a)* proli-

a) Coſmogr Part. I, lib. III, c. V.

lixius vero & accuratius *b)* Varenius & *c)* Ricciolus expoſuerunt. De motu eius ſeorſim & præſertim fluxu & refluxu poſt alios Iſaacus Voſſius libro *de motu marium ac ventorum*, & Tho. Moretus *de Æſtu Maris*, itemque Athanaſius Kircherus *in mundo ſubterraneo*. Varias de eo ſententias magna induſtria collegit Andreas Riuinus in duabus diſputationibus Lipſiæ editis.

b) l. I, c. XIII ſeq.
c) lib. X.

§. XL.

Hactenus recenſuimus partes, in quas natura terrarum orbem diuerſimode diſcreuit. Huius diuiſionis reſpectu ditiones Imperiorum nunc in Continenti, nunc in Inſulis; modo Mediterraneæ, modo Maritimæ, & in hoc illove mari, vel iuxta illud ſitæ dicuntur. Humana diuiſio eſt (vt varias veterum, de quibus alibi, nunc omittamus) qua vulgo, neglecto naturali partium diſcrimine, vniuerſus orbis in quattuor partes diuidi ſolet, *Europam, Aſiam, Africam & Americam*: ad quarum poſtremam etiam Terræ Polares; partes autem Oceani cum Inſulis, quas ambiunt, ad eas ex quattuor dictis partibus referuntur, quas ſingulæ proxime attingunt. Hæc diuiſio, etſi naturæ non ſatis congrua, tamen, quia paſſim recepta eſt & noſtro inſtituto apta & ſufficiens, etiam in diuiſione ditionum earumque ſitu deſcribendo, commode retineri poteſt. Ac proinde eius reſpectu, ſicut Imperia ipſa, ita ditiones eorum vel Europææ erunt, vel Americanæ, vel Aſiaticæ, vel Africanæ. De quibus tamen obſeruandum eſt, non ſemper omnes ditiones alicuius Imperii ea parte contineri, ad quam Imperium illud refertur: ſed interdum Europæi ditiones quaſdam in Aſia, Africa aut America; Aſiatici in Europa & Africa ſitas eſſe.

§. XLI.

Recentiſſimi quidam Scriptores Geographici, in his

lib. 1, Not. Geogr. c. V. Georgius Fournier, totum *Orbem* in *Veterem* ac *Nouum*, ac vtrumque rurſus in tres partes diſpeſcunt: *Veterem* ſcilicet in *Europam, Aſiam* & *Africam*; *Nouum* in *Americam, Terras Septentrionales* & *Auſtrales*. A qua diuiſione parum differt illa Riccioli, totum orbem in *ſeptem partes*, Americam in *duas partes*, Iſthmo iunctas, diſſecantis: quam diſtributionem inæqualem & parum proportionatam eſſe, facile ex ſuperioribus apparet. Nec magis probari poteſt illa Cluuerii aliorumque in *tres Inſulas Maximas*, vnam, quam incolimus, alteram Americam, tertiam Magellanicam, quidquid vſpiam terrarum eſt, partientium. Certe ad noſtrum inſtitutum neutra facit: quod in Terris Polaribus & Auſtralibus nulla hucusque Imperia detecta ſunt: niſi quod ante annos circiter CCCC M. Paullus Venetus in Terra Beach Regnum & Regem ſe reperiſſe tradidit; de quibus tamen non niſi paucisſima ſcripto conſignauit.

l. 1, c. VII, §. IV.

l. 1, Introd. Geogr. cap. XIV.

§. XLII.

Hæc de prima ratione ſitus Locorum cognoſcendi. Altera, vt diximus, a *Zonis* & *Climatis* deſumitur. Sunt autem *Zonæ* ſpatia terrenæ ſuperficiei magna, variasque regiones in ſe continentia, Tropicorum aut Polarium Circulorum beneficio in faſciæ clypeive formam orbiculata ac gradibus caloris & frigoris diſtincta. *Climata* vero partes Zonarum, nil aliud ſunt, quam ſpatia globi terreni, binis circulis, Æquatori parallelis, & tantum inter ſe diſtantibus, quantum longisſimæ in anno diei per ſemihoram, & tandem per menſem integrum variandæ ſufficit, comprehenſæ. Vſus vtrorumque triplex eſt. Indicant enim I, certa quadam ratione gradus caloris & frigoris in ſingulis regionibus, ſed non ſine cautione multiplici: II, Diei maximæ longitudinem & anni tempora: III, Mores atque ingenia incolarum. Nam pro diuerſitate Zonarum &

Cli-

Digitized by Google

Climatum diuerſa quoque feruntur eſſe hominum ingenia, de quo plura infra. De his non eſt, cur multa heic dicamus. Quæ ad inſtitutum noſtrum accommodata ac neceſſaria ſunt, breuiter peti poſſunt e Cluuerio *a*) & Bunone; aut ſi quis plura cupiat, e Merula *b*) Varenio *c*) & præſertim e Ricciolo *d*) qui & varias Climatum tabulas ſecundum diuerſas mundi ætates exhibet, & quomodo emendari debeant, oſtendit. Accuratas etiam Climatum Tabulas Merula habet. Quæ autem regio, cui Zonæ Climative ſubiecta ſit, cum e latitudine loci, de qua mox, tum e maxima diei longitudine cognoſcitur.

a) *lib. I, cap. V, VI.*
b) *l. c. c. XXII.*
c) *cap. XXIV ſeqq.*
d) *l. VII, c. IX, X. ſeqq.*

§. XLIII.

Tertia eaque vulgatiſſima ratio, ſitum locorum definiendi, a *longitudine* ac *latitudine* eorum deſumitur. Nam in earum concurſum ſitus cuiusque loci incidit, exceptis, quæ ſub Æquatore & primo Meridiano iacent. Ceterum longitudinis & latitudinis vocabula heic non accipimus pro extenſione locorum in longum & latum, quomodo longitudinem ac latitudinem Galliæ, Hiſpaniæ, alteriusve regionis tot leucarum aut milliarium eſſe dicimus: ſed pro diſtantia loci cuiusque a Meridiano vel Æquatore, ſenſu quidem paullo duriore & valde improprio, ſed tamen Geographis receptiſſimo. Nobis igitur *longitudo* loci eſt diſtantia eius a primo Meridiano in Æquatore, eiusve parallelo circulo, verticem loci transeunte, verſus ortum numerata: *Latitudo* autem diſtantia ab Æquatore via breuiſſima numerata verſus alterutrum polorum in Meridiano eiusdem loci.

§. XLIV.

Terminus igitur, a quo numeratio procedit, in latitudine eſt Æquator; in longitudine primus Meridianorum: ille omnium conſenſu medium inter polos Globi terre-

Digitized by Google

ſtris obtinet, aque natura ipſa veluti monſtratur. At Meridianus primus, quia ab arbitrio hominum vnice pendet, ab aliis alibi collocatur. De quo, aliisque ad logitudinem ac latitudinem locorum pertinentibus videri poſſunt Geographi modo laudati.

§ XLV.

Quo pacto longitudines ac latitudines locorum primitus ex obſeruationibus, aut calculo indagari poſſint, paſſim docent Geographi & Aſtronomi, quorum varios modos collegit, ac ſuum de ſingulis iudicium addidit Varenius *a*) accuratiſſime vero omniũ id argumentũ tractauit Ricciolus. *b*) Iam indagatæ innoteſcunt I. ſimpliciſſime *e Catalogis probatorũ artificium*, quales dederunt e veteribus Ptolomæus; e recentioribus Appianus, Maginus, Orontius, Giraua, Gemma Friſius, Munſterus, Langius, Herigonius, in *Compendiis & Syſtematis Geographicis*, & multo diligentius in *Epitome Geographica* Ferrarius, Varenius, Schottus, in *curſu Mathematico* & Ricciolus: ex Aſtronomis vero Blebelius in *Sphæra*, itemque *Tabulæ Alphonſinæ, Prutenicæ, Danicæ, Rudolphinæ, Philolaicæ, Meletianæ, Argoli*: II, E *Globis & Chartis Geographicis*, de quibus Weigelius in *Speculo Terræ* videndus.

a) c. XXIII, Prop. IX. &c.
b) lib. X, Almag. Noni, ſect. IV, ſeq. Geogr. Ref. lib. VII & VIII.

§. XLVI.

Vbi tamen notandum, longitudines ac latitudines tam in Catalogis Artificum, præſertim antiquioribus, immo fere omnibus, qui ante Ricciolum ſcripſerunt, quam in Globis & Chartis, hucusque annotatas obſeruatasque paſſim cum inſigni varietate, tum multis erroribus ſcatere. Neque mirum; cum non ſine multis difficultatibus deprehendi poſſint, præſertim longitudines, quarum indagandarum accuratam perfectamque methodum nondum quisquam excogitauit; quanquam ſplendida in-

Digitized by Google

inuentoribus præmia a Gallis, Anglis & Belgis propoſita ſint, multique docti ac ſollertes Viri ſummam induſtriam adhibuerint.

§. XLVIII.

Ratione *Cardinum Mundi*, aliæ *Septentrionales*, aliæ *Meridionales;* ac rurſus aliæ *Orientales*, aliæ *Occidentales* appellantur. Inter quas tamen hoc diſcriminis intercedit, quod Septentrionalis aut Meridionalis dici aliqua regio tam abſolute, quam comparate, ſiue aliarum reſpectu poteſt: Orientalis autem & Occidentalis non niſi comparate. Neque enim vt Septentrionales & Meridionales mundi plagæ fixam perpetuamque ſedem habent; ita pariter Oriens & Occidens certis mundi partibus conſtanter adhæret: ſed quoniam Sol, dum vni regioni oritur, alteri occidit, vnique occidendo oritur alteri, adeoque ſemper ſecundum diuerſas orbis partes ſimul oritur occiditque: ideo nulla pars terræ abſolute Orientalis aut Occidentalis dici poteſt, ſed tantum comparatione partium aliarum. Sic Thuringia, cum vicinis prouinciis, Hiſpaniæ Galliæque Orientalis; Bohemiæ vero, Auſtriæ & Hungariæ Occidentalis; abſolute vero nec Orientalis nec Occidentalis eſt. Vſus tamen obtinuit, vt a nobis Europæis *Occidentales* ſimpliciter dicantur omnes regiones Americæ, Inſulæque Maris Atlantici, Germanis etiam Gallia, Hiſpania cum magna parte Africæ, adeoque tota pene Europa: contra *Orientales* omnes regiones Aſiaticæ, vt Syria, Palæſtina, Arabia, Perſia, India, Sina, quin & quædam Africanæ, vt Ægyptus & Prouinciæ, quas mare rubrum alluit: quomodo viciſſim Aſiatici Europam *Magnum Occidentem* vocant. Ricciolus quidem cenſet in vnoquoque Hemiſphærio eligendum eſſe Meridianum illud bifariam ſecantem, ſiue ab Horizonte Hemiſphæria diſtinguentem,

Geogr. Ref. l. IX, c. III, §. 1.

vel, quod idem eſt, a primo Meridiano, quem ille in Palmæ Inſulæ parte Occidentali conſtituit, vtrinque XC gradibus diſtante, & quidquid citra illum occaſum verſus eſt, *Occidentale;* quidquid vltra, *Orientale* dicendum: ac huiusmodi Meridianum in noſtro hemiſphærio tribus gradibus vltra Caput Ras Algate, totidemque citra Fretum Waigatz, hoc eſt, circiter ſub gradu longitudinis XCIII conſtituendum. Sed quoniam hac ratione Perſia, Aſia Minor, Armenia, Syria, Aſſyria, Palæſtina & Arabia cum Ægypto & parte Africæ ad Sinum Arabicum ſitæ, quas Europæi omnes communiter Orientales vocant, hac ratione Occidentales futuræ ſunt, idcirco hac diuiſione non ſine confuſione & magna incommoditate vti licebit.

§. XLVIII.

Abſolute Meridionales, ſunt regiones omnes, quæ vltra Æquatorem verſus polum Antarcticum: *Septentrionales*, quæ cis eandem lineam verſus Polum Arcticum iacent, ac præcipue & veluti ſecundum excellentiam prouinciæ ad Poloniæ, Daniæ, Suediæ & Moſcouiæ Imperia pertinentes, quæque vltra Polarem Arcticum ſitæ ſunt. Quænam vero comparate *Meridionales* aut *Septentrionales*, *Orientales* aut *Occidentales* vocandæ ſint, comparatione longitudinum aut latitudinum dignoſci poteſt. Nam quibus maior eſt longitudo, hæ Orientaliores; quibus latitudo, ſi cis Æquatorem iacent, Septentrionaliores; ſi vltra, Auſtrialiores ſunt reliquis.

§. XLIX.

Quinto denique ratione *Marium* ac *Fluminum* maiorum, quibus vicinæ ſunt, ditiones deſcribi ſolent. Eſtque hæc certiſſima & commodiſſima ratio deſcribendi regiones, earumque ſitum memoriæ infigendi. Neque enim

Digitized by Google

enim vt ceteræ pleræque ab arbitrio hominum, aut ratione dominii facile mutabili, ſed à natura ipſa, quæ Maribus & Fluminibus plerumque conſtantes perpetuosque limites poſuit, pendet. Quocirca hac methodo Geographiam totius orbis laudabili opera ſuperioribus annis adornare cœpit *Georgius Fournier*, Ieſuita Gallus; cuius operis pars prima terras Oceano Atlantico fluminibusque ei illabentibus adiacentes, cum vicinis Inſulis, complexam; ſecunda regiones, quas Mare Mediterraneum, fluuiique ab eo excepti, alluit, deſcribens.

§. L.

Comparate ſitus regionum duobus modis definitur: I, cum indicatur, quas regiones, quæ maria, flumina, montes ad ſingulas mundi plagas proxime attingant, quæ ratio paſſim a Geographis in deſcriptionibus Chorographicis adhiberi ſolet. Huic affinis eſt, quando indicatur, cuius Imperii ditiones contingant, quosque vicinos habeant: in quo genere laudari meretur opera Ioannis Boteri in *Relationibus vniuerſalibus* & *Politia Regia*.

§. LI.

Deinde ratione diſtantiæ a regionibus, aut locis aliis. Vbi notandum eſt, duobus modis computari locorum interualla; vno vulgari & populari, altero artificiali. *Priori* modo diſtantia locorum eſt interuallum duorum locorum certo numero menſuræ notæ (vt milliarium, leucarum, ſtadiorum) quibus duo loca breuiſſimo itinere a ſe inuicem diſtant, definitum. *Poſteriori*; eſt arcus circuli magni (vt Æquatoris, Meridiani) duobus locis interceptus, inque gradibus & partibus graduum cognitus; ſiue, vt breuius & popularius dicam, eſt interuallum, quo duo loca in ſuperficie telluris minimum, ſiue per lineam breuiſſimam diſtant.

§. LI I

Digitized by Google

§. LII.

Vulgaris diſtantia, quæ & *viatoria* & *itineraria* dicitur, e viarum interiectarum longitudine ac diuturnitate; *Artificialis* ſiue technica e comparatione longitudinum ac latitudinum vtriusque loci æſtimatur. Ideoque itineraria vix vnquam vera eſt, ſed plerumque iuſto maior, hoc vno caſu excepto, cum ſpatium interiectum tam profundam vallem continet, vt proxime ad lineam rectam accedat. Tum enim fieri poteſt, vt vulgaris diſtantia minor ſit, quam technica. Cauſſa autem exceſſus in diſtantiis vulgaribus, viarum anfractus ſunt, qui efficiunt, vt ductus itinerum ab æqualitate curuaturæ & perfectione arcus circularis ſæpe multum deflectant. Cum enim in pedeſtri itinere nunc montes ac valles, nunc ſyluæ non vbique peruiæ, nunc flumina, paludes, lacus ac ſimilia impedimenta alia; in maritimo vero itinere ſæpisſime Promontoria, Terræ Procurrentes, Peninſulæ, Inſulæ, itemque Maris fluxus peculiaris, voragines, venti, &c. ſæpe etiam merum aut Domini territorii, aut ipſius viatoris arbitrium cogat vel inducat eum a recto tramite declinare, & loco viæ breuisſimæ ambages & diuortia ſectari; inde euenire neceſſe eſt, vt vera & artificialis locorum diſtantia plerumque tertia circiter aut quarta parte minor fiat, quam ea, quæ per experientiam cognoſcitur; prout ſcilicet magnæ aut paruæ fuerint deflexiones, locaque multum parumve a ſe inuicem diſtantia. Hac cauſſa ſolent Geographi, vt veritati propius accedant, arte erutam diſtantiam in locis valde disſitis quarta aut quinta parte milliarium augere, vt v. g. loca, quæ ſecundum fundamenta Geographica centum milliaribus diſtant, centum viginti aut etiam amplius diſtare dicantur. Ob eandem cauſſam vulgares diſtantiæ facile mutari posſunt: contra technicæ ſunt immutabiles.

§. LIII.

Digitized by Google

§. LIII.

Vulgares diſtantiæ partim experientia, & incolarum, tabellionum, peregrinatorum, aurigarum, nautarumve indicio cognoſcuntur: partim ex itinerariis editis ineditisque: cuiusmodi ſunt e veteribus *Peripli* Scylacis & Arriani, Iſidori Characeni *Stathmi Parthici*, *Itineraria* Antonini, & *Burdigalenſe & Tabula Peutingeriana*; e recentioribus *Itinerarium generale*, Bononiæ editum, *Itineraria Poſtarum*, Venetiis edita, *Itineraria Italiæ, Galliæ, Germaniæ, Luſitaniæ, Daniæ, Suediæ* a Zeillero edita; itemque *Moſcouiticum* Sigismundi ab Herberſtein, *Italia* Schotti, Andreæ Fontanæ, Pflaumeri & quod Vltraiecti cũ *deſcriptione Italiæ* prodiit, *Gallicum* Sinceri, *Nauigationes Belgicæ* aliæq; Technicæ inueniuntur I Arithmetice, comparatione latitudinum & longitudinum: II, Geometrice, ope Triangulorum Sphæricorum: III, Mechanice, ope circini & amusſis: IV, E Globo: V denique, e chartis Geographicis. Quorum tres priores modi accuratiores quidem poſterioribus, ſed tamen haud paullo difficiliores; niſi cum loca, quorum diſtantia quæritur, longitudine vel latitudine conueniunt; tum enim ſola differentia longitudinum & latitudinum in Æquatore vel Meridiano diſtantiam indicat. Variarum regionum Europæ, Aſiæ, Africæ & Americæ interualla itineraria ſingulari ſtudio tradidit Ricciolus. Vbi notetur tamen, in chartis vniuerſalibus, aut etiam magnarum regionum particularibus, non poſſe locorum diſtantias accurate definiri. Cum enim ob rationes opticas nulla poſſit fieri charta, quæ loca telluris eo a ſe inuicem ſitu, eaque diſtantia exhibeat, quam in ipſa tellure obtinent; inde fit, vt quanto plures terræ partes charta aliqua continet, tanto notabilior fit error in diſtantiis earum computandis obortus.

l. III Geogr. c. V. ſeqq.

§. LIV.

Ceterum in vtroque diſtantiarum genere varias ob cauſſas fieri poteſt, vt ſæpe in iis aberretur. Ricciolus has recenſet: I, ignorationem altitudinum Poli exactarum & differentiæ Meridianorum in plerisque locis rudi hucusque Minerua obſeruatas: II, Ignorationem veræ Semidiametri & circumferentiæ Globi Terreſtris; III, Pſeudographiam ſuperficiei terreſtris, dum conuexitas eius traducitur ad planitiem, & curuilinea interualla ad rectilinea, &c. IV, Obliquitatem itinerum terreſtrium, de qua paullo ante diximus: V, Neceſſitatem reducendi obliqua itinera ad recta: VI, Æſtimationem magnorum itinerum ex paruis: VII, Vulgarem æſtimationem milliarium ex relatu imperitorum accolarum, curſorum vel Nautarum: VIII, Confuſionem milliarium recentiorum cum antiquioribus: IX, Denique milliarium tam antiquorum quam recentiorum inter ſeipſa permiſtionem.

l. c. cap. III.

CAPVT VIGESIMVM QVARTVM.

Fines ditionum alii Naturales, alii Arbitrarii. Flumina mutato curſu quatenus fines mutent? quatenus ditiones diſtinguant? Limites Imperii in Mari. Fines imperiorum a DEO conſtituuntur. Sæpe tamen olim prolati; hodie rarius & cur?

§. I.

TErtio loco in ditionibus conſiderari debent *fines* ſiue *termini* vel *limites*. Horum alii *naturales*, alii *arbitrarii*, ſiue manu facti ſunt. Prioris generis ſunt Montes, Flumina, Mare; Poſterioris Stipites, Foſſæ,

ſæ, Viæ regales, Termini ſiue lapides limitanei, &c. Qui priori genere terminantur agri & regiones, veteribus *Arcifinia*; qui poſteriori, *agri limitati* vocantur. De quo videndi Grotius *a)* Ioannes Oetingerus *b) de finibus regundis;* Ioannes Gryphiander *c)* libro de *Inſulis*.

a) l. II, I. B. & P. c. III, n. 16.
b) l. II, c. 2.
c) c. VII, a num. 52 ad finem vsque

§. II.

De Fluminibus notandum eſt: I, mutato fluminis curſu etiam fines ditionum mutari, & quod a flumine parti alteri adiectum eſt, eius imperio accreſcere cenſeri; niſi vbi alueum mutet. Tum enim non idem, quod antea fuit, ſed nouum & diuerſum flumen habetur; videatur Grotius *d)* & qui totam hanc quæſtionem prolixe tractat, *e)* Gryphiander: II, Flumen, prout ditiones diuerſas diſtinguit, non conſiderari, vt aquam ſimpliciter, ſed vt tali vel tali alueo fluentem talibusque ripis comprehenſam: III, Ordinarie quidem, & iuxta communem Doctorum ſententiam, ditiones in ripis fluminum, non in ipſo fluminis alueo terminari, Iurisdictione vtrinque vsque ad medium fluminis porrecta; vt late probat, variisque exemplis Gryphiander illuſtrat: quandoque tamen fieri, vt vel præſcriptione, vel certis pactionibus totum flumen vni parti accedat. Idque vt fiat, requirunt variæ difficultates, quæ circa pactionem fluminum naſci posſunt; quarum haud poſtrema eſt, quæ de perceptione vectigalium in flumine duobus ad medietatem communi poteſt oboriri.

d) l. c.
e) l. c. cap. XIV, §. 87. ſeqq.

§. III.

De Mari obſeruandum eſt, Ditiones ſiue Imperia & dominia dupliciter eo terminari: I, Littore eius: II, Poſitis in ipſo Oceano medio certis dominii imperiique terminis; cuiusmodi ſunt, Scopuli eminentes, Breuia, aduerſa inter ſe inuicem Promontoria, Inſulæ; itemque partes marium ſiue maria particularia, longitudo & lati-

Digitized by Google

a) l. I, Mar. Clauſ. cap. XXII. b) de Imp. Mar. c. II §. V.

tudo loci, Tropici, Æquator &c. vt oſtendunt contra Grotium, Pontanum & Stypmannum, Seldenus *a)* & Dn. Strauchius *b)* qui & Claſſes loco termini in mari poni poſſe docet.

§. IV.

De finibus Ditionum in vniuerſum ita exiſtimari debet, eos cuique Imperio a DEO conſtitui atque præfigi. c. XVII, 26. Id quod Theologi firmant ex *Actis Apoſtolorum*, vbi DEVS dicitur hominibus definiiſſe τὰς ὁροθεσίας τῆς κατοικίας αὐτῶν. Hinc obſeruatum eſt hiſtoricis, quibusdam Imperiis ita fatales fuiſſe quosdam limites, vt vltra eos progredi nunquam potuerint, de quo iam diximus. Nunc addimus: falſo interdum deſignari huiusmodi terminos fatales, ſiue ab oraculis, & vaticiniis, ſiue perſuaſione quadam communi. In Caro cap. IX. Ita Romani vulgo crediderunt, fatalem ſui Imperii terminum eſſe Cteſiphontem fluuium; quod Vopiſcus merito riſit. Falſo autem creditum fuiſſe, paullo poſt euentus docuit, cum Diocletianus ſine impedimento aquilas longius protuliſſet. Vt proinde non negligi quidem huiusmodi ſiue vaticinia, ſiue perſuaſiones, fidi tamen illis nimium, aut propter eas omitti, quæ alioqui conſulta putantur, non debeant. Et plerumque, quæ ex illis veræ fuerunt, tales poſt euentum demum deprehenſæ ſunt.

§. V.

Ceterum negari nequit, olim ſæpius Imperiorum limites, DEO permittente, aut etiam diſponente ac impellente, mutatos fineſque prolatos eſſe: id agentibus plerisque Principibus & populis, vt Imperii magnitudinem, quibuscunque poſſent modis, augerent. Hodie quanquam plerisque Imperantibus non tam voluntas, quam facultas proferendi fines ſuos deeſt, mul-

Digitized by Google

multo rarius tamen, quam apud veteres, ſaltem in Europa, & Chriſtiano orbe, imperia inſigni aliqua acceſſione augentur. Cuius rei tres cauſſæ a prudentibus afferuntur: I, Frequentia Caſtellorum & Propugnaculorum in locis limitaneis, quæ plerumque non niſi longo tempore expugnari queunt: II, Vſus bombardarum & tormentorum puluerariorum, qui rariora prælia, lentioresque expeditiones efficit: III, Quod nationes expugnandæ hodie multo exercitatiores bello, rebusque ad ſe tuendos neceſſariis inſtructiores ſint, quam quas olim Græci Romanique, aut etiam aliæ Gentes debellarunt. Qua de re egregia diſſertatio illuſtris Forſtneri exſtat. *Not. ad Annal. II, Tac.*

CAPVT VIGESIMVM QVINTVM.

Magnitudo Ditionum duplici ratione menſuratur; vel per Gradus, vel per Milliaria & Stadia. Non ſemper æqualia Milliaria in eadem gente. Neque magnitudiues Geographorum cum veris conueniunt. Maiores Ditiones non ſemper ſunt meliores: ſed ferme intutæ.

§. I.

M*agnitudo* ditionum (quam quarto loco diximus conſiderandam) nihil aliud eſt, quam earum longitudo, latitudo & circuitus in gradibus, milliaribus aut ſtadiis numerata. Eaque vel in ditionibus Imperii alicuius vniuerſe; vel in ſingulis ſpectatur. Vniuerſe, cum quotnam milliaria in longitudine & ambitu totum Imperium aliquod; ſeorſim, cum quantum ſingulæ illius ditiones ſpatii impleant, ſpectatur.

§. II.

Dixi: *in gradibus, milliaribus aut ſtadiis.* Nam ſicut diſtantiæ locorum, ita & regionum magnitudines (quæ proprie nihil aliud ſunt, quam interuallum inter duo eiusdem ditionis puncta ſiue terminos) dupliciter metiri ſolemus: primo per partes circuli maximi totam tellurem ambientis, qui in CCCLX gradus; ſinguli vero gradus in LX ſcrupula ſeu minuta diuiduntur. Deinde per milliaria & ſtadia. Quanquam enim varia genera menſurarum hac in re apud varias gentes olim obtinuerint, hodieque obtineant; noſtro tamen tempore nulla eſt vſitatior menſura milliaribus & ſtadiis. Vt enim agros paſſibus, fundos perticis & decempedis; ſic regnorum & Prouinciarum tam longitudinem & latitudinem, quam circuitum & ſuperficiem milliaribus & ſtadiis definire mos eſt: ſimplicibus quidem, ſi ſolius ambitus aut diametri longitudinis & latitudinis; quadratis autem cum ſuperficiei totius rationem inimus.

§. III.

Porro cum alias locorum variis nationibus olim hodieque vſitatas menſuras, tum ſtadiorum ac milliarium diuerſa genera, poſt alios, Ricciolus prolixe & accuratisſime tractauit. Quædam & iuxta Cluuerium Buno habet. Magnitudines autem ſingularum orbis partium, variarumque regionum & Inſularum, idem Ricciolus ex interuallis locorum computauit. Denique de dimenſione terræ totius, & quotnam ſingulis eius gradibus milliaria reſpondeant, Varenius diligenter egit.

Toto lib. III c. VI §. 4. *l. I, c. IX.* *l. III a c. V. ad XX ſqq.* *c. IV.*

§. IV.

Ceterum, vt etiam Cluuerio obſeruatum, vix vlla gens æqualibus vtitur interuallorum menſuris: ſed in aliis aliisque eiusdem Regni gentisve partibus, vt menſuræ li-

qui-

quidorum & aridorum, ita & milliaria nunc maiora, nunc minora deprehenduntur, pro arbitrio eorum, qui regiones dimenſi ſunt. De Germanicis, Italicis, Hiſpanicis, Gallicis & Anglis id docent Cluuerius, Ricciolus: & Milliare Gothicum Ioannes Magnus ait continere quinque vel ſex, aliquando octo milliaria Italica. *l.II, c.VIII.*

§. V.

Id quoque monendum eſt, magnitudines Regionum a Geographis annotatas, & in Tabulis Globisque expreſſas, non ſemper cum vera earum magnitudine conuenire. Huius rei aliquot exempla ſupra recenſuimus; cauſſa eſt, quod magnitudo regionum e locorum interuallis deſumitur, quorum computatio quot modis errori obnoxia ſit, paullo ante indicauimus. Ambitu Regionum non eſſe ſimpliciter eorum magnitudinem definiendam Berneggerus monuit. *ad Suet. Caeſ. c. XXV, 2.*

§. VI.

Magnitudine ditionum ac Prouinciarum numero vulgo Imperiorum potentia & præſtantia cenſeri ſolet. Quod tamen ſimpliciter admitti non debet. Neque enim ſemper potentiora ſunt Imperia, quæ plus terrarum complectuntur: præſertim ſi hæ longius inuicem diſtent. Sane Gallicum Imperium longe potentius Hiſpanico eſt, quanquam numero & multitudine ditionum multo minus. Fœderati quoque Belgii Reſpublica anguſtis incluſa limitibus, opibus & potentia diffuſis Suedorum, Danorum, Polonorumque Regnis antiſtat; neque ſemper tuta & commoda magnitudo eſt. Quantum enim periculi a Proregum, Gubernatorumque potentia, auaritia, ſæuitia imminet? Quantum temporis requiritur, vt nuncii, conſiliorum interpretes, iuſſorumque principalium fidi cuſtodes, huc illuc commeent? Teſtes eius rei Neapolis,

Me-

Mediolanum,& quod e Belgio Hiſpanis ſupereſt; cuius relinquendi conſilia non ſemel Hiſpani proceres agitarunt, quanquam irrito hucusque conatu. Eandem ob cauſſam Portugallia multas,easque opulentas,Regni Feſſæ & Mauritaniæ ciuitates, Arragoniæ prouinciam, Narbonam, Monſpelium, Gaſconiam, Galliæ comitatus; Caſtiliani Tunetum, & alias Barbariæ ciuitates; Germani totam ferme Italiam deſeruerunt. Plura in hanc rem Interpretes ad duo Taciti loca, vnum *Annali* I, II, 8. alterum in *vita Agricolæ* c.XIII, 3. inprimis Ammiratus libro I, *diſcurſu* VI, Gruterus *diſcurſuum variorum* cap. XIIX, Mutius *conſideratione* LX & Berneggerus *Quæſt. Miſcell.* CLXXXIX. Quædam & Forſtnerus ad *Annal.* IV, & Antonius Perezius in *Iure publico,* habent.

CAPVT VIGESIMVM SEXTVM.

Maria & Flumina ditionum. Quid de Maribus notandum; quid de Fluminibus?

§. I.

QVinta conſideratio Marium ac Fluminum eſt, quæ ſingulas ditiones alluunt, aut transeunt. In Maribus præter dominium, nomina & fines (de quibus iam ante diximus) iſta fere conſideranda ſunt I, Quæ illorum in vnaquaque parte profunditas; cuius veritatem, gradus & indicia, modumque explorandi, & in eo cautiones obſeruandas Varenius *a*) & prolixe Ricciolus *b*) tradunt: II, Quos Scopulos, Sirtes, puluinos, loca vadoſa, aliaque nauigantibus periculoſa habeant; qualia Ricciolus: III, An, & quibus tempeſtatibus, & quo tempore obnoxia ſint: IV, Quo anni tempore aperta & nauigationi

a) cap. XIII Prop. 6.
b) l. X, 2.
l. c. cap. XII.

ni commoda, quo clauſa aut incommoda eſſe ſoleant: quod de ſingulis per quattuor orbis partes Ricciolus exponit: V, Quibus ventis vtplurimum, quibus item certis anni temporibus, impellantur. Sunt enim quidam venti certis maris partibus veluti proprii & perpetui: quidam certo anni tempore hoc illove loco flare ſolent: VI, Quo ſpeciali motu, & quas ad plagas terrarum orbis, ferantur: VII, Quomodo ſe habeat fluxus & refluxus ordinarius, quibusque horis maxima maris intumeſcentia contingere ſoleat. Cui rei cognoſcendæ plurimum inſeruient Varenius, *a*) Ricciolus, *b*) Voſſius, *c*) & Kircherus *in Tabulis Mundo Subterraneo inſertis*: VIII, Quas res negotiationi publicæque vtilitati aptas ferre aut eiicere ſoleat. Nam quædam maria certas plantas, aut frutices, alia conchas, corallia, ſuccinum, ambram &c. eiiciunt: IX, An & quos piſces præcipue negotiationi idoneos, aliave animalia contineat: X, Quos ſinus & portus commodos complectatur; & ſi quæ præterea ſunt, quæ cognoſci ob reditus & conſilia Reipubl. merentur.

l. c. cap. XIV.

a) *cap. XIV. Prop. 14. ſeqq.*
b) *l. c. cap. IV. ſeq.*
c) *de Mot. Mar. a cap. IX. ad XXI, ſique.*

§. II.

In Fluminibus pariter obſeruari debet I eorum latitudo & profunditas, quæ plerumque eo maior, quo propiora ſunt oſtiis: II, An & quousque ſint nauigabilia, quantisque molibus ferendis: III, Quibus oſtiis mare influant, quibusque viciſſim fluminibus augeantur: IV, Quibus item partibus per pontes aut vada tranſiri poſſint: V, Quas vrbes attingant, aut tranſeant, quæque præcipuæ in iis nauium ſtationes ſint: VI, Quasnam res ciuium vſibus aut negotiationi aptas ſecum deferant. Quædam enim flumina auri grana admixta habent; alia argentum, aut metalla alia; nonnulla foſſilium terrarum & ſalium particulis impregnantur. Quorum omnia exempla Varenius ha-

cap. XVI, Prop. 18.

Digitized by Google

habet: VII, Quo piſcium genere maxime abundent: IIX, An & quibus ſtatis temporibus extra alueos ſe proferant, vicinasque terras inundent,&c.

§. III.

Hæc autem omnia tantum de præcipuis fluminibus annotari merentur: de reliquis ſuffecerit,ſi ſciamus pluribus ne an paucioribus aliqua regio irrigetur. Id enim ad earum fertilitatem aut ſterilitatem diiudicandam non parum facit. Catalogos fluminum potiorum contexueruut e veteribus Vibius Sequeſter,& Plutarchus libris peculiaribus; e recentioribus Ricciolus: generalia de iis apud Varenium habes.

l. c. cap. XVII.

CAPVT VIGESIMVM SEXTVM.

Natura & qualitas locorum, ad quam pertinet I Aer, qui calidus, aut frigidus; ſerenus aut nubilus; tranquillus aut ventis agitatus; ſalubris aut noxius: II, Solum, cuius variæ qualitates, Paludes, Aquæ Minerales, Fodinæ auri, argenti &c. Montes, Prata & Agri: Syluæ quædam vtiles. Deſerta duplicia. Prouentus agrorum.

§. I.

NAtura & qualitas Locorum (hæc enim ſexta pars conſiderationis noſtræ eſt) tribus potisſimum conſtat; conſtitutione aëris, natura ſoli, & prouentibus regionum. Ad aëris conſtitutionem I pertinet, vtrum ille nimium calidus aut frigidus, an temperatus, & quibus anni temporibus talis exſiſtat. Quæ res magnam qui-

quidem partem a Zonis & Climatis, Soliſque a vertice loci diſtantia aut vicinia; ſimul tamen ab eiusdem mora ſupra horizontem, natura ſoli, maribus aut fluminibus adiacentibus, montibus aut planitie, ventis aliisque cauſſis pendet. Vnde fit, vt non ſolum in quibusdam Zonæ torridæ regionibus, vt regno Congi, Abaſſina, Regnis Sina, Pegu, Malacca, Peruuia, Braſilia, & Inſulis Iaua, Ceilano, S. Thomæ, Annobone, cœlum temperatum ſolumque amœnum & fertile; in aliis, vt aliquot Peruuiæ, & Americæ Septentrionalis, prouinciis ſummum frigus & perpetuæ niues; in temperatis vero alicubi, vt in littoribus Perſiæ, Regno Ormuz, interioribus Arabiæ, Armenia & vicinis prouinciis æſtus multo maior, quam alicubi in Torrida; contra alibi, vt in Prouincia Chili, Iaponia, Freto Magellanico, frigus intenſius, quam in quibusdam Septentrionalibus Europæ; in Frigidis denique, verſus Polum Arcticum fertilius plerumque & amœnius ſolum, quam in temperatis circa Tropicos deprehendatur: ſed etiam ſub vno eodemque Climate Finlandia Suediam, Italia Thraciam, Anglia Germaniam, immo Anglia Galliam, etſi Æquatori multo propiorem, calore & amœnitate ſuperat. Qua de re eiusque cauſſis Varenius *a)* & Philippus Müllerus: *b)* quomodo in ſingulis fere terrarum regionibus conſtitutio aëris vnoquoque anni tempore ſe habeat, breuiter quoque Weigelius *c)* docet.

a) c. XXVI.
b) De quat. anni temp.
c) Spec. Ter. c. VII, §. 22.

§. II.

Præterea videndum II, vtrum aër ſerenus an nubilus aut pluuioſus ſit, idque ſemper, aut toto plerumque anno, an certis anni temporibus? In quibusdam enim regionibus raro aut nunquam pluit, vt in Ægypto & regno Peruuiæ: in aliis toto ſemeſtri pluit, reliqua anni parte aër ſerenus eſt, vt in multis locis ſub Æquatore ſitis: in qui-

Digitized by Google

buſdam per tres menſes continuos, vt in littore Africæ, quod *Sierra Leona* dicitur, inque pluribus tractibus Guineæ, adeò, vt toto iſto tempore agri inculti, ac ſine ſegete ſint; alibi per menſes quattuor, vt in prouincia Lovvango, non procul a Congo ſita: III, Vtrum tranquillus, an ventis plerumque, aut certo tempore impelli ſoleat, & quinam illi? Sunt enim vt maribus, ita terrris quibusdam, præſertim maritimis, ſui veluti proprii, iique vel perpetui, vel certo anni tempore, certave diei hora ſpirantes venti: IV, Vtrum ſalubris & gratus, an vero grauis & ſanitati infeſtus, qualis præſertim in Inſula S. Thomæ deprehenditur, omnium toto terrarum orbe, vt ferunt, inſaluberrimus.

§. III.

Circa ſoli naturam obſeruanda ſunt iſta: I, Vtrum arenoſum & ſiccum, an humidum aut paludoſum, vtrum magis paludibus vliginoſis abundet, vt Hollandia, Brabantia, Weſtphalia; an aquoſis, quales magno numero in Moscouia circa Tanaim, & in Finlandia, Africa, multisq; ſiluis & deſertis ericoſis reperiuntur: II, An & quas aquas minerales, thermas, acidulas, aliave ſingulari qualitate præditas contineat. Quarum omnem varietatem, cauſſas, proprietates & potiora exempla prolixe Varenius tradit: III, An & quorum mineralium, vt auri, argenti, cupri, ferri, plumbi, gemmarum, ſalis fodinas habeat: IV, Vtrum ſiue totæ, ſiue notabili ſui parte campis & planitie, an montibus conſtent?

Toto cap. XII.

§. IV.

Vtrum & qua parte pratis, agris, vineis, paſcuis, ſilvis, item nemoribus, lucis, ſaltibus abundet: an vero, & vbi vaſto tractu ſterile atque incultum iacet: quod genus *deſerta* vocamus. E priori genere plerumque plurimum ad publicas priuataſque opes redit: præſertim ſi frumenti

ſit

Digitized by Google

ſit ferax, aut eiusmodi ferat arbores, quarum ligna, cortices, aut fructus, in pretio habentur apud exteros; cuiusmodi ſunt in Africa ad Caput Viride, & alicubi in Hiſpania ſiluæ malorum Citreorum & Aurantiarum, in Gallia Caſtanearum, in Ceilano arborum Cinnamomi, in Moluccis Caryophyllorum, in Bandanis nucum Muſcatarum, in Braſilia arborum ligni Braſilienſis, in Numidia & aliis Africæ locis Dactyliferarum, in monte Libano & Iaponia Cedrorum; in Hiſpania, Gallia, Italia olearum &c. vel quæ totas regiones impleant, aut ingentibus & proceris arboribus abundent. Deſerta ſiue loca ſterilia vel natura inculta ſunt, vel neglectu & culpa hominum; illorum ſolum quamcunque induſtriam adhibueris, tamen ob ericarum, arenarum, petrarum aut paludum copiam infœcundum permanet: qualia plurima in Africa, Arabia, Tartaria, Camboia, Noua Zembla, Norvvegia, Lappia, Suedia, Finmarchia & America reperiuntur. Hæc ab incolis vel omnino deſerta, vel ſaltem ſiue ignauia, ſiue contemtu neglecta iacent: & nunc ſparſim inter loca culta interiacent, vt alicubi in Hiſpania; nunc totas regiones implent, vt in Moſcouia & circa mare Caſpium prope Wolgam, vbi vaſti tractus opimorum agrorum partim ob eorum copiam & incolarum ſegnitiem, partim ob bella olim a Tamerlane iis in locis geſta, fugatosque incolas inculti ſunt.

§. V.

Ad prouentus Regionum pertinent I Frumentum & ceteri prouentus agrorum: II, Herbæ ad victum aut Medicinam vtiles: III, Arbores ac frutices, eorumque fructus: IV, Piſces: V, Aues: VI, Quadrupedes, inprimis pecudes & feræ, equi item & ſimilia iumenta alia agriculturæ, opificiis, negotiationi aut bello apta. De his

omnibus præcipue obſeruandum; vtrum ſufficiant incolis aut etiam exteris, an vero defectus aliunde,& quibus e regionibus ſuppleri debeant. Nam hæc omnia in belli pacisque conſiliis,fœderibus & ſimilibus negotiis Reip. partem conſultationis faciunt; dum cauetur,ne temere offendantur Principes aut populi,quorum amicitia propter res importandas & exportandas carere non poſſumus.

CAPVT VIGESIMVM SEPTIMVM.

Portus. Eorum vſus & neceſſitas; varia Portuum genera. Quænam ad Portum requirantur? Vrbes; Quid de iis in genere notandum: quid de ſingulis? a quibus præcipuæ illarum deſcriptæ? Caſtella an publice vtilia? de iis ſcriptores.

§. I.

SEptimo loco obſeruanda eſſe diximus Portus, Promontoria,Vrbes & Caſtella. De Promontoriis iam ſupra diximus; quid portus ſit,pariter indicauimus. Complectimur autem hoc nomine non ſolum, qui in mari, ſed etiam qui ſunt ad oſtia vel ripas fluminum in mari decurrentium. Præcipua eorum vtilitas eſt, vt ſint velut *arces tutiſſimæ & commerciorum bellorumque refugia, vtque inde ciuitatum maritimarum opes & ſplendor augeantur*, quemadmodum Gregorius Toloſanus loquitur. Proinde magna eorum in maritimis ciuitatibus ac Rebusp. neceſſitas eſt; quippe harum nulla ſine illis ad faſtigium aliquod potentiæ aut ſplendoris peruenit; contra plurimæ eorum ope vtrumque obtinuerunt. Exemplo ſunt Athenienſes, Veneti & alii.

lib II de Rep. c. IX n. III.

§. II.

§. II.

Sunt autem Portus non vnius generis. Nam I alii *naturales* ſunt, a natura ipſa, ſiue potius diuina prouidentia littorum ac riparum ſinuatim excauatarum receſsu bono humani generis facti: alii exigente neceſsitate, vel vtilitate ſuadente, arte naturam vel adiuuante, vel æmulante exſtructi, adiectis haud raro naualibus, ad fabricandas inque promtu habendas naues, molibus, arcibus, munimentis, ad prohibendos inſultus fluctuum, ventorum, hoſtium, piratarum; promtuariis denique ſeu Magazinis, vt vulgo vocant, ad merces conſtituendas comparatis: II, Quidam *aperti*; alii catenis occluſi, quos idcirco Portus *Catenæ* vel Porto di Catena Itali; vel aggeribus, vallis, repagulis obſepti, quos *Sbarratos* vocant.

§. III.

Conditiones boni, ſecuri & commodi Portus hæ ſunt præcipue: I, Eo ſit ſitu, eaque figura, vt nullis aut pauciſsimis ventis ſit obnoxius: cuiusmodi ſunt, quos *Reales* vocant. Figura vero optima habetur Lunaris: II, Vt ſit iuſta profunditate, ne carinæ nauium fundo impingantur: III, Vt fundus tenax ſit ancorarum: IV, Vt careat ſcopulis, ruderibus, puluinis, ſiue Breuibus ac ſemiſyrtibus: V, Vt ſit capax plurium nauium, habeatque, ſi fieri poteſt, diſtincta receptacula diuerſarum nationum nauibus deſtinata; non tamen nimiæ amplitudinis, nec oſtio nimis amplo, quod in Tarentino culpatur: VI, Vt in ingreſsu minime ſit impeditus aggeribus aut ſeptis terræ a fluminibus congeſtæ, quibus ſuperandis tempus affluxus exſpectari debeat: quales dicuntur Italis *Porti di Marena*; ſed omnibus horis pateat, quos Itali vocant *Porti d'Entrata*: VII, Vt a lateribus, aut ante oſtia munitus ſit vel arcibus aut propugnaculis, præſertim ſi ad mare ſitus.

Nam

Digitized by Google

Nam qui ad ripas fluminum interiores velad canales aquæ marinæ ſunt, vel ad vtroſque reperiuntur, arcibus non indigent: VIII, Vt habeat Pharos ſiue turres aut columnas ſublimes, e quibus aduenientes procul conſpici, & per lucernas, aut funalia, aduentantibus noctu portus aut ſcopuli, aut interdum per vexilla, aliave ſigna, accolis hoſtium piratarumque præſentia, vel ingrediendi opportunitas ſignificetur: IX, Vt prope eum ſit Nauale, ſiue, vt vulgo vocant, Arſenale, fabricandis & reficiendis nauibus, & inde commode in aquam demittendis: X, Vt in promtu ſit copia rerum ad victum inſtructumque nautarum ac nauium neceſſariarum, vt aquæ dulcis, lignorum, ferri, cannabis, picis, ſebi, olei, panis bis cocti, pulueris tormentarii &c. XI, Vt nullis, aut ſaltem minimis portoriis grauetur, ne mercatores iis, quod ſæpe factum absterreantur: XII, Vt noctu vel tempore neceſſitatis catena, aliove repagulo claudi queat: XIII, Vt militum & claſſiariorum multitudinem, arcendis piratis & tuendo portui ſufficientem, habeat impoſitam. Plura de his conditionibus ſeu requiſitis e veteribus Vitruuius; *a*) e recentioribus Creſcentius *b*) *nautica mediterranea*, Robertus Dudlæus *c*) *in Arcanis maris*, Fournierus, & Ricciolus *d*) qui & inſigniores totius orbis enumerat, breuiterque deſcribit. Conferatur & Hornius *Diſputatione Politica decima.* E quibus quanto quisque plures paucioresque e dictis conditionibus, & maiori minorive perfectionis gradu habet, tanto præſtantior deteriorve cenſeri debet.

a) *Archit. l. V, c. XII.*
b) *l. V, c. V.*
c) *l. III.*
d) *l. X, c. IX.*

§. IV.

Vrbium nomine etiam oppida comprehendimus; etſi alioqui dignitate, priuilegiis, ſplendore & plerumque magnitudine diſtingui ſoleant. De his in vniuerſum iſta notari merentur: I, Numerus, hoc eſt, paucæ an multæ

in

Digitized by Google

in aliqua prouincia ſint: II, Quænam ex omnibus potiores. Habentur autem potiores, in quibus Principes aut proceres Reipublicæ reſident; in quibus dicaſteria aut iudicia ordinaria ſunt; quæ ceteris maiores & ampliores, vel ſplendidis ædificiis exornatæ: quæ mercatura & commerciis florent; quæ mari aut fluminibus adiacent; quæ præ ceteris munitæ, ſiue natura ſiue arte & induſtria; quæ a peregrinantibus in alias regiones transeuntibus peculiari ſtudio frequentantur; quæ Academiis, Gymnaſiis & Scholis illuſtribus celebrantur; quæ opificum multitudine inſtructæ; quæ ſingularibus priuilegiis & iuribus gaudent; quæ forma regiminis & bonis legibus præſtant; & ſi quæ præterea famam ac laudem ſingularem vrbibus conciliare posſunt; de quibus pleriſque egit Hippolitus a Collibus in Tractatu de *Vrbibus*, eiusque Interpres Germanicus, itemque locupletator Chriſtianus Heroldus. III, Quænam metropolis cuiusque prouinciæ: IV, Quænam vrbium in vniuerſum in ea ditione iura & priuilegia &c.

§. V.

In ſingulis iſta fere ſunt obſeruanda: I, Situs, hoc eſt, vtrum ad mare aut flumen, an in mediterraneo loco ſitæ; vtrum in plano, an in monte, colle aut valle; vtrum aditu faciles an difficiles, munitæ an ſecus; vtrum in ſolo fertili an ſterili; ſalubri an inſalubri; aquis abundante an deſtituto, amœno an inamœno, celebri & a peregrinis frequentari ſolito, an a viarum celebritate remoto; item verſus quam plagam mundi, ſub quo longitudinis & latitudinis gradu, ſub quo ſigno Zodiaci: II, Nomina vetera & recentia: III, Magnitudo: IV, Quibus artibus incolæ vitam ſuſtentent: V, quibus priuilegiis fruantur: VI, Quibus aliis prærogatiuis gaudeant: vtrum, & quomodo munitæ:

nitæ: VIII, Qua forma regiminis vtantur, vtrum mediate ac immediate ſummæ poteſtati ſubiectæ ſint? IX, Numerus incolarum : X, Quo ordine, qua concinnitate ædes tum publicæ tum priuatæ ædificatæ ſint, & quænam ex iis præ ceteris notatu dignæ, &c.

§. VI.

Præcipuas totius Orbis, aut ſaltem Europæ vrbes, præter auctores Syſtematum Geographicorum, & librorum de Imperiis & Rebuspublicis, peculiari opera deſcripſere Abrahamus Saur, *in libro Ciuitatum Germanico*, nuper Francofurti auctius edito; & Adrianus Romanus *in paruo Theatro Vrbium*, ſed breuiter; prolixius autem, & cum accuratioribus iconibus æri inciſis, Gregorius Bruin cum Franciſco Hogebergio & Simone Nouellano *in magno Theatro Vrbium præcipuarum totius mundi*, ſuperiori ſæculo Coloniæ quattuor Voluminibus excuſo; Iulius quoque Balinus *celebrium totius Orbis Vrbium icones, cum earundem breui enumeratione hiſtorica* publicauit Venetiis; *a*) vbi & antea *b*) *Ciuitatum aliquot inſigniorum & locorum magis munitorum exacta delineatio, cum omnium, quæ ad eorum hiſtoriam pertinent, breui enarratione*, in ære inſculpta prodierat. Quasdam celebriores etiam *Archontologiæ Coſmicæ* Latina & Germanica editiones poſtremæ exhibent. Singularum regionum vrbes deſcribunt paſſim Topographici, Chorographici, & Itinerariorum Scriptores alibi laudati: delineant vero maiore forma *Topographiæ Galliæ, & plerarumque Germaniæ prouinciarum*, Francofurti a Meriano; *Ducatus Slesvvicenſis & Holſatiæ*, in Belgio excuſæ: *Itinerarium Italicum* Zeilleri, duo tomi *Vrbium Belgicarum* paucis abhinc annis editi; & variæ delineationes ſeorſim ſine deſcriptionibus editæ: minore, *Tabulæ* cum Zeilleri *Hiſpaniæ* & *Luſitaniæ*, *Suediæ & eo pertinen-*

a) A. clɔ lɔ LXXIX.
b) A. clɔ lɔ LXIIX.

tinentium regionum, vt *Ducatus Bremenſis*, *Verdenſis &c. Daniæ* & *Norvvegiæ*, & *Fidi Achatis per Germaniam itinerarii Germanici* editionibus Latinis Belgicis, & *Hungariæ* Germanica Lipſienſi, Rutgeri Hermanidæ, *Britannia*, Andreæ Cellarii *Polonia*, Guicciardini *Belgio*, Schotti & Pflaumeri *Itinerariis Italiæ*, Iodoci Sinceri *Itinerario Gallico*, Sigismundi Betulii *deſcriptione Danubii & regionum adiacentium* excuſæ: itemque margines quarundam Tabularum Geographicarum. De quibus tamen omnibus obſeruandum, ſæpe eas hodiernæ Vrbium faciei non ſatis reſpondere, præſertim magnitudine & externis Operibus, quæ paſſim bellorum occaſione, aut metu adiecta, aut immutata.

§. VII.

De Caſtellis ſiue Arcibus & Propugnaculis quattuor potisſimum annotari debent: I, Situs: II, Amplitudo: III Modus muniendi, & IV, An & quo præſidio, prouiſu, inſtructu habeantur. De ſitu & variis muniendi modis, quæque vtriusque ratione præſtent aliis, videndi Scriptores *Architecturæ militaris*. Variantur iſta ætatibus & locis & Reipublicæ vtilitatibus, ac noſtro tempore pæne ſummam perfectionem conſecuta ſunt. An autem vtile ſit Reipublicæ & Imperantibus, ſi plura ſint in aliqua prouincia, & plusne in iis ſecuritatis an periculi ſit, non conſentiunt Scriptores Politici. Prius prolixe tuetur Ammiratus, *a*) poſterius Machiauellus *b*) & Cleobulus in eximia disſertatione apud Barclaium: *c*) quibus iungi poteſt *disſertatio* Comitis Sauorgnanis, quam ex Antonio Posſeuino ſuæ *notarum in Tacitum continuationi* inſeruit Forſtnerus *d*) De propugnaculis in vniuerſum exſtat *Disſertatio* Conradi Dieterici. Quorundam toto orbe celebriorum delineationes exhibet *Archontologia Cosmica*; Germani-

a) *ad Tac. lib. XIX. Diſc.* 24.

b) *lib. II de Rep. Disc. XXIV.*

c) *l. III Arg.*

d) *Annal. XI, c. XIX.*

 co-

corum *Topographiæ Meriani*; horum etiam ſeorſim liber Gallicus ante complures annos editus; Belgica aliarumque nationum cum vrbibus auctores paullo ante laudati.

CAPVT VIGESIMVM OCTAVVM.

Incolæ. In quibus conſideranda I origo. Pleræque migrationes verſus occaſum factæ. Ratione originis gentes omnes aut indigenæ, aut aduenæ, aut conuenæ. De gentium originibus Scriptores: II, Multitudo aut paucitas: eiusque cauſſæ: III, Linguæ, & de iis Scriptores: IV, Conſtitutio corporis, ingenia ac mores. Quinam de iis ſcripſerint? Vtilitas huius cognitionis. Nullius gentis mores negligendi. Cauſſæ varietatis ingeniorum in diuerſis gentibus. Quarundam nationum ſingulares inimicitiæ. Mores populorum ſucceſſu temporis mutantur.

§. I.

DE incolis ditionum ſingularum, (quæ octaua conſiderationis huius pars eſt) ſequentia animaduertenda ſunt: I, origo eorum, hoc eſt, vnde & quando in eas regiones deuenerint: II, Multitudo aut paucitas, eiusque cauſſæ: III, Lingua eiusque antiquitas, mutationes, vſus & cognatio cum aliis: IV, Conſtitutio corporis: V, denique ingenia & mores.

§. II.

De origine gentium ſciendum eſt, hodie vix vs-

quam

quam veteres ſesſores reperiri,ſed plerumque pulſis prioribus incolis aut occiſis nouos ſuccesſiſſe. Id quod factum eſt per varias gentium migrationes : de quibus exſtant duodecim libri Wolfgangi Lazii ; opus magni laboris, ſed non eiusdem frugis. Tractauit idem argumentum Goropius Becanus pasſim in ſcriptis ſuis Hiſtoricis, ac Gerardus Io. Vosſius in egregio opere *de Idololatria* : de gentium autem Septentrionalium, poſt deuictos a Caio Mario Cimbros, migrationibus peculiari libello egit Scriptor Italus, ab Hieronymo Turlero in ſermonem Latinum conuerſus. Obſeruatum autem eſt ab hiſtoricis, pleraſque migrationes ab Ortu & Septentrione verſus Occaſum & Meridiem ſuſceptas. Quæ cauſſa eſt, cur prudentes hodie plus metuant Tartarorum, quam Turcarum irruptiones, quæ illi his Septentrionaliores ſint. Sane intra hos annos mille, & quod excurrit, Gothi & Scythæ pulſis plerisque populis Europæis, cum magna Aſiaticorum parte eorum ſedes occuparunt, hodieque tenent.

§. III.

Ceterum ratione originis omnes gentes aut *Indigenæ* ſunt, aut *Aduenæ*, aut *Conuenæ*. Indigenæ, quæ in regione, quam incolunt, genitæ: Aduenæ, quæ ex vna regione aduenerunt. Conuenæ, quæ ex pluribus confluxerunt. Indigenas Ethnici plures finxere, ac αὐτόχθονας dixere. Nos Chriſtiani non alios nouimus, quam primos homines, & qui ex eorum poſteris in primis illis humani generis ſedibus permanſerunt. Posſunt tamen quodammodo etiam ſic dici, qui perſtiterunt in terris, quas in diſperſione Noachidarum occuparunt. Conuenarum exemplum præbent Romani & quædam aliæ gentes. Reliquæ pleræque aduenis accenſendæ.

§. IV.

Ad origines & migrationes gentium præter Geogra-

Digitized by Google

phos & Scriptores modo laudatos, hi quoque plurimum facient: I, Scriptores Hiſtoriæ Vniuerſalis : II, Particulares ſingularum Gentium Hiſtorici, maxime qui res antiquiorum temporum deſcribunt : III, Qui egerunt de diuiſione terrarum inter poſteros Noachi & diſperſione gentium, in ædificatione turris Babel facta; quod argumentum poſt interpretes cap. XI Geneſeos, & Scriptores Annalium Sacrorum Veteris Teſtamenti, multosque alios, erudite & ingenioſe perſecutus eſt Samuel Bochartus parte I *Geographiæ Sacræ*: IV, Scriptores de coloniis; in quo genere iterum plane eximius eſt idem Bochartus parte II, modo laudati Operis, quo de coloniis Phœnicum egit. Addendi de coloniis Athenienſium Meurſius *Fortunæ Atticæ* cap. VI; de Lacedæmoniorum idem in *Miſcellaneis Laconicis*; de Romanorum Iulius Frontinus & alii: V, Qui diſquirunt de origine Americanarum aliarumque Noui Orbis gentium; in quo genere excellunt Hugo Grotius, Ioannes de Laët, & Georgius Hornius in peculiaribus opuſculis.

§. V.

Multitudinis aut paucitatis cauſſæ variæ ſunt; vt ſalubritas aut inſalubritas loci; commoditas aut incommoditas ſitus; fertilitas aut ſterilitas ſoli; rara aut crebra bella; multæ aut paucæ coloniæ; multa aut pauca præſidia in exteris regionibus habenda; diuerſæ religionis tolerantia aut exilium; frequentia aut infrequentia coniugia; negotiatio florens aut iacens; priuilegiorum multitudo aut paucitas, & quæ præterea ciuitatum prouinciarumque vigorem vel ſuſtinere & augere, vel imminuere poſſunt. Videndi Boterus *de cauſſis magnitudinis Ciuitatum*, Hippolitus a Collibus, eiusque Interpres ſupra laudatus, & Beſoldus libro *de incrementis Imperiorum*. Quanquam

quam interim notari debet, magnitudinem Imperiorum non ſemper cenſeri multitudine incolarum. Nam ſæpe mediocris multitudo bene gubernata potentior eſt, quam prouincia vndique incolis referta, ſed opibus & ordine conuenienti deſtituta.

§. VI.

De Linguarum totius orbis varietate, ortu, mutationibus &c. prolixe egerunt Conradus Geſnerus in libro, quem *Mithridatem* vocat, quemque Caſpar Waſerus *libro Commentario* illuſtrauit; Claudius Duretus in *Gallico Theſauro Linguarum totius vniuerſi*; Eduardus Brerevvoodus, Anglus, in *disquiſitionibus curioſis de Linguis & Religionibus totiùs Orbis*, ab ipſo Anglico, a Ioanne Montano Gallico, a Ioanne Ionſtono Latino ſermone editis, & Chriſtophorus Beſoldus in diſcurſu Philologico *de natura populorum & Linguarum ortu & mutatione*; ad quos eius rei cupidos ablegamus. De origine linguarum prima ex confuſione nata ſeorſim erudite ſcripſerunt Chriſtophorus Crineſius, Ioannes Buxtorffius in peculiari diſſertatione, & Mericus Caſaubonus in libro de *quattuor Linguis*.

§. VII.

De conſtitutione corporis, ingeniiſque & moribus variarum gentium, præter *Geographos* & *Scriptores de Rebuspublicis*, fuſe agunt e veteribus Hippocrates libro de *aëre, locis & aquis*; Conſtantinus Porphyrogenneta in libro de *Thematibus Imperii Orientalis*, & Albertus Magnus in tractatu *de Natura Locorum*: e recentioribus Ioan. Bodinus *in Methodo Hiſtoriarum, libro V de Republica cap. I, huiusque Operis defenſione*; Beſoldus in diſcurſu modo laudato, Ioannes Huartus *in Scrutinio ingeniorum*; Edo Neuhuſius in *Theatro Ingenii Humani* & omnium accuratisſime Ioan.

Bar-

Barclaius *in Icone animorum*, ad cuius inſtar optandum eſſet, etiam ceterarum gentium, quas ille præteriit, ingenia ab aliquo depingi. Italorum ingenia ſeorſim egregie deſcripſit quidam *Philalethes Politopienſis* in *quæſtionibus Fortianis*. Mores ac ritus variarum gentium etiam Ioannes Bohemus, Aubanus, Alexander Sardus ac Franciſcus Belleforeſtus, peculiaribus opuſculis, recenſuerunt.

§ VIII.

De vtilitate huius cognitionis multa diſſerit Bodinus *in Methodo Hiſtoriarum*, quæ repetere heic nolumus. *Cap. V.* Illud ſaltem monemus, ineſſe cuique genti aliquid, quod vtiliter aut iucunde cognoſcas, ne illis quidem exceptis, quæ alias nec frequenter adeuntur a peregrinantibus, nec pari cum ceteris fama ſunt: proinde non poſſe probari ſenſum eorum, qui præcipuas quasdam nationes intuentes, ceterarum cognitionem tanquam vilem aut inutilem, indignam cura & ſollicitudine ſua exiſtimant. Inter ſpretas peregrinantibus gentes hauddubie Suedia, Lappia, Finnia, Norvvegia ſunt. Nihilominus tamen vir pluримarum nationum peritiſſimus, Hubertus Languetus, profitetur, *Ep. VI ad Phil. Sidn.* peruagato pleraſque Orbis Chriſtiani prouincias, nullius ſibi itineris iucundiorem eſſe recordationem, quam illius, quod ad extremum Septentrionem ſuſceperit. Multa enim ibi vidiſſe ſe, quæ nemo in noſtris regionibus eum docere potuiſſet, quæque non fuiſſet crediturus, ſi ex alio audiiſſet. Idem de Indiæ Orientalis, Sinæ, Iaponiæ aliiſque regionibus dicendum eſt. Nulliusitaque populi mores Notitiæ noſtræ Studioſo temere ſunt prætermittendi.

§. IX.

Ceterum varietas Ingeniorum, morum ac temperamentorum in diuerſis regionibus potiſſimum ab his

caus-

Digitized by Google

cauſſis prouenit I a ſitu locorum, pro diuerſitate Zonarum, Climatum, partium Orbis & plagarum mundi: II, a natnra loci, ipſiusque terræ qualitate: III, a conſtitutione cœli & aëris: IV, a proprietatibus occultis quarundam gentium, quæ varietati ſitus, aut manifeſtæ terræ qualitati adſcribi non posſunt. De ſitu loci videndus Gruterus, qui oſtendit, non referre, vtrum quis in aliqua regione natus, an eo translatus ſit; pro raro enim atque inſolenti ſemper habitum esſe, ſi quis mutato loco non etiam mores mutauisſet. Addatur Beſoldus discurſ. *de Natura populorum*, vbi & de reliquis cauſſis egit. *Disc. ad Tac. XLV.*

§. X.

Id quod notatu dignum eſt, quasdam nationes extremo ſe inuicem odio proſequi, planeque contrariis moribus & ingeniis esſe. Quæ cauſſa eſt, cur raro firma & diuturna inter eas pax ſit; quæ inimicitia veluti naturalis Hiſpanis præſertim & Gallis intercedit: de qua exſtant duo peculiares libelli, *vnus Antipathia Gallorum & Hiſpanorum:* alter Franciſci Vayerii a Motha, Galli eruditisſimi, qui *tomo II Operum* eius habetur; quorum vterque ſubinde ab hypotheſi ad theſin progreditur, cauſſasque inimicitiarum inter diuerſos populos in genere pertractat. Similis contrarietas notata eſt inter Suedos & Danos, Iaponios & Sinenſes.

§. XI.

Denique, vt res omnes mundanæ, ita & populorum mores atque ingenia ſuccesſu temporis per migrationes, deductiones coloniarum, commiſtiones nationum ex bello aut commerciis, mutatam rationem victus, aut naturam ſoli, aliasque cauſſas inſignes, quando que plane ſtupendas mutationes ſubeunt. Proinde cum apud veteres Scriptores hos illosve mores, hæc illave ingenia, genti ali-

cui tribui legimus, cauendum eſt, ne ſtatim colligamus, eam & hodie talem eſſe. Vel ipſi Germani quam longe nunc alii, quam olim ſumus, non ſolum ſtatura, ſed etiam cultu corporis, moribus animi, virtutibus vitiisque, & varii generis ſtudiis. Idem de Hiſpanis, Italis, Suedis aliisque in aperto eſt.

CAPVT VIGESIMVM NONVM.

Modus ditiones poſſidendi duplex: quædam enim pleno proprietatis iure habentur: quædam non pleno; eaque vel hereditario vel vſufructuario. quod tamen minus apte ſic vocatur. Alii modi, quibus ditiones ſubſunt imperantibus.

§. I.

SVpereſt, vt de *modo habendi* ditiones breuiter dicamus. Habentur igitur aliæ *pleno iure proprietatis*, aliæ *non pleno*. *Pleno iure* habentur, quæ in patrimonio imperantium ſunt, ab iisdemque venditione, donatione aut diſpoſitione teſtamentaria alienari posſunt: quales ſunt ferme, quæ occupatione, præſcriptione, donatione, aut vi teſtamentariæ diſpoſitionis tenentur: item quædam in dotem datæ, quædam bello adquiſitæ deuictæque, præſertim ſi ex ſua priuata ſubſtantia Principes, aut etiam ex fructibus eius patrimonii, quod Principatum ſequitur, exercitum aluerint, ſumtusque bello ſuffecerint: denique ſi populus ſine omni reſeruatione libertatis plane in poteſtatem Principis alicuius ſe tradidit, quod fieri poſſe Grotius asſerit, ac prolixe docet, quædam Imperia in pleno iure proprietatis eſſe; quam ſententiam etiam *de Finibus Imperii* Conringius tuetur.

L. de I. B. & P. c. III n. 8.

c. XIX p. 343

§. II.

§. II.

Quæ non pleno iure proprietatis habentur, eas Grotius vel iure vſufructuario, vel temporario haberi dicit. *l. c. n. XI.* Sed temporarii quidem in ditiones & populos imperii, eiusque ſummi: neſcio an hucusque exemplum idoneum allatum ſit. Nam Dictatura, in qua Grotius exemplum huius rei præcipuum ponit, ſi rem recte putamus, non amplius quam Magiſtratus fuit, vti poſt alios Bœclerus *ad dictum Grotii locum* docuit. Alios, qui Imperium quouis tempore reuocabile acceperunt, Grotius ipſe remouet. Tutores Regni etiam, qui populo non ſubſunt, prouincias, quibus præſunt, non tam habent, quam pupillorum ſuorum nomine adminiſtrant, quorum & nomine plerumque omnia, quæ alicuius ſunt momenti, aguntur. Quanquam ſæpe imperium fere in ſe transferunt; ſed tunc deſinunt veri tutores eſſe.

§. III.

Melius Richartus Zoucheus, omiſſo temporario iure, ditiones & Prouincias, quæ non pleno iure habentur, vel hereditario vel vſufructuario iure haberi ait. *Part. I Iur. & Iudic. Fec. ſect. III n. I.* Hereditario quidem, ad quas ex ſucceſſione ius competit: Vſufructuario autem, quæ tantum ad tempus vitæ tenentur ab Imperantibus, quibusque defunctis non proximi ſanguine, ſed alii ſuffragiis populi, aut eorum, qui a populo poteſtatem delegatam habent (addo, vel eam vſurpant) ſuccedunt. Vbi tamen notandum eſt: I, *Vſufructuarii iuris* appellationem non ſatis apte hac in re adhiberi: non ſolum ob rationes, a Feldeno, in annotatis ad dictum Grotii locum, adductas, ſed etiam quod in nullo regno aut Principatu, proprie loquendo, proprietas & dominium regionum penes populum manere poſſit; quip-

c. III ſ. VII. pe qui, iuxta ea, quæ ſupra diximus, proprie nec viuo nec mortuo Principe Maieſtatem, adeoque nec dominium
l. c. prouinciarum, quod illam ſequitur habet: II, Male Grotium ius vſufructuarium ab electione & ſucceſsione ſuspendere; cum potius a ſignificatione populi, Imperium
l. c. p. 239. inſtituentis, pendeat; vt etiam Bœclerus monuit. Exem-
l. c. pla ſingulorum modorum Zoucheus recenſet.

§. IV.

Pertinet huc quoque II, quod prouinciarum aliæ ſunt propriæ Principis aut populi, a quo reguntur, aliæ tantum vt pignus tenentur: quod tamen poſterius genus vix vnquam ſponte & ſine vi adhibita reddi ſolet: III, quod quædam nullius alterius beneficio, quædam vt feuda alterius Principis populique poſsidentur; ſed hæc
l. c. proprie ad concedentis Imperium ſpectant, vt ſupra dictum eſt: IV, quod nonnullæ tantum iure ſubſidiario aut clientelæ ſub alterius poteſtate ſunt, de quo Zoucheus.
Part. I S. VIII n. V, VI Poſtremo, quod aliquæ, vt digniora Imperii membra, iure ſuffragii, aliisque prærogatiuis, gaudent: aliæ in formam prouinciæ redactæ, vt viliores & minus dignæ partes Imperii habentur.

CAPVT TRIGESIMVM.

Tranſitus ad ea, quæ huic Notitiæ propiora & πολιτικώτερα. Vocis ſtatus *quintuplex ſignificatus. Heic formam Reipublicæ & imperandi rationem deſignat. Quattuor potiſſima, quæ ſtatum Reipublicæ variant. Generales obſeruationes, quibus natura ſtatus decla-*

Digitized by Google

claratur. Ficta Rerumpublicarum formæ reiecta. Diuerſus imperantium numerus, diuerſas Rerumpub. ſpecies efficit. Ariſtotelis ſententia, de diuitum ac pauperum numero, ab aliorum incuſationibus aſſerta. Tria Rerumpublicarum genera ex conſenſu Politicorum oſtenſa. Status Reipublicæ vel ſimplex vel mixtus. E formis inter ſe mixtis præſtantior vt plurimum reliquis nomen commodat. Temperatura trium formarum fingitur facilius, quam obtinetur; neque vllum eius exemplum datur. Quorundam circa hanc mixturam errores, & eorum cauſſæ. Minime omnium eiusdem ſpeciei formæ in vnam aliquam mixtam coëunt. Respublicæ, in quibus iura ſummæ poteſtatis ſunt penes vno plures indiuiſim, inter ſimplices Polyarchias videntur referendæ. Tria reipub. mixtæ genera; quibus modis eueniant? quando ſumma poteſtas cum aliis communicata dicatur? ſtatus Reipub. eſt vel rectus vel corruptus. Hunc e Rerumpublicarum numero exterminare, non tam aduerſum eſt veritati, quam publicæ tranquillitati inimicum. Sex Rerumpublicarum formæ, tres rectæ, totidemque deprauatæ. Status Monarchicus eſt vel diuinus vel humanus. Diuina Monarchia ciuilis exemplum Respublica

 Ebræ-

Digitized by Google

Ebræorum præbet; quod ex ſacrarum littera-rum, & Ioſephi teſtimoniis iuxta & ratione oſtenditur. Ioſephi loca in contrarium addu-cta expenduntur. Modi acquirendi imperium. Vtrum electio ſucceſſioni præferenda? Genera-les de vtraq; obſeruationes. Succeſſio interdum ſpecie electionis coloratur. Summa poteſtas quæ-nam ſit? De forma regiminis in vnaqualibet Republica iudicare, difficile eſt. Cauſſa huius rei, & cautelæ in dignoſcenda Republica adhi-bendæ. Non iudicandum e vocabulis, nec ti-tulis, inſignibus, ſcriptoribus aut Miniſtris Principum, Oratoribus, Poetis, neque ex for-mulis & modis loquendi agendique. Simula-cra a vi Imperii diſcernenda. Non reſpicien-dum ad id, quod fit, ſed quod fieri debet. Sta-tus ab adminiſtratione, Imperantes a Magi-ſtratibus diſtinguendi. E legibus fundamen-talibus Reipub. forma dignoſcenda. Quænam Reſpublica dicatur mixta? Obſeruationes ge-nerales. Leges fundamentales, forenſes, cenſoriæ. Quinam ad Imperiorum admini-ſtrationem referantur? Status religionis & potiora circa illum animaduertenda. Status rei litterariæ nemini adhuc perfecte traditus. In quonam opes & potentia Imperiorum conſi-ſtant? Status belli & pacis a quibus deſcriba-tur;

tur; accedunt alia de bellorum varietate, cauſ-ſis, iuribus, prætextibus &c. item iudiciis, fœderibus, prætenſionibus, arcanis, ratione ſtatus, & numero Imperiorum.

§. I.

COnſideratis, quæ ad Hiſtoriam ditionesque Imperiorum ſpectant; ſupereſt, vt de ſtatu eorum, aliisque, quæ πολιτικώτερα & Notitiæ Imperiorum veluti propria ſunt, pariter aliquid in genere dicamus: idque breuiter, indicaturi ſubinde Scriptores, e quibus amplior cognitio peti queat.

§. II.

Heic primo loco ſe offert *Imperiorum Status.* Quæ vox cum de Repub. vſurpatur, fere quinque modis ſolet accipi: I enim corpus ipſum Reipublicæ ſiue Ciuitatis deſignat: cum ſcilicet Ialorum, Gallorumque imitatione *Status totius Orbis aut Europæ* vocamus Imperia & Respublicas in Orbe vel Europa vigentes: itemque cum *Status liberos* dicimus ciuitates, quæ nullius alterius arbitrio ſunt obnoxiæ. Quo pertinet Inſcriptio operis Gallici: *de Statibus, Imperiis & Principatibus Orbis*; titulus libelli a Duce Rohanæo conſcripti, qui inſcribitur: *De Intereſſe Principum & Statuum Chriſtianorum*, ſiue: *Trutina ſtatuum Europæ &c.* Sunt qui & Veteres hoc ſignificatu voce ſtatus vſos credunt, idque firmare conantur auctoritate Senecæ, cui Principes Regesque *Tutores ſtatus publici* vocat. Sed ibi Status vocabulnm aliam ſignificationem mox tertio loco afferendam obtinet. *l. I de Clem. c. IV.*

§. III.

Deinde ipſas quandoque ditiones Principi aut Reipublicæ

blicæ alicui ſubiectas denotat; vt cum earundem nationum conſuetudine *Statum Reipub. Venetæ* , *Genuenſem* , *Lucenſem* , *Mediolanenſem* , *Eccleſiaſticum* pro ditionibus Venetis, Genuenſibus, Lucenſium, Ducatu Mediolanenſi & Prouinciis Papæ Romano in Italia ſubiectis, dicimus.

§. IV.

Eſt etiam illa frequens acceptio, qua ordines aut proceres alicuius Imperii, prouinciæ, ditionisve alterius, Status illius dicimus. Quo ſenſu in omnium ore ſunt *Status Imperii Germanici*, Regni Galliæ, Suediæ, Hollandiæ, Zeelandiæ, Brabantiæ, Geldriæ, Flandriæ & generatim Fœderati Belgii.

§. V.

Quarto & conditionem, fortunam & locum, quo hoc illudve Imperium, eiusve pars aliqua hoc illove tempore eſſe dicitur, vox hæc apud veteres, iunioresque Scriptores ſignificat. Idque vel indifferenter, cum in genere fortuna Reipub. indicatur, ſiue ſecunda ſiue aduerſa ſit, ſeu pace gaudeat, ſeu turbis implicata ſit. Sic Velleius *a*) *feliciſſimum Statum Reipub. Romanæ* ſub Auguſto; Tacitus *b*) *Statum vrbis* mortuo Nerone & *c*) *Statum rerum vrbanarum* ſub initia Principatus Tiberiani dixit. Vel ſpecialiore ſignificatu, cum Respublica quieta & inconcuſſa, & ſuo loco conſiſtens denotatur. Quomodo idem Velleius *d*) *commutationem Status publici* vocat turbas ex coniuratione Catilinaria natas. Sic & Tacitus *e*) hac voce vſus, cum ait ſub perſona Muciani, *debuiſſe Cæſarem in acie ſtare, ſi Status Imperii in diſcrimen verteretur; Caninefates Batauosque minoribus ducibus delegandos.* Cicero quoque hoc ſenſu Oratione ad Quirites, pro reditu ſuo *Statum Ciuitatis*, & Oratione pro M Cœlio, *Statum Patriæ* dixit.

a) II, 91.
b) Hiſt. I, 4, 1.
c) Ann. 1, 16, 1.
d) II, 36.
e) Hiſt. 4, 15, 5.

Digitized by Google

dixit. Denique huc & *Tutores Status publici* apud Senecam pertinent, loco paullo ante laudato.

§. VI.

Poſtremo *Status* & de ipſa Reipublicæ regiminisque forma dicitur: quo ſenſu hac voce vſus videtur Tacitus, cum, ſumma rerum ad vnum Auguſtum translata, *verſum* ſiue *conuerſum Reipublicæ Romanæ Statum* dixit: item cum ait, *neque prouincias eum rerum ſtatum abnuiſſe.* Quemadmodum & Pomponius ICtus, *a*) cum ſublatis Decemuiris *Rempublicam ſuum ſtatum recepiſſe* dicit, itemque Vlpianus, *b*) quando *ius publicum* eſſe ait, quod ad Statum rei Romanæ ſpectat. Atque hæc ſignificatio, non ſane abuſiua, vt viſum Ioanni Tobiæ Geislero in libello *de Statu Politico ſecundum præcepta Taciti formato*, ſed valde commoda & vſitata, ſola huius loci eſt.

Ann. I, 4, I. & 4, 33, 3.

Ann. 1, 2, 4.

a) *l. 2. §. 24. π. de O. I.*

b) *l. 1. §. 2. π. d. I. & I.*

§. VII.

Eſt igitur, hunc in modum accepto vocabulo, nihil aliud, quam aut ipſa Reipublicæ forma ac ratio imperandi, aut aliqua ex ea immediate aut proxime fluens qualitas, conditio, vel quocunque nomine appellari debet. Nam de natura eius accuratius ac diſtinctius definienda explicandaque plerique Scriptores aut omnino non fuere ſolliciti; aut ſi fuerunt, non ſatis apte eam deſcripſerunt.

§. VIII.

Geislerus, poſtquam docuerat, Statum neque Rempublicam eſſe, neque formam eius (quod tamen nec ex verbis Taciti, nec e rationibus ab eo adductis recte colligas) nec denique adminiſtrationem nude conſideratam: tandem eum definit, quod ſit qualitas perſonarum, & rerum ciuilium, vrgentibus cauſſis, Reipub. a Magiſtratu certa ratione ob ſalutem publicam accommodata. Sed

l. c. cap. II §. III ſeqq.

Ee quem-

Digitized by Google

quemadmodum toto iſto libello, ſic etiam in definiendo Statu, confudit inter ſe duo diuerſiſſima, Statum Reipub. & rationem Status, prout hæc vniuerſam prudentiam adminiſtrandi Rempublicam denotat: immo quamuis ab initio Statum a Republica diſtinxerit; in progreſſu tamen opuſculi paſſim ea tribuit Statui, quæ non niſi Reipublicæ ipſi tribui poſſunt ac debent. Eodem ferme vitio laborat Alſtedii definitio, cui Status Reipublicæ eſt forma ciuilis adminiſtrationis, qua ſtat & eſſe ſuum habet. Nam, quod etiam Geislerus fecit, confundit adminiſtrationem Reipubl. cum Statu eius; quæ duo tamen accurate diſtingui debent.

Tom. IV Encycl. lib. XXIII, c. 4.

§. IX.

Sunt autem quattor præcipue res, quæ formam ſiue ſtatum Reipublicæ variant: I, Subiectum, cui ſumma poteſtas ineſt, ſiue numerus Imperantium: II, Vnio aut ſeparatio Iurium Maieſtatis, prout illa vel iunctim & indiuiſim, vel ſeparatim & diuiſim his illisve perſonis inſunt: III, Finis & effectus, ſiue regiminis bonitas aut malitia: IV denique modus perueniendi ad Imperium. E quibus differentiis ſecunda ſolum in Statu Polyarchico; quarta duntaxat in Monarchico & Ariſtocratico; ceteræ in omnibus ſpeciebus reperiri ſolent.

§. X.

Antequam ad ſingulas haſce differentias, variasque Rerumpub. formas progrediamur, operæ pretium fuerit, quædam in genere annotaſſe. Obſeruandum igitur eſt: I, Quemadmodum res ciuiles vniuerſim, ſic & hunc de ſtatu Rerumpublicarum locum non admittere illam ſubtilitatem & accurationem, quam philoſophia ſpeculatiua requirit: adeoque Status Rerumpublicarum ſubinde non tam pro natura rerum, quam pro conſuetudine & vſu pruden-

Digitized by Google

dentum interdum & vulgi eſſe definiendos ac diſtinguendos.

§. XI.

Deinde, quæ de Statu Rerumpublicarum dicuntur, proprie non niſi ad Reſpublicas proprie ſic dictas, hoc eſt, quæ nullius alterius Principis populive imperio ſubiectæ ſunt, pertinent: quales quænam haberi debent, vel non debeant, alibi prolixe dictum eſt: ſecundario tamen ad eas quoque referuntur, quæ tantummodo ſecundum analogiam ita vocantur, adeoque ſubinde harum exemplis declarantur & illuſtrantur, ob ſimilitudinem poteſtatis, quam, qui in his præſunt, in ciues ſibi ſubiectos exercent. Hæ Reſpublicæ a Beſoldo & aliis *ſubalternæ* vocantur. Vnde paſſim videas Argentinenſium, Noribergenſium, aliarumque tam Imperii Germanici, quam aliarum liberarum ciuitatum exempla in tractatione huius argumenti adhiberi. cap. III.

§. XII.

Præterea Status quidem Reipub. non modo dicitur, qui legibus fundamentalibus nondum aut expreſſe aut tacite abrogatis innititur; ſed etiam qui de facto & præter leges aut conſtitutionem Reipublicæ voluntatemque ciuitatis inducitur; magis tamen proprie huc pertinet, qui legibus fundamentalibus conformis eſt.

§. XIII.

Porro ad Statum Reipublicæ non pertinet aut eum immutat, quando ſumma poteſtas aut ejus pars ad breue tempus, eaque conditione, ea ſpe, eove effectu, vt paullo poſt rurſus abdicetur, alicui perſonæ aut parti ciuitatis conceditur; aut ab ea ingratiis eorum, penes quos eſt, rapitur. Proinde regnum Æſymneticum, Dictatura & dignitates ſimiles temporariæ iuxta & reuocabiles, aut alia

quacunque ratione, paullo poſt, quam ſumtæ ſunt, deſinentes, ſi maxime per eas libera & abſoluta, immo ſumma poteſtas conferatur, non tamen efficiunt Statum Reipublicæ a priſtino diuerſum. Nemo namque Statum Romanæ ciuitatis toties immutatum eſſe dixerit, quoties Dictatores in ea ſummæ rerum præfuerunt.

§. XIV.

Sed neque tum ſemper nouus aliusque Reipublicæ Status efficitur, cum vel tota Maieſtas, vel maxima eius pars vni pluribusve perſonis ad tempus quidem vitæ communicatur; ſed ita tamen, vt poſt mortem illius illorumve rurſus ad vnum redeat, vel ſaltem non ſint neceſſario & ex certa lege, vel pacto in defunctorum locum alii pari poteſtate ac iure ſufficiendi: proinde ſaluo Statu Reipublicæ fieri poteſt, vt in regno aliove Statu Monarchico vnus duove in ſocietatem Imperii adſciſcantur.

§. XV.

Multo minus certus Reipublicæ Status vocari poteſt, quando totam Maieſtatem ſeparatim diuerſæ perſonæ aut diuerſæ ciuitatis partes per turbas publicas ſibi arrogant. Hæc enim confuſio potius & anarchia, quam Reſpublica eſt.

§. XVI.

Denique non omnes Rerumpublicarum formæ, quæcunque excogitari & fingi poſſunt, ſed eæ tantummodo huc ſpectant, quæ vſitatiores ſunt, quarumcunque exempla Hiſtoriæ aut noſtra tempora ſuppeditant. Quid enim attinet, ea huc congerere, quæ nusquam reperiuntur & nihil amplius, quam commenta ſunt ingeniorum, quæ fabulis & ineptis rerum formis delectantur.

§. XVII.

Nunc ad ſingulas Rerumpublicarum diuiſiones. Harum

rum diuerſas ſpecies de Platonis, Ariſtotelis, omniumque fere præſtantiorum Politicorum ſententia, diuerſus Imperantium numerus efficit. Quia enim Reſpublica eſt gubernatio ſummæ poteſtatis; hæc autem requieſcit in perſonis, quando perſonæ variantur ſecundum numerum, Rempublicam quoque variari, neceſſe eſt: quia gubernandi poteſtas aliter vni ſoli ineſt, aliter diffunditur in aliquos ſaltem, aliter in vniuerſos. Certe alia eſt vnitas Maieſtatis, cum vni; alia cum pluribus ineſt. Ibi enim vna eſt vnitate naturali ac proprie ſic dicta; heic tantummodo morali aut ciuili, ſeu, vt nonnulli loquuntur, collectiua & reductitia. *Arniſ. lib. I. Doct. Polit. c. VII.*

§. XVIII.

Ariſtoteles quidem, cum quædam aduerſus definitiones Oligarchiæ ac Democratiæ a ſe propoſitas mouisſet dubia, ſic pergit: videtur igitur ratio planum facere, quod paucos vel multos imperare accidens ſit; illud quidem Oligarchiarum, hoc autem Democratiarum; cum locupletes pauci, pauperes autem multi vbique ſint. Ideoque erroris arguitur ab Arniſæo aliisque, tanquam, ſi oblitus ſui, non tam numero imperantium, quam opibus esſentialiter diſtingui Reſpublicas exiſtimarit. *lib. III, Pol. c. V.* *l. c.*

§. XIX.

Verum nondum conſtat, ex ſua ne ſententia, an vero ex aliena hæc ſcripſerit. Deinde non de omnibus Rerumpublicarum formis, ſed de duabus ſolummodo; neque de rectis, ſed corruptis id affirmat. Præterea ſi maxime de omnibus affirmasſet, præferri tamen deberet altera eius ſententia, quippe ſæpius ab eo repetita & præterea veritati conuenientior, ſaltem ſi de formis Rerumpublicarum in vniuerſum quæritur.

Digitized by Google

§. XX.

Quippe ſi Reſpublicas opibus imperantium diſtinguamus, alia Reipublicæ forma eſſet regnum, in quo diues, ab ea, in qua inops Rex imperat. Nunc autem eadem omnium conſenſu eſt, ſiue pauper ſit Rex, quales priſcorum tyrannos fuiſſe Herodotus ſcribit, ſiue opulentus. Opes enim & prouinciarum multitudo non ad eſſentiam Magiſtratuum, vt ipſe Ariſtoteles docet; ſed tantum ad maiorem illius potentiam, ſplendorem & amplitudinem faciunt; hæc autem ſpeciem eius variare nequeunt. Non minus Rex erat Emathion, anguſtis incluſus pagis, & cui vxor cibaria coquebat, vel antiquisſimi Reges, quorum regna intra ſuam cuique patriam finiebantur; quam Alexander Magnus, qui pene totum terrarum orbem ſubegerat, aut Artaxerxes, centum viginti ſeptem prouinciis imperans. Æque Ariſtocratia eſt Raguſiorum Reſpublica, cuius imperium vnius ferme vrbis ambitu terminatur, aut Lucenſis, quæ exigua Italiæ parte continetur, ac Veneta, Genuenſis, Belgica, immenſis opibus, ditionumque multitudine ſe oſtentantes. Æque Romæ Democratia fuit, immo magis poſtquam totius Orientis opibus affluere cœpit, quam antea, cum etiam ditiones ferreis annulis vterentur. Et quid prohibet, etiam populum eſſe diuitem? Iam ſi opes ſpeciem Reipublicæ variant, quidni & Imperantium virtus, prudentia, facundia, pulcritudo, robur corporis, &c. quæ multo magis intrinſeca illis ſunt, quam opes? At ſic & continuo mutabitur Reſpublica, & infinitæ eius formæ naſcentur, ob multitudinem rerum, quæ in Imperantibus ſpectari posſunt. Plura in hanc rem Arniſæus habet.

l. IIX. Hiſt. *l. III Polit. cap. VIII.* *Iuſtin. l. VII cap. I.* *l. c.*

§. XXI.

Stat igitur, quod diximus, diuerſum numerum Imperantium

tium diuerſos Reipublicæ Status gignere, principemq; earum diſtinctionem eſſe, quæ hinc petitur. Vtrum vero eſſentialis ſit, quod idem Arniſæus propugnat, an accidentalis, quod alii volunt, parum aut nihil ad rei ſummam intereſt; malim tamen cum Lampadio accidentalem dicere. *Part. I de Rom. Germ. §. LX.*

§. XXII.

Eſt autem, vt iterum conſenſu quodam Politici pariter aliiq; Scriptores tradunt, ſumma poteſtas vel penes vnum, vel penes paucos, vel penes multos ſiue omnes. *A Platone Philoſophisque ſe didiciſſe, naturales eſſe conuerſiones quasdam Rerumpublicarum, vt ea tum a principibus tenerentur, tum a populis, aliquando a ſingulis* Cicero ſcribit. Breuiſſime Tacitus, *Cunctas nationes & vrbes, populus aut primores, aut ſinguli regunt.* Atque hinc tria Rerumpublicarum genera naſcuntur, quæ breuiter, exemplis etiam additis, complectitur Lucius Ampelius: *Rerumpublicarum,* inquit, *tria genera ſunt: Regium, Optimatum & Populare. Aut enim ſub Regum ſunt poteſtate, vt Seleucia Parthorum. Aut Senatus, vt Maſſilia Gallorum. Aut ſe ipſi regunt: vt Athenienſes ſolebant.* Atque hoc numero plerique omnes Latini Scriptores veteres acquieſcunt, & cum illis Græci aliquot vetuſtiores, vt Æſchynes, Iſocrates, Herodotus, Xenophon, &, ſi Polybio credimus, plurimi eorum, qui de huiusmodi rebus διδασκαλικῶς diſſerere voluerunt. *De Diu. II, 2. Adde eund. lib. III de Rep. ap. Auguſt. de C. D. lib. II c. 21. Sen. Ep. XIV. Ann. IV, 33. Sub fin. libri Memorialis. l. VI Hiſt.*

§. XXIII.

Prout ſummæ poteſtatis iura iunctim & indiuiſim apud vnum pluresve veniunt, aut ſeparatim & diuiſim apud alios aliosque Imperii Ordines ſunt: ita Reipublicæ Status ſimplex aut mixtus dicitur. Neque enim plane inficiandum eſt, poſſe Statum Reipublicæ ex diuerſis illius formis miſceri, quod nimis abrupte cum a Veteribus quibus-

Digitized by Google

buſdam, tum a Bodino, Toloſano, aliiſque factum eſt, qui ob difficultatem mixtionis & incommoda, quæ inde neceſſario ſequi exiſtimant, rem omnino fieri poſſe negant, quaſi quidquam in ciuilibus rebus inueniri queat, quod plane incommodorum expers ſit. Neque natura ſummæ poteſtatis repugnat, quæ non eſt phyſico, ſed morali modulo metienda. Quanquam enim ſummum Imperium ſit vnum quoddam & per ſe indiuiſum; fieri tamen poteſt, vt per partes ſiue ſubiectiuas ſiue potentionales, vt Philoſophi vocant, ratione iurium Maieſtatis, quæ eam aut ſequuntur aut conſtituunt, diuidatur in plures, atque aliis iuribus hic aut hi, aliis ille & illi fruantur: quam rem breuiter declarant Grotius *a*) & Lampadius. *b*) Prolixe vero confirmant ac tuentur Arniſæus *c*) Beſoldus *d*) Keckermanus *e*) & *f*) Piccartus. Quanquam exempla, quæ ab illis adducuntur, non omnia æque apta ſunt, quod de Grotio Bœclerus docuit.

§. XXIV.

Ceterum etſi plures formæ inter ſe mixtæ ſint, fit tamen plerumque, vt vna aliqua ceteris ſiue reapſe, ſiue quoad ſpeciem & ſplendorem externum præualeat, nomenque & appellationem ſuam toti corpori commodet. Solet autem duobus modis contingere, vt forma aliqua præualeat, quod etiam Bœclero obſeruatum I, ex ipſa inſtitutione & legibus fundamentalibus: quomodo in Rep. Veneta Ariſtocratia adeo præeminet, vt ceterarum formarum non poteſtas aliqua admiſta, ſed tantummodo ſimulacra aſſumta ſint; cuiusmodi Reſpublicæ, proprie loquendo, non mixtæ, ſed ſimplices dicendæ ſunt: II, Ex euentu & accidenti; quando inſtituta quidem vera formarum mixtione poteſtatisq; v.g. Ariſtocratiæ & Democratiæ contemperatione facta, poſtea tamen pars vna ex mixtis

a) I de I. B. P. III, n. 17.
b) Part. I Reip. R. G. n. LX. ſeqq.
c) II Rel. Pol. c. VI ſect. I.
d) I. Syn. Pol. c. IX & Tr. de Statu Imp. mixto.
e) II Syſt. Pol. c. IV.
f) Comm. ad IV Pol. Ariſt. l. c.

ad Ann. I Tac. c. I Ar. not. I,

temperamentum mixtionis egreditur & præualet; quemadmodum in Republica Romana veteri nunc Patrum, nunc populi potentia, atque adeo nunc Ariſtocratia nunc Democratia præualuit.

§. XXV.

Quibus modis formæ Rerumpublicarum inuicem miſceri ſoleant, ſic ſatis accurate exponunt Arniſæus & Beſoldus locis paullo ante laudatis. Sed quod e tribus formis vtiliter id fieri ſolere aut poſſe, aiunt, in eo fortaſſe doctisſimos viros ratio fefellit. Quod magis adhuc de illis affirmari debet, qui hanc temperaturam omnium optimam eſſe cenſuerunt; quæ ſententia olim Polybii *a*) Ciceronis *b*) & Anonymi ſcriptoris, Photio in *Bibliotheca Cod. XXXVII* laudati, excerpti nuper in C. Contareni *c*) *de Republica Veneta*, Adami Conzeny *d*) & quorundam aliorum fuit. Quibus omnibus merito opponimus iudicium Taciti vere pragmaticum, & longi temporis vſu approbatum; qui cum ex inſtituto de Republica dignoſcenda egiſſet, ſubiicit, *delectam ex his & conſtitutam Reipublicæ formam laudari facilius, quam euenire;* vel, *ſi eueniat, haud diuturnam eſſe poſſe.* Facile ſcilicet animaduertunt, qui ciuilium negotiorum indolem exactius norunt, ac potius, quod conditio rerum humanarum vſusque vitæ admittit, quam quod rationi congruum eſt reſpiciunt, facilius fingi, quam obtineri id temperamentum, in quo liceat ſimul omnes virtutes & proprietates optimarum Rerumpublicarum colligere, vt Polybius loquitur, ſiue cui, vt alter apud Photium, *vna quæque ſpecies, quod purum habet, contribuat.* Sed fac, obtineri poſſe temperamentum, quæ duratio & conſtantia ab eo exſpectari poteſt? continebit enim in ſeſe, vtcunque inſtituta fuerit, ſemina certaminum, contentionumque de Statu. Nec vnquam concordabunt duæ formæ e diametro ſibi

a) *Hiſt. VI.*
b) *l. I. de Rep.*
c) *I, 21.*
d) *lib. II. Pol. c. XXI.*
Ann. 4, 33.

oppoſitæ, Regnum & Democratia, quippe quorum ingenium plane contrarium eſt. Et quam raro euenit, vt ciuili ſocietati vitæque vſui accommodatum & ſtabile ſit opus, in quo nimia accuratio & perfectio omnibus numeris abſoluta quæritur?

§. XXVI.

Vtcunque fuerit, nobis in præſenti ſufficit, non poſſe oſtendi vllum notabile exemplum Reipublicæ, quæ vere, non apparenter, ex omnibus tribus formis ſit compoſita. Scio equidem a veteribus pariter ac recentioribus ſcriptoribus quibusdam Imperiis huiuſcemodi mixturam tribui: nam *Laconicam* Polybius *a*) Nicolaus Cragius *b*) *Rempublicam Lacedæmoniorum*; Keckermannus *c*) *eandem Rempublicam*; *Romanam* idem Polybius, & L. Ampelius, ex omnibus Rerumpublicarum formis conſtitutam exiſtimant. Nec longe ab hac ſententia abit oratio Marci Valerii, de plebe in conſortium Reipublicæ aſſumenda, quæ apud Dionyſ. Halicarnaſſæum *d*) legitur. Idem iudicium eſt *de regno Arrogoniæ*, antequam libertas eius a Caſtellanis opprimeretur, Beſoldi *e*) & Keckermanni; *f*) *de Republica Polonica* eiuſdem Keckermanni, *g*) Martini Cromeri *h*) *de Magiſtratibus & Republica Polonorum*, & Simonis Starauolſcii ſub finem *Poloniæ ſuæ*; *de Veneta* Caſparis Contareni & Nicolai Craſſi, libro ſingulari *de forma Reipublicæ Venetæ*; de *Belgica Fœderata* Petri Bertii in oratione de eadem: de Germanica denique hodierna Adami Conzenii. Immo, ſi Bodino credimus, hæc opinio temperati Status ita perſuaſit hominum mentes, vt Francorum quoque monarchiam, qua nulla magis Regia fingi poteſt, triplici genere confuſam eſſe, nonnulli & ſentirent & ſcriberent; Senatui quidem Pariſiorum Ariſtocratiam, Comitiis popularem Statum tribuentes.

a) *l. c.*
b) *l. I.*
c) *l. 2. & l. II. Syſt. Pol cap. vlt.*
d) *l. VII, Antiq. Rom*
e) *l. I Syn. Pol. c. IX.*
f) *l. II. Syſt. Pol. c. 2.*
g) *l. c.*
h) *l. I.*
lib. I Polit. c. XIV, §. IX

§. XXVII.

§. XXVII.

Verum qui ita ſentiunt, his erroris occaſionem præbuiſſe videtur, quod adminiſtrationem Reipublicæ a ſtatu illius, apparentem mixtionem a vera, ſimulacra imperii ab eiusdem vi, ceteraque in forma cuiusque imperii inueſtiganda non recte diſtinxerunt. Id enim, ſi fecisſent, facile vidisſent horum imperiorum regimen, ſi recte & penitus inſpiciatur, aut ſimplex vt in Gallico, Veneto, Belgico, aut e duabus tantummodo formis, vt Polonicum, Arrogonicum, Romanum, & fortasſe Germanicum, compoſitum esſe. Neque enim eo deuenire neceſſe eſt, vt cum Bodino omnium ſimplex esſe asſeramus. Quidam & philoſophandi tantummodo ingeniique oſtentandi potius, quam veritatis asſeruandæ gratia eo videntur abrepti, vt formam Imperii, quam ipſi putabant omnium optimam esſe, illi Reipublicæ, quam aut laudare aut deſcribere inſtituerant, accommodarent. Quod inter alios Polybio & Contareno fuisſe propoſitum, vix dubitauerim. Potuit aliquando & peculiare conſilium diſſimulandi veri ſuæ Reipublicæ ſtatus, & aliud vulgo pariter ac prudentibus perſuadendi huic rei ſubesſe; quod non dubito, reſpexisſe auctorem libri ante aliquot annos publicati, qui inſcribitur: *Ratio conſtitutæ nuper Reipublicæ Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ penes Dominum Protectorem & Parlamentum.*

§. XXVIII.

Quas tamen ob cauſſas a vero aberrasſe vel ſaltem veritatem diſſimulasſe videntur, qui hoc tempore tres Reipublicæ formas ſimplices ita vbique temperatas esſe ſcribunt, vt non facile pura & ſimplex Reſpublica reperiri queat: quæ Clapmarii, *a*) Arniſæi, *b*) Conzenii *c*) & quorundam aliorum opinio eſt. Nam & hoc falſum eſt, ſi de

a) *de Arcan. Rerump. l. V c. 6. 8.*

b) *l. Pol. c. IIX.*

c) *I Pol. cap. XIV.*

vera non apparenti miſtione accipiatur; quippe ſi maxime de Europæis id largiremur (quod tamen de Galliæ & Hiſpaniæ Regnis, ac Republ. Veneta nunquam oſtendi poterit) quis vel minimum veræ mixtionis veſtigium in Turcico, Perſico, Iaponico, Chinenſi, Tartarico & plerisque Orientis Imperiis monſtrabit?

§. XXIX.

Sunt etiam, qui non modo diuerſas, ſed etiam vnius eiusdemque ſpeciei formas ſic coaleſcere putant poſſe, vt vnam aliquam mixtam efficiant, v. g. Monarchiam cum Monarchia, ſi penes tres ſumma poteſtas ita ſit diuiſim, vt ſinguli aliis aliisque iuribus plena cum poteſtate vtantur; Ariſtocratiam cum Ariſtocratia, ſi eadem iura ſic inter ſe, e. g. ſex optimates partiantur, vt tres eorum vnam partem, tres ceteri reliquam teneant, iunctimque exerceant. Sed nunquam huiusmodi Reſpublica reperta fuit: deinde ſi accurate loqui velimus, huiuscemodi regimen diuiſum potius & bipartitum aut tripartitum, quam mixtum dici deberet. Nam vt corpus mixtum non eſt, quod ex vnius elementi diuerſis partibus conſtat: ita nec Respublica mixta, quæ ex vna tantummodo ſpecie.

§. XXX.

Quid vero ſi iura ſummæ poteſtatis ſint quidem penes vno plures indiuiſim, ſic tamen, vt vnus plus posſit altero: aut in potioribus Reip. negotiis tantundem rex aut Princeps, quantum reliqui ordines in vniuerſum vel etiam paullo plus posſit? num & hoc genus quoddam Reipublicæ mixtæ dicemus? video viros doctos eo quidem propendere; nihil vero definitum velle. Et fateor neque nobis liquere, quid in quæſtione, nondum ſatis ab eruditis excusſa & agitata, ſequendum ſit. Nondum tamen quidquam causſæ videmus, cur eiusmodi Republica

ca inter ſimplices Polyarchias referri nequeat; ſane Iac. Lampadius in eo, quod in Republica Germanica ius Comitiorum inter Imperatorem & Status Imperii æqualiter diuiſum eſt, vniusque Cæſaris voluntati tantum ponderis, quantum Ordinum omnium concordibus ſuffragiis ineſt, clare agnouit Ariſtocraticum Imperium, cuius partem dimidiam Cæſar ſolus tenat, dimidiam Imperii Proceres; non igitur mixturam ex illa vnius præeminentia naſci arbitratus eſt, non magis quam ex eo, quod eodem Imperio paucorum Electorum ſuffragia, tot reliquorum Principum, totque liberarum ciuitatum ſuffragiis æquiparantur, imo potiora habentur. Quod igitur de quibusdam iuribus dicitur, quidni & de omnibus dici posſit. *Part. III, Reip. R. C. c. VIII. §. 14.*

§. XXXI.

Multo minus illa mixta dici debet Respublica, in qua duo pluresve vel diuiſim plena quisque poteſtate vnum idemque Imperium, ſed ſecundum diuerſas illius partes ſeu prouincias; vel indiuiſim, ſed totum tenent. Nam illud reuera non vna, ſed tot Respublicæ erunt, quot ſunt imperantes: hoc autem non regnum mixtum, ſed Ariſtocratia Duumuiralis, Triumuiralis &c. futura eſt.

§. XXXII.

Relinquuntur ergo, ſi rem recte putamus, non niſi tria Reipublicæ mixtæ genera: vnum ex Monarchia & imperio paucorum: alterum ex hoc & populari: tertium ex populari & monarchico; quanquam poſtremum hoc ob rationes imperandi ſibi inuicem oppoſitas, planeque contrarias fortasſe vix poteſt oſtendi.

§. XXXIII.

Fit autem duobus potisſimum modis, vt diuerſæ Reip. formæ miſceantur. Vel enim plane ſeparantur iura Maieſtatis, & diuerſa diuerſis Imperii ſiue ordinibus ſiue par-

tibus conceduntur. Vel apud vnam partem omnia Maieſtatis iura remanent; quædam autem alteri communicantur.

§. XXXIV.

De poſteriori genere miſtionis quædam adhuc obſeruari merentur, ac I quidem, non ideo ſtatim communicari putanda ſunt iura imperii, ſi Reges aut Principes acta quædam ſua, niſi a cœtu certo vel parte certa ciuitatis probentur, rata esſe nolint. Neque ex comitiorum in aliquo imperio necesſitate & approbatione imminutio Maieſtatis ſemper ſequitur. Nam plurimum intereſt Maieſtatis, dare operam, vt volentibus imperetur, certique cognoſcendi gradus ponantur: neque comitia omnia eiusdem auctoritatis ſunt. Quædam enim ſolummodo conſilii cauſſa habentur: alia ius habent de actibus Principis cognoſcendi, eique leges præſcribendi. Poſteriora tantum, non item priora Principis maieſtatem imminuunt. Sic Angliæ & Galliæ Reges, etſi ſubinde ad curias ſuas de præcipuis Reipublicæ negotiis referunt, tamen abſolute imperant.

§. XXXV.

Neque II ſequitur, imperantes profitentur, ſe deuinciri & teneri legibus ſuis, noluntque reſcripta a ſe contra leges valere. Ergo non habent plenam, ſed limitatam poteſtatem. Neque enim ea ratione ius ſuum a ſe abdicant; ſed firmam & conſtantem voluntatem, iuſtitiæque & æquitatis amorem declarant. Dixi *legibus ſuis*, hoc eſt, a ſe vi ſummæ poteſtatis ſancitis; nam ſi eiusmodi legibus obligati ſint, quibus populus adhuc liber futuro Regi aliquid imperat per modum præcepti manentis, aut quibus aliquid ſit additum, quo intelligatur lege cogi aut puniri posſe, omnino vis ſummæ poteſtatis infringitur & ſtatus Rei-

Digitized by Google

Reipublicæ miſcetur; cuiusmodi leges ferme ſolent obtinere non modo in regnis electitiis; in quibus plerumque in ſingulis interregnis nouæ leges fundamentales conſtringendo futuro Principi cudi ſolent; ſed etiam in ſucceſsiuis a populo aut ordinibus regni per varias occaſiones conſtituuntur, v. g. ſi contingat, Principes, qui antea abſoluti erant, in eiusmodi neceſsitatem incidere, vt ſubditorum opera extraordinaria indigeant, ſi exſtincta familia regnatrice regnum aliquis ex aliena oriundus ambiat, &c.

§. XXXVI.

Neque III, tum ſtatim deſinit eſſe monarchia ſimplex, ſi is, qui imperaturus eſt, iureiurando promittat ſubditis, aut Deo, aliqua ſe ſeruaturum, etiam talia, quæ ad modum imperandi pertinent. Quod in pleriſque regnis ſaltem electitiis fieri ſolet. Neque enim huiuscemodi iuramenta eiusdem omnia ſunt generis: quædam enim incidunt ac minuunt maieſtatem: quædam integram relinquunt, & ſolummodo de iuſtitia adminiſtranda retinendisque patriis moribus imperantes admonent. Quod diſcrimen erudite & profunde perſecutus eſt Grasvvinkelius *a*) Quædam & Grotius *b*) tetigit.

a) *de Iure Mai. c. XII.*
b) *l. c. n. 16.*

§. XXXVII.

IV, Ex eo quoque, quod aliquis ordo vel pars regni poteſtate legislatoria gaudet, non recte colligitur, eum ſummæ poteſtatis participem, iusque imperii Regii imminutum aut diuiſum eſſe. Ius enim ferendi leges tam generales, quam ſpeciales ſumma poteſtas non quidem abdicare, ſed cum altero communicare poteſt. Itaque huiusmodi poteſtas non priuatiue, ſed cumulatiue conceſſa cenſetur, poſſuntque leges huiusmodi re exigente reſcindi & corrigi.

§. XXXVIII.

§. XXXVIII.

Sed nec illud V ſequitur: ab hoc aut illo magiſtratu, vel ordine, non poteſt appellari ad ſummam poteſtatem; ergo hæc imminuta & cum illo magiſtratu, vel ordine communicata eſt. Nam id interdum ipſius Imperantis lege, interdum per modum pactorum conuentorum fieri ſolet.

§. XXXIX.

Denique non ſtatim ius imperii diuidi aut communicari exiſtimandum eſt, quod quacunque ratione ex diuerſis Imperii formis aliquid temperamenti mutuatur: nam in omni ferme genere Imperii communis aliqua ratio & vſus eiusmodi moderamen inuexit, vt regnum plerumque ariſtocraticis rationibus temperari, optimatum iura in communionem quandam cum populo deſcendere videantur. Sicuti vicisſim vix inuenitur aut conſeruatur Imperium populare, ſine temperatura ariſtocratica.

§. XL.

Itaque nec tum ſumma poteſtas a Proceribus populove communicata exiſtimanda eſt, cum in polyarchico ſtatu vnus aut pauci præ ceteris magiſtratibus poteſtatem ac auctoritatem ſingularem habent: aut temporibus periculoſis & difficilibus extraordinaria poteſtate impertiuntur. Quorum prius in Venetorum & Genuenſium Ducibus obſeruare eſt; alterum in Romanorum Dictatoribus & Magiſtris equitum, ac ſuperiore bello Hiſpano-Belgico in Principibus Auriacis. Nam illi non tam dominii & ſummæ poteſtatis, quam dignitatis præeminentia gaudent, nec amplius quam rectores & executores haberi debent. Hi quidquid agebant, non ſuo, ſed Senatus, populique Romani nomine agebant.

§. XLI.

Digitized by Google

§. XLI.

Reuera autem tum demum ſumma poteſtas cum aliis communicata eſt, cum quædam iura maieſtatis princeps & proceres, vel proceres ac populus iunctim, alia vero, aut ſaltim eadem, quoad diuerſas partes ſuas, (nam & hoc fieri poteſt) pars alterutra ſeparatim, idque propria auctoritate, non precario & dependenter, exercet, vt olim factum in Republica Laconica & Romana; hodie in regno Poloniæ & iuxta quosdam in Suedico, ac haut pridem in Danico.

§. XLII.

Rerumpublicarum, in quibus diuerſa iura maieſtatis inter diuerſos ita diuiduntur, vt ſinguli ſibi conceſſa ſeorſim vſurpent; fortasſe pauciora, imo vix aliqua exempla reperias. Neque enim huc referre licet, quod alicubi diſtractæ & ſeparatæ ſunt iurisdictiones, ita vt alia pars hanc, alia aliam illius ſpeciem teneat, v.g. alia criminalem, alia ciuilem. Quod Beſoldus confuſarum potius, quam rite mixtarum imperii formarum exemplum cenſet. Quemadmodum nec illud huc pertinet, leges de rebus Eccleſiaſticis ferre, & ſacra conſtituere, ac adminiſtrare, ſolis Epiſcopis conceſſum eſt, ipſique Principes ſacris Canonibus & Epiſcoporum poteſtati ſe obnoxios fatentur. Nam id plenitudinem imperii in principibus, aliisque imperantibus, non tollere, Grotius docet. Si ſcilicet id concedatur non abdicatiue, ſed cumulatiue, ac ea conditione vt Epiſcopi hac in re pendeant ab auctoritate ſummæ poteſtatis ciuilis, legesque ab illis latæ, ſi congruunt vtilitati publicæ aut Imperantium, ab his confirmari; ſi repugnent, reſcindi & corrigi queant. Quod factum in Eccleſia ſub primis Imperatoribus, & hodie fit in regnis Angliæ,

de ſtatu Reip. mixto c. VI.

De Imper. ſumm. Poteſt. circa ſacra CVIII n. II ſeq. &c

gliæ, Galliæ & Siciliæ, Regi Hiſpaniæ ſubiectæ. Idem dicendum eſt de iurisdictione Eccleſiaſtica; de qua idem Grotius videndus.

l. c. cap. IX ſeq.

§. XLIII.

Quid vero ſi poteſtatem ſanciendi leges de rebus ſacris, ſacrarumque iurisdictionem vnus pluresve, vel in eodem imperio, vel extra illud viuentes, ſed a ſummæ poteſtatis ciuilis imperio plane exemti, plene & ſine vlla dependentia teneant? Fateor, hoc caſu diuerſa iura maieſtatis, vel ſaltem vnius eiusdemque iuris diuerſas partes, diuerſis ſeparatim competere. Dubito tamen, an ob hoc vnum ius, vel paucas illas partes vnius alteriusque iuris, a reliquis omnibus ſeparatas, ſtatim miſceri dicenda ſit Respublica. Nam ad mixtionem Scriptores Politici requirunt, vt non leuis & vnius tantum alteriusque iuris; ſed inſignis ac notabilis pluriumque iurium ſeparatio inſtituatur.

§. XLIV.

Ratione finis imperantium ſtatus Reipub. rectus aut corruptus dicitur: idque accidentaliter, vt prolixe docet Arniſæus. *a)* Rectus, cum bonum commune ſiue vtilitas totius populi; corruptus, cum priuata ſiue imperantium intenditur.

a) II. Rel. Pol. c. I s. II & V.

§. XLV.

Equidem non defuerunt olim pariter ac noſtro tempore, qui Respublicas, proprium imperantium bonum reſpicientes, in numero Rerumpublicarum cenſeri plane noluerunt. Sane Cicero, cum dixiſſet: *Rempublicam eſſe rem populi, cum bene aut iuſte geritur, ſiue ab vno Rege, ſiue a paucis optimatibus, ſiue ab vniuerſo populo.* Statim ſubiicit: *Cum vero iniuſtus eſt Rex, quem Tyrannum voco,* aut *iniuſti Optimates, quorum conſenſus factio eſt;* aut *iniuſtus ipſe*

lib. III. de Rep.

ipſe populus ; cui nomen vſitatum nullum reperio, niſi, *vt etiam ipſum Tyrannum appellem : non iam vitioſa, ſed omnino nulla Reſpub. eſt, quoniam non eſt res populi, cum Tyrannus eam factione capesſat : nec ipſe populus iam populus eſt, ſi ſit iniuſtus, quoniam non eſt multitudo iuris conſenſu & vtilitis communione ſociata.*

§. XLVI.

Sed omnino negare Rempublicam esſe, quæ iniuſte aut ab iniuſtis, nec ex vtilitate populi geritur, cum veritati aduerſum, tum iniquum ac publicæ tranquillitati inimicum ac periculoſum eſt: *veritati aduerſum*, quod ſicuti cunctæ res ciuiles ſua natura nec bonitatem nec malitiam inuoluunt, ſed ad vtrumque indifferenter ſeſe habent: ita nomen Reipublicæ pariter tam prolapſam quam rectam complectitur, nec tantummodo Regno & Ariſtocratiæ; ſed Oligarchiæ quoque & Tyrannidi tribui debet, quod prolixe Arniſæus oſtendit. Deinde *impium*; quia ſic malis temporibus & Tyrannis imperium velut adimitur; quod tamen & ipſi a Deo, omnium imperiorum auctore ac moderatore, acceperunt. E quo fluit, non deberi ipſis obſequium: quod tamen ſacræ litteræ etiam prauis & iniuſtis poteſtatibus deberi affirmant. Denique publicæ tranquillitati inimicum ac periculoſum, quia hoc ſemel admisſo, facile illuc peruenitur, vt deiiciendi cenſeantur de imperio, immo interficiendi, quos reuera nulla maieſtate præditos esſe homines ſibi perſuaſerunt. Id enim ſequitur, ſi vere Reſpublica non eſt, cui præſunt. Quantum autem hæc res periculi etiam non pesſimis, immo bonis quandoque Principibus creare, quantum turbarum excitare in Republica posſit, ſi præſto ſint, qui præſentem rerum ſtatum exoſi rebus nouis ſtudeant, nemo non perſpicit. Neque enim tam manifeſti ſemper & communiti *l. c.*

Digitized by Google

ſunt boni malique, iuſti & iniuſti fines, quin aut hæc pro illis & obtrudi & acceptari, aut reſiſtendo malis, vltra quam debeat, procedi poſſit.

§. XLVII.

Hæc cum ita ſint, plerique ſcriptores nuperi cum Platone in Politico (alibi enim aliter Reſpublicas partitur) Ariſtotele *a)* Polybio *b)* Plutarcho in *de Monarchia, Oligarchia & Democratia*, multisque aliis pro diuerſitate cum numeri imperantium, tum finis, quem reſpiciunt, ſex formas Rerumpub. conſtituunt, tres rectas, totidemque corruptas ſiue deprauatas, quas παρεκβάσεις ſiue aberrationes vocant: ſic tamen, vt aliqui miſtas ex illis admittant, plures paucioresve, alii plane reiiciant. Rectas autem appellant *Regnum*, *Ariſtocratiam & Democratiam* ſiue Politiam: corruptas *Tyrannidem*, *Oligarchiam & Ochlocratiam* ſiue *Democratiam* ſpecialiter ſic dictam. Quanquam in nominibus ſingularum formarum veteres non vbique conueniunt.

a) III, Pol. V. it. IV, 2. ac lib. VIII. Ethic. Nic.
b) l. VI Hiſt.

§. XLVIII.

Ex horum igitur Scriptorum ſententia ſextuplex fuerit Rerumpublicarum ſtatus: *Regius, Tyrannicus, Ariſtocratius, Oligarchicus, Democraticus* ſiue *Popularis* & *Ochlocraticus*. Quibus ſi addas mixtorum genera ſupra recenſita, facile omnem Rerumpublicarum, quæ quidem vnquam repertæ ſunt, latitudinem emetieris. Sed quoniam inter has ſpecies (tales enim eſſe, & a ſe inuicem ſpecie differre, docet Ariſtoteles) & Rempublicam, tanquam ſummum genus, in hoc genere, quædam intermedia ſiue ſubalterna intercedunt, de quibus in genere quædam obſeruari debent.

IV Pol. cap. III.

§. XLIX.

Statum igitur alium Monarchicum dicimus, in quo vnus

Digitized by Google

vnus; alium Polyarchicum,in quo plures ſummo imperio plenaq; maieſtate potiuntur. Plures autem vocamus comparate, quicunque vnitatem excedunt, exemplo Ariſtotelis,qui ſubinde vnos eosdemque optimates, penes quos ſumma imperii eſt,nunc paucos,nunc plures vno appellat. Quod ſolum ſufficere poteſt obtundendæ quorundam nimiæ ſubtilitati,qui dubitant, an Oligarchia aut Ariſtocratia recte Polyarchia dici poſſit, cum contra dictionem videatur implicare,eosdem & paucos & plures eſſe.

§. L.

Monarchicus aut *diuinus* aut *humanus* eſt. *Diuinus*, in quo penes DEVM ipſum ſumma poteſtas ciuilis, regimenque Reipub. eſt, ſola adminiſtratioue & exſecutione conſiliorum decretorumque de Republica hominibus relicta. *Humanus*, in quo omnis rerum ciuilium poteſtas in vno homine reſidet.

§. LI.

Diuinæ *Monarchiæ* ciuilis (nam præter hanc alia eſt, qua Deus vniuerſum mundum regit; & rurſus alia, quaEccleſiam ſuam)exemplum illuſtre,& iuxta pleroſque, vnicum præbet Reſpublica Ebræorum, in qua ſummam poteſtatem, vsq; ad primum Regem Saulem, inde ab exitu exÆgypto,penes nullum hominem,ſed apud ſolumDeum fuiſſe; Moyſen autem & Ioſuam tantummodo Proreges, ſeu, vt alii loquuntur, DEI Cancellarios fuiſſe,volunt e Scriptoribus de illa Republica Bertramus, *a*) Cunæus, *b*) Menochius, *c*) & prolixe Conringius, *d*) e Politicis, Boxhornius, *e*) e Theologis Danhav verus *Chriſteidos* ſiue *Dramatis ſacri* προθεωρία *f*) Io. Conr. Durrius *g*) Disp. Theol.]quod *coram Iudicio Diuino Ethnici ſint inexcuſabiles.*

§. LII.

Atque hoc ita eſſe,cum diſertis *ſacrarum litterarum*

a) *c.V extr. & c.VI.*
b) *l.I cap.I.*
c) *l.I.c.I.n.5*
d) *a theſ. IIX ad LI, & ſque.*
e) *Inſt. Pol. l.I.c.I.*
f) *Phænom. II p.811*
g) *§ XXIII ſeq.*

ac *Ioſephi* teſtimoniis, tum *ratione* oſtendi poteſt. *Sacrarum litterarum* teſtimonia hæc ſunt I, *1 Samuel. VIII, 7.* vbi DEVS ad Samuelem dicit, Iſraëlitas Regem, qui ad inſtar aliarum gentium ipſis imperet, petentes, *non Samuelem abiecisſe, ſed ſe, ne regnaret ſuper eos.* Nam ex eo apparet, antea DEVM illorum Regem fuisſe; & eo quidem modo, quo poſt Reges Iſraelitis præfectos, ipſe Rex eorum vlterius non esſet: II, *1 Samuel XII, 12.* vbi Samuel expresſe dicit, *Dominum DEVM* ante regem ab iis poſtulatum *regnasſe in illis:* ſimul innuens, eos noluisſe, vt hoc in poſterum fieret. III, *Iudic. IIX, 23.* quo loco Gedeon Iſraëlitis poſcentibus, *vt ipſe & filius eius, filiusque filii eius ſibi dominarentur*; reſpondet, *non ſe nec filium ſuum, ſed Dominum illis dominaturum*: ſignificans idem inter eos inſtaurandum imperii genus, quo ante ſuppresſionem Midianitarum vſi fuerant: IV denique *Syracidis XVII, 17.* vbi in *diuiſione gentium vniuerſæ terræ DEVS cuique genti dicitur conſtituisſe ἡγȣ́μενον*, id eſt, *qui illi præesſet, ſibi autem tanquam ſuam partem asſumſisſe Iſraëlem.* Qua ratione igitur aliis gentibus Principes & Reges, ea DEVS Iſraëli præfuit.

§. LIII.

Ioſephi teſtimonia duo ſunt. Vnum *lib. IV Antiquitat. Iudaicar.* cap. VII, vbi Moyſes ad Iſraëlitas de forma regiminis, quæ optime illis congrueret, loquens: *ſatis eſt*, inquit, *vos DEVM habere Principem.* Alterum multo manifeſtius *lib. II, contra Appionem.* Nam ibi, poſtquam dixisſet, *alias gentes Monarchiis, alias paucorum dominatibus, alias aliis populis commiſisſe poteſtatem Rerumpublicarum*: ſubiicit, *Moyſen nihil horum intendisſe, ſed ſi quis ſermoni vim inferens ita loqui velit, Theocratiam* (hoc eſt, diuinum Imperium) *declarasſe Rempublicam.* Quibus addi debet, quod

p. 1071.

quod *IV A. I. VIII* Moyſes ait, *DEVM huc vsque Principem eorum fuiſſe:* Θεὸς ὁ μέχρι νῦν ἡγεμονεύσας ὑμῶν: quodque idem *eod. cap.* præcipit, *vt bellum geſturi DEO ſummo Imperatore* (στρατηγῷ αὐτοκράτορι) *vtantur; ſecundum autem imperatorem* (ὑποστράτηγον) *eligant vnum aliquem virtute præcellentem.* Itemque, quod DEVS ipſe apud eundem VI A. I. IV ad Samuelem ait, populum ſe ſpreuiſſe, *ne ſolus regnaret.* Addatur cap. V libri V.

§. LIV.

Ratione idem hinc euincitur, quod earum rerum, in quibus ſumma poteſtas ciuilis præcipue vim ſuam exſerit, arbitrium in Republica Ebræorum, non, vt alibi, penes homines, ſed penes DEVM ipſum fuit, nec ſine expreſſo illius mandato quidquam, quod alicuius momenti eſſet, geri debuit. Primo namque ſolus leges ciuiles, & Reip. Iſraëliticæ conſeruandæ aptas, condidit; vt paſſim e Leuitico, Numeris, & Deuteronomio apparet. Neque tantummodo leges ſanxit, ſed etiam pœnas aliquando ſingulares dilinquentibus infligendas definiuit: vt lapidationem blaſphemo *Leuit. XXIV, 14*: & violatori Sabbati, *Num. XV, 35.* ſuſpendium Principibus populi, qui cum Moabitarum feminis fornicati fuerant *Num. XXV, 4.* Et in cauſſis ciuilibus conſultus reſpondit; vt in cauſſa filiarum Salphabad ad hereditatem & matrimonium ſpectante, *Num. XXVII, 7.* & *XXXVI, 5.* & ſeqq. Immunitates quoque & priuilegia conceſſit: vt vacationem a militia Leuitis & aliis, *Num. I, 49.* & *Deut. XX, 5. ſeqq.* Deinde Magiſtratus ipſe conſtituit, maiores quidem immediate, vt Moyſen & Ioſuam, minores per Moyſen, *Exod. XIIX, 25.* & *Num. XI, 16.* Poſtremo bellum & prælia non niſi iuſſu DEI geri debeant, vt cognoſcere eſt e *Num. XIV, 25.* & *XXXI.* Qui & duces conſtituebat *Num. I, 5. ſeqq.* & de acie inſtituenda præcipiebat

bat *Deut. XX.* Vnde & *στρατηγὸν αὐτοκράτορα* vocat Moyſes apud Ioſephum, A. I. IV, 8.

§. LV.

Non officere huic ſententiæ debet I, auctoritas Ioſephi, qui *libro IV. Antiq. Iudaicar. cap. VIII*, Moyſen, Iſraëlitas ſic alloquentem inducit: *Ariſtocratia quidem optima, & optime in ea viuitur, nec vos cupido capiat alterius regiminis, ſed illam amplectimini, leges habentes Dominos, & iuxta illas ſingula facientes.* Et *lib. XX, cap. VIII.* ait, tempore primorum XIII Pontificum Iſraëlitarum Rempublicam *primam fuiſſe Ariſtocratiam, poſt hanc vero Monarchiam, tertiam autem Regum.* Similiter *Antiq. VI cap. XIV*, ait, *Saulem primum* poſt Ariſtocratiam & rempublicam *ſub iudicibus* (*τὴν ἐπὶ τοῖς κριταῖς πολιτείαν*) *apud Ebræos regnaſſe.* Et *lib. eod. cap. IV*, Samuelem ſcribit *valde delectatum Ariſtocratia, tanquam diuinos & beatos efficiente.* Nam primo de adminiſtratione non de ipſo ſtatu Reipublicæ loquitur. Quomodo & Gelenius poſteriorem locum accepit. Vertit enim: *primo penes optimates adminiſtratio fuit Reipublicæ, poſt ad Monarchas, poſtremo ad Reges tranſiit.* Quomodo & quarto loco reddidit: *valde enim optimatum gubernatione delectabatur.* Aut, ſi de Statu ipſo locutus eſt, minus accurate heic egit. Accuratius autem rem expreſſiſſe exiſtimandus eſt in loco *contra Appionem* ſupra laudato, vbi Reipub. Iſraëliticæ ſtatum ab aliis omnibus diſtinxit. Deinde *Deuter.* XVII, vnde prior locus deſumtus eſt, nihil huiusmodi habetur; ſed Ioſephus iſta e traditionibus Iudæorum, vt videtur, deſumta addidit: pariter ac illud, quod paullo poſt ſubiicit, *Regem qui eorum aliquid*, quæ *Deut. XVII, 16. 17.* vetantur, *cum ſtudio habuerit, prohibendum eſſe, ne potentior fiat, quam Iudæis expediat.* Poſtremo Ioſephum de ſumma poteſtate non loqui, appa-
ret

ret ex eo, quod priori loco ſtatim ſubiicit, *ſatis eſſe, ſi Deus ſit Princeps.* Non igitur aliis opus eſſe Principibus in Repub. Ebræorum innuit. Itemque, quod *eod. cap.* DEVM ἡγεμονεῦσαι Iudæis hucusq; & in bellis ϛρατηγὸν αὐτοκράτορα aſſumendum ait.

§. LVI.

De vera tamen Ariſtocratia Ioſephum locutum eſſe, eamque inter Ebræos ante reges obtinuiſſe, paſſim Viri docti & rerum Ebraicarum periti cenſent: quorum aliquos Arniſæus *a*) laudat. Quibus addi poſſunt inter alios Caſaubonus *b*) & Montacutius. *c*) Qui poſtremus inter alia hoc argumento vtitur, quod *Ebræi alias in Saule rege non formam regiminis, ſed tantum perſonam mutaſſent.* Quod aduerſus illos quidem valet, qui Moyſen & Iudices monarchas fuiſſe volunt, non item aduerſus alios, qui ſiue ab omnibus formis vſitatioribus, vt Ioſephus; ſiue a regno ſaltem & dominatu Theocratiam diſtinguunt.

a) *II Rel Pol. c. IV.*
b) *Exerc. XV contra Bar. ſect. XXVIII.*
c) *Tom. I, Orig. Eccl. part. II, ad an. Chr. XXXIII*

§. LVII.

Arniſæus ſaltem poſt Moyſen & Ioſuam Ariſtocratiam obtinuiſſe, & *quidquid infra DEVM ab hominibus expeditum fuit, quod ad maieſtatem pertineret, a Senioribus ſeu Synedrio expeditum fuiſſe ſcribit*, idque confirmare conatur e *Iudic. XX, 2. & cap. XXI, 16. I. Sam. IV, 8. II Reg. XI, II. Paralip. XXIII*; ſed fatetur paullo poſt ipſe, *non omnia iura maieſtatis penes homines quærenda eſſe in ea Repub. cui DEVS ipſe caput & principem ſe conſtituit.* Et quod principes populi ſtuprum bello vindicarunt, quod Heli iudicium exercuit; non aliam poteſtatem arguit, quam quæ & in Moyſe & Ioſua fuerat. Quod vero Athaliæ Pontifex cum ceteris principibus regnum ademit; id eo iure fecerunt, quod omnium regnorum proceribus aduerſus tyrannum titulo, ſiue inuaſorem, conceſſum eſt. Nec ad eam rem ſumma

l. c.

Digitized by Google

ma poteſtate opus fuit. Saltem ad Iudicum tempora res iſta nihil facit, cum ad regium ſtatum pertineat.

§. LVIII.

Contra alii ſub iudicibus Monarchiam viguiſſe volunt. Nam Ioſephus non modo *lib. XX cap. VIII*, vt iam diximus, inter Ariſtocraticam Ebræorum & Regiam Rempub. *Monarchas* interponit; ſed etiam l. XI c. IV diſerte ſcribit, Ebræis *ante Reges præfuiſſe cum imperio, qui Iudices & Monarchæ dicerentur, & hanc regiminis formam quingentis amplius annis obtinuiſſe poſt mortem Moyſis & Ieſum Imperatorem.* de R.P.c.2 Atque hoc & Bellarminus & Pontificiorum alii affirmant. Sed Bellarmini ſententiam Arniſæus validè confutauit. Qui tamen fortasſe non ſatis prouide largitur, *Iephtham* & *Abimelechum* & *paucos alios, qui ſuo marte patrocinium oppreſſi populi ſuſceperunt*, reges fuiſſe. Verum fac, fuiſſe reges: nobis ſatis eſt, ſi non omnes Iudices Reges, nec ſtatus Reipublicæ Iudaicæ ante Saulem regius fuit.

§. LIX.

Quod autem Ioſephi loca attinet, iis I alia eiusdem opponimus, quibus nunc Theocratiam, nunc Ariſtocratiam apud Ebræos obtinuiſſe ait: deinde non dicit *fuiſſe* iudices Monarchas, ſed ita *dictos*; idque fortasſe deſumſit e *Iudic. XVII, 6. & XVIII, 1. XXI, 24.* vbi *nullus in Iſraël Rex fuiſſe* dicitur. Poſtremo Μονάρχου vox non ſemper ſummam regiamque poteſtatem, ſed interdum merum principatum aut præeminentiam, vel poteſtatem extraordinariam deſignat. Nam & Syllam μοναρχῆσαι τοῖς Ῥωμαίοις, l. V. hoc eſt, monarcham Romanorum fuiſſe, Strabo ſcribit, cum tamen non niſi Dictator fuerit: qualis fere & iudicum horum poteſtas fuiſſe videtur: & Epiſcopos aliquando *Monarchas*, ac Epiſcopatum *Monarchiam* dictam Caſaubonus

nus annotauit. Nempe ſicut ἄρχοντες quandoque dicuntur, qui ſummo imperio non gaudent, ita & Μόναρχοι; permittente hoc primitiuæ vocis proprietate, quæ quodcunque imperium deſignat. *l. c.*

§. LX.

At *Moyſes* tamen, vt aiunt *monarcha & rex fuit.* Sic enim pariter Bellarminus & alii cenſent. Verum his quoque iam ab Arniſæo reſponſum eſt. Neque iuuat eos, quod *Deut. XXXIII,5.* & a Philone *lib. III de vita Moyſis, Rex* vocatur. Nam *Regis* nomine, ſi quidem de Moyſe heic ſermo eſt, (nam alii Saulem denotari volunt) in loco Deuteronomii, quemadmodum & in iis, quæ e libro Iudicum paullo ante laudauimus, intelligi videri Gubernatorem & Ducem quemlibet, Bertramus recte monuit. Norunt enim linguæ Ebraicæ periti quam late vocis מלך, quæ regem deſignat, vſus pateat. Etiam Nicephorus de Moyſe ait: ἡγεῖτό τε τοῦ ἔθνους καὶ βασιλεὺς, καὶ ἱερεὺς αὐτὸς αὐτοῖς ἐχρημάτιζεν. Et tamen mox addit, *Saulem primum in regem vnctum.*

l. c. *§. XIV.* *cap. IX de Pol. Iud.* *H. E. I, 6. p. 54.*

§. LXI.

Quod Philonem attinet, is non modo iam Moyſen regem vocat, cum ait, *ſe oſtendiſſe, Moyſen fuiſſe optimum regem, legislatorem & pontificem;* ſed etiam, *principio libri II* eiusdem operis, ei tribuit *δύναμιν βασιλικὴν, & diuina prouidentia regem & legislatorem & pontificem & prophetam factum* ait. Et *lib. I* ſcribit, *quod Moyſes regnum Ægypti reliquiſſet, cum eſſet nepos regius, idcirco DEO viſum eſſe populoſioris melioris que gentis regnum ei reponere.* Sed eum hyperbolice locutum eſſe, vel ex eo apparet, quod eundem Moyſen *Pontificem* quoque & *Sacerdotem* faciat: quorum tamen neutrum, ſi proprie voces illas accipias, Moyſi conuenit. Quod ſi maxime Regem proprie dictum fuiſ-

ſe exiſtimasſet, magis tamen eſt, vt ſacris litteris & Ioſepho, quam Philoni, credamus.

§. LXII.

Ceterum Ioſephus, & recentiores aliqui Theocratiam non fuiſſe aliquam e tribus Reipub. ſpeciebus, aut genus quoddam Monarchiæ; ſed plane diuerſum a reliquis omnibus Reipublicæ genus conſtitui debere exiſtimant. Alii ne quidem locum ei inter ſpecies Rerumpub. relinquunt, quod diuina, non humana ſit. Vtrique ſine cauſſa. Nam cum ſit ciuile vnius imperium in ciuitate, res eius regio ac ciuili modo adminiſtrantis; cur pro Republica & regno haberi nequeat, cauſſam non video. Præterea ſi verum eſt, differentiam Rerumpub. ſumi a numero imperantium; ſi peculiaris ſpecies Theocratia eſt, diuerſus quoque a reliquis numerus eſt, aut non omnes Respublicæ numero imperantium a formis reliquis diſtinguentur.

§. LXIII.

Porro non tantum in populo Iſraëlitico ſub Moyſe, Ioſua, & Iudicum tempore, ſed etiam ante diluuium inter fideles, & aliquandiu poſt diluuium in Semi poſteris videri obtinuiſſe, alibi diximus. Neque diuerſa videtur ratio imperii Abrahami, aliorumque Patriarcharum. Quanquam enim Arniſæus negat, Noachi filios & patriarchas Rempublicam habuiſſe, ſed tantum magnos Patresfamilias fuiſſe: attamen cum ſui iuris, nulliusque hominis arbitrio obnoxii, ſed, vt ipſe Arniſæus poſteriore loco fatetur, ſoli DEO ſubiectæ fuerint, ac ſupremum ius belli vitæque ac necis exercuerint; non eſt, cur ciuitatis & Reipublicæ nomen cœtibus, quibus præfuerunt, denegemus.

l. c. §. IV & l. II c. II S. I §. 12.

§. LXIV.

Simile quid regimini Theocratico, & in Regno Chriſti

ſti ſpirituali, ſiue Republica Eccleſiaſtica, licet obſeruare. Nam & ibi Chriſtus monarcha, per miniſtros ſuos omnia gubernat, ipſe, nec vllum Eccleſiæ regem aut principem viſibilem agnoſcit. Id quod paſſim Theologi Proteſtantium oſtendunt, cum diſputant aduerſus monarchiam Papalem. Neque negat ipſe Bellarminus *ſolum Chriſtum totius Eccleſiæ Regem abſolutum & liberum eſſe*; ſed tantummodo miniſtrum primarium & vicarium ſiue Proregem eius in his terris vnum eſſe debere contendit. *I de Rom. Pont. c. V & IX.*

§. LXV.

Boxhornius videtur exiſtimaſſe, hanc formam regiminis etiam ſub regibus Iſraelis & Iudæ ac deinceps, vsque dum Iudæi in formam prouinciæ redigerentur, obtinuiſſe, id enim præ ſe ferunt, quæ *lib. II Inſt. Polit. cap. I §. VI & VII* de hac Republica tradit. Sed hoc falſum eſſe, duo euincunt. Vnum, quod DEVS diſerte ait: Iſraëlitas Regem poſcentes, *ſe, ne regnaret ſuper eos, abiecisſe*. *I Sam. VIII, 7.* Alterum, quod iidem petiiſſe dicuntur eiuſmodi Regem, *qualem vniuerſæ gentes haberent*. *ibid. verſ. 5, & 10.* At omnes reliquarum gentium reges ſumma poteſtate ciuili fuerunt præditi. Talem igitur & Iſraëlitæ ab illo tempore habuerunt; ac proinde non DEVS ipſe, vt antea, eorum rex fuit.

§. LXVI.

Atque hæc de Statu Monarchico Diuino dicta ſunto. Humanus, vt iam ſupra diximus, eſt, in quo vnus homo ſolus ſupremo imperio potitur. De hoc paſſim prolixe Scriptores politici: inter quos accuratione & diligentia præcellunt Arniſæus *Relect. Polit. lib. II cap. II, III, IV*, & *in doctrina Politica lib. II cap. IX.* Beſoldus in diſcurſu peculiari *de Monarchia*, & *Synopſi Polit. lib. I, cap. IV, & V*, & in *Collegio Politico Claſſe I, diſp. V & VI*; Heiderus *in Syſtemate Philoſophiæ Politicæ cap. VI* Gregorius Toloſanus lib. V

de Republica, *a cap. I*, ad *XVIII* vsque; Bodinus *lib. II de Republica c. II, III, IV* Conzenius *lib. I; Polit. c. XVI & XXI, &c.* Ex his igitur petet, qui plura de hoc argumento æque ac reliquis ſpeciebus ſupra recenſitis deſiderat. Nobis iam ad alia tranſeundum eſt.

§. LXVII.

Ratione modi perueniendi ad Imperium, alia Imperia ſucceſſiua, alia electitia ſunt. Quæ differentia potiſſimum in Regnis obtinet; ac in ſpecie in monarchiis regalibus ſiue principatibus. Nam in dominatibus ple-
l. c. riſque, vt Tacitus ait, *certa Dominorum domus, ceteri ſerui.* Et in vniuerſum ſuccedendi ratio in ſe quodammodo herilior eſt. Quinam autem modus præferendus ſit, diu diſputatum eſt inter politicos, tractauitque id argumentum non vulgari induſtria Barclaius. *a*) Cui Arniſæus
a) *l. I Argen.* *b*) *l. I Polit. cap. IX.* addi poteſt. *b*) Nobis pauca notaſſe ſufficiat. Sciiicet I, argumenta pro electione plerumque ſpecioſiora, & philoſophiæ accommodatiora; pro ſucceſione vſui & tranquillitati Reipub. aptiora eſſe: II, Succeſſionem vel inde plurimum commendari, quod pleræque gentes eam prætulerunt, idque ſucceſſu felici: III, etiam ideo pleroſque Politicos fauere ſucceſſioni, quod in vſu vitæ non ſint ſequenda ſpecioſiſſima, ſed certiſſima & tutiſſima: IV, Diſputationum hypotheſes non eſſe importune ad exempla accommodanda: quod a quibusdam tum ridicule, tum periculoſe factum eſt. Nam in his talibus vtilitas Reipub. ſuprema regula eſt. Rideretque hauddubie politicus, quos aduerſus leges ac mores ſuæ Reipub. ambitioſius in contrariam ſententiam philoſophantes audiret: V, Nihilominus interdum ab imperantibus *Electionem* vocari, quæ
Clapmar. Arcan. II cap. XV. reuera ſucceſſio eſt. Exemplo Tiberius eſt, qui cum reuera ſuccederet Augusto, tamen vocari eligique voluit.

Simi-

Similiter Galba cum Piſonem adoptaret, Cæſaremque faceret, electionem vocat, quæ nihil aliud, quam ſucceſsio erat. Quæ tamen obſeruatio non eſt eo vsque extendenda, vt ſi electio in vna familia libere continuetur; quod ab aliquot annis in Germania, Dania, Polonia factum; dicatur reuera ſucceſsio eſſe.

§. LXVIII.

Porro ſucceſsionum materia late diffuſa, multisque varietatibus implicita eſt, eoque merito inter nobilisſimas partes iuris politici refertur. Pleraſque quæſtiones diligenter adnotarunt Grotius *a)* & longe diffuſius Arniſæus *b)* ac Beſoldus. *c)* Valde illuſtrabit hanc materiam lectio hiſtorica, notitiaque morum legumque, quibus vnaquæque Respub. vtitur, tum famoſiores controuerſiæ, quæ ſuper ſucceſsionum iuribus agitatæ, ſcriptisque proditæ ſunt.

a) lib. II de I. B. & P. cap. VII.
b) lib. II Relect. polit. toto cap. II.
c) in libris tribus Diſ. Nomicopoliticarum.

§. LXX.

Penes quem ſit ſumma poteſtas in quaque Republica, non aliunde melius, quam ex iuribus maieſtatis, vti vocantur, eorumque poſſeſſione & exercitio cognoſci poteſt. Nam ab his ad ipſam maieſtatem, & viciſsim ab illa ad hæc perpetua eſt politicorum collectio; adeo vt qui cuncta maieſtatis iura poſſidet, atque proprio nomine, nec precario exercet, penes eum ſolum recte dicatur eſſe poteſtas ſumma: contra, qui vno alterove deſtituitur, penes eum neque ſumma poteſtas reſidere dici queat. Quamquam hæc regula non vnam cautionem admittit, vt poſtea apparebit. Iura vero maieſtatis bene & plane ad mentem veterum reique ipſius naturam ſic vniuerſim partitur Grotius, vt alia maieſtas exerceat per ſe, alia per adminiſtros. Per ſe quidem, condendo tollendoque leges tam circa ſacra, quam profana, tum ſingulares, ſiue actio-

I de I. B. & P. cap. I II num. VI.

actiones ſiue res dirigendo; quo pertinent Ius Belli, Pacis, Fœderum, Vectigalium, Dominium eminens & Iurisdictio. Per alios autem, magiſtratus, legatos aliosque curatores ordinando. Ad hæc enim iura omnia illa reduci posſunt, quæ vulgo pæne in infinitum multiplicari, & in maiora ac minora diuidi ſolent. Hæc igitur omnia, qui posſident, iis iure plena maieſtas tribuitur, ſiue vnus, ſiue plures ſint; qui vero partem eorum habent, proprioque nomine exercent, ſolummodo participant de ſumma poteſtate, & mixti imperii indicium præbent.

§. LXX.

Atque iſta in theſi, & generali conceptu ſatis tuto & facile definiri posſunt. Sed cum ad hypotheſin deſcenditur, cum in rem præſentem veniendum eſt, paucisſimi ſunt, qui cognatas ſpecies modosque discernere, ac ſolide definire audeant, quis huius illiusve ciuitatis ſit ſtatus, quæ regiminis forma: cum vix vlla ſit Respub. quæ non variis ſimulacris & inuolucris ſtatus ſui iura & arcana, tanquam rem ſacram, palliet atque obtegat. Quod præſertim in miſtis formis contingere ſolet, ſiue reuera, ſiue apparenter ſint tales. Nam in apparenti temperatura ſæpe quæ admiſta ſunt, veri temperamenti ſpeciem efficiunt: in vera autem magis adhuc implicatur quæſtio, quæ primo intuitu facilis & obuiæ definitionis esſe videbatur. De vtroque genere quædam Bœclerus notauit. Nos in re ardua & difficili, quantum licet, regulas & cautiones aliquot adferemus, quibus tum negocium dignoſcendi Rempub. dirigi, crebræque in eo aberrationes ſaltem aliqua præcaueri posſint.

In disſert. Acad. p. 68.

LXXI.

Primo igitur cauendum, ne vocabulorum ambiguitate & loquendi conſuetudine decipiamur; quæ haud raro

ro in re diſsimili eadem, in ſimili diuerſa eſt. Multum heic mori recepto, a quo & iam prudentes raro diſcedunt; multum ſplendori & auctoritati imperantium, aut etiam ipſius imperii; multum denique ſimulacris & ſophismatis tribui ſolet. Itaque fit, vt nonnulli principes auguſto Regis titulo vtantur, cum tamen non niſi parte maieſtatis, eaque nonnunquam perexigua, ſæpe etiam nulla ſint præditi. Vetera exempla habentur apud Grotium: recentiora paſsim ſunt obuia. Contra alii, cum plena abſolutaque poteſtate gaudeant, Regis tamen appellatione prudenter abſtinent, conſcii eius, quod a Coſmo Florentino dici ſolitum ferunt, *a vn Prencipe non conuiene ambir l'eccellenza de titoli ſopra gli altri, ma che deue contentarſi della poſſanza in vece del titolo*, id eſt, *non conuenire Principi, vt titulorum præ aliis excellentiam ambiat, ſed in vicem tituli potentia contentum eſſe debere.* Alii ſub ipſa ſummæ libertatis ſpecie liberrime dominantur. Rurſus Democratiæ nomen quædam Respublicæ præferunt, cum tamen, prudentum iudicio, vix vſquam hodie pura Democratia reperiatur, immo nulla facile conſiſtere queat, niſi optimatum auctoritate attemperetur. Et in vniuerſum miſtæ Respublicæ, vt etiam ſupra monuimus, ſemper vnius ſimplicis appellationem retinent. Denique mutata Rep. plerumque vetera nomina, ſaltem ad tempus, remanent.

l. B. & P. l. I c. III. num. X.

§. LXXII.

Quod de nominibus, quibus formæ rerumpublicarum exprimi ſolent, diximus, id etiam de titulis, elogiis, inſignibus, & ſimilibus honorum inanibus, vt Tacitus vocat, exiſtimari debet: nam, vt idem Grotius obſeruat, inſignia regiæ maieſtatis, etiam in liberis quibusdam ciuitatibus, principibus tribui ſolent. Contra alii, etſi regia *l. c.*

ſint poteſtate, inſignibus regiis abſtinent, vt magnus Dux Etruriæ, &c. Quare neque hinc de ſtatu Reipub. iudicandum eſt. Adde, quo multi Principes titulos regnorum & ditionum, quas minime poſſident, vel ea cauſſa retinent, ne ius ſuum præſcriptione aliqua perdant.

§. LXXIII.

Neque ſcriptoribus aut miniſtris Principum & Rerumpublicarum, etiamſi peritis, ſemper hac in re fides habenda eſt. Subinde enim reperias, qui de forma Reipub. ſuæ ſic in publicum diſſerant, quemadmodum vtilitas imperantium ac ratio ſtatus, vel etiam propenſiones & affectus ſui ſuadent. Sic hodie inter arcana plerarumque magnarum aularum eſt, iactare abſolutam imperii poteſtatem, etiam earum, quarum imperia reuera aliquid Ariſtocratiæ admiſtum habent. Sunt etiam, qui magno conatu ad rempub. ſuam eam regiminis formam accommodare ſtudent, quam ipſi optimam cenſent. Alii ſolum philoſophandi aut ingenii oſtentandi cauſſa falſum regimen fingunt. Denique nonnulli, pro ratione inſtituti, interdum ad alteram tantum partem reſpicientes, ſic eam nominant, vt interim non excludant alteram, quam non nominant; præſertim cum non ex inſtituto, ſed obiter & alia occaſione de forma huius aut illius reipub. loquuntur. Minime vero omnium Poetis & Oratoribus fidendum eſt, qui ſæpe figuris indulgent, & prout ſtudiis, affectibus, fame, auaritia, beneficiis, diuerſoque propoſito feruntur, imperantium poteſtatem nunc extollunt, nunc deprimunt.

§. LXXIV.

Sed neque ex formulis modisque tam loquendi, quam agendi, in Edictis Pactionibus, Inſtrumentis & negotiis publicis adhiberi obſeruarique ſolitis, præciſe poteſtatis ple-

plenitudo aut coarctatio colligi debet. Interdum enim cum ipſo tractatu Reipub. inualuerunt certæ formulæ modique agendi ac loquendi, quibus non deſcribitur, ſed figura exteriore tegitur ciuitatis diſciplina, vti Bœclerus loquitur. Quod a quibusdam in controuerſia de ſtatu hodierni imperii Germanici neglectum, non vnum errorem peperit. *Diſſ. Acad. de Not. Reip. p. 64.* Atque huc pertinent ſimulacra imperiorum, quibus alia regiminis forma fingitur, quam reuera obtinet: de quibus toto *libro VI Arcanorum ſuorum* agit Clapmarius. Hæc niſi ab ipſa vi imperii accurate quis diſcernat, facile oborietur error in dignoſcerda republica occupato. Præſertim in imperiis nuper immutatis aut bello ſubactis, in quibus plerumque formulæ veteres, magiſtratus veteres, & alia, quæ ad modum agendi pertinent, relinqui ſolent, quanquam nullum eſt imperium, ſaltem inter cultiores gentes, cui non ſint ſua ſimulacra & integumenta.

§. LXXV.

Quinto non eſt reſpiciendum τὸ γινόμενον, ſed τὸ δέον, hoc eſt, non quid de facto fiat, ſed quid ſecundum leges & inſtituta Reipub fieri debeat. Euenit enim quandoque, quod etiam Ariſtoteles annotauit, vt ciuitas κατὰ τοὺς νόμους *IV polit. c. V* aliam formam obtineat, quam quæ διὰ τὸ ἦθος καὶ τὴν ἀγωγὴν, id eſt, ſecundum vſum & adminiſtrationem apparet: præſertim quando contentionibus & diſſidiis internis ſic obſcuratur facies reip vt vix perſpici agnoſcique posſit, quod in repub. Cretenſium idem Ariſtoteles animaduertit, aut *II polit. cap. IIX.* cum reſpublica nuper ſtatum mutauit. Sed & extra hos caſus, & in tranquilla republica recte Bodinus, & cum eo *l. II de Rep. cap. II.* plerique moderni ſcriptores politici ſaniores, ſtatum ipſum ab adminiſtratione diſtinguendum eſſe monent. Fieri enim poteſt, vt etiam iuxta leges in ſtatu regali ſit ad-

Digitized by Google

miniſtratio non regalis,& in non regali regalis. Similiter in ceteris,quod bene,exemplo familiæ,Beſoldus *a)* Eccleſiæ, Cellarius *b)* illuſtrant.

a) Politic. ſynopſ. l. I, c. III §. III.
b) lib. II c. I §. XXXIII.

§. LXXVI.

Sexto in ſtatu polyarchico diligenter diſtinguendi ſunt magiſtratus ab ipſis imperantibus: quorum hi plerumque plus iuris,illi plus dignitatis & ſplendoris habent. Quinam autem ſint imperantes, quinam magiſtratus, optime eluceſcet ex negotiis reipub. maioribus & difficilioribus, quæ vix vnquam ſolis magiſtratibus permittuntur.

§. LXXVII.

Ante omnia autem conſtare debet, ex legibus fundamentalibus cuiusque Reipub. quibus ſtatibus vere data ſint iura maieſtatis, quibus ſolummodo vmbra & ſimulacra, aut communicatio eorum conceſſa. Tales autem leges ſunt in Germania Capitulationes Imperatoriæ, in Gallia leges Salicæ, in Hiſpania, & Luſitania,Statuta regni,&c.

§. LXXVIII.

Quando diuiſa imperii iura cenſenda adeoque Respub. mixta dicenda ſit,difficile diiudicatu eſt. Id tamen certum eſt: I non ſtatim diuiſim iura maieſtis posſidere,qui in polyarchico ſtatu præ ceteris magiſtratibus poteſtatem & auctoritatem ſingularem habet,vt Dux Venetus,& Genuenſis,qui non tam dominii, quam dignitatis præeminentiam habent,neque amplius quam Rectores & Executores ſunt; aut ſi temporibus periculoſis vni extraordinaria poteſtas committatur,vti ſuperiore bello Hiſpano-Belgico factum Principibus Auriacis in Belgio: II, Non ideo diuiſa putanda imperii iura, ſi reges acta quædam ſua, niſi a cœtu certo probentur, rata esſe nolint: neque ex comitiorum in ali-

aliquo imperio neceſsitate & approbatione ſequi maieſtatis imminutionem. Nam plurimum intereſt maieſtatis, dare operam, vt volentibus imperetur, certique cognoſcendi gradus ponantur. Neque comitia omnia eiusdem auctoritatis ſunt: quædam enim ſolum conſilii cauſſa adhibentur: alia ius habent de actibus principis cognoſcendi, eique leges præſcribendi: III, Non ſequi: imperantes profitentur, ſe deuinciri & teneri legibus ſuis, noluntque reſcripta a ſe contra leges valere: ergo non habent plenam maieſtatem. Neque enim ea ratione a ſe abdicant ius ſuum, ſed firmam & conſtantem voluntatem, iuſtitiæque & æquitatis amorem declarant. Dixi, *legibus ſuis*, hoc eſt, a ſe vi ſummæ poteſtatis ſancitis: nam ſi eiusmodi legibus obligatus ſit, quibus populus adhuc liber futuro regi aliquid imperat per modum præcepti manentis, aut quibus aliquid ſit additum, quo intelligatur regem cogi aut puniri poſſe, omnino vis ſummæ poteſtatis infringitur, & ſtatus Reipub. miſcetur. Cuiusmodi leges ferme ſolent obtinere in regnis electitiis haud tantum, in quibus plerumque in ſingulis interregnis nouæ leges fundamentales conſtringendo futuro Principi cudi ſolent, ſed etiam in ſucceſsiuis, variis occaſionibus, a populo aut ordinibus regni conſtituuntur, vt ſi contingat, principes, qui antea abſoluti erant, in eiusmodi neceſsitatem incidere, vt ſubditorum opera extraordinaria indigeat; ſi exſtincta familia regnante ex aliena oriundus regnum ambiat, &c. IV Non ſtatim deſinere abſolutam eſſe poteſtatem & monarchiam ſimplicem, etſi is, qui imperaturus eſt, iuramento promittat ſubditis aut Deo, aliqua ſe ſeruaturum, etiam talia, quæ ad modum imperandi pertinent, quod in pleriſque regnis, ſaltem electitiis, fieri ſolet. Neque enim huiusmodi iuramenta eiusdem omnia ſunt generis: quædam

enim incidunt maieſtatem & minuunt; quædam integram relinquunt, & ſolummodo de iuſtitia adminiſtranda retinendisque patriis moribus Imperantes admonent. Quam differentiam valde erudite & profunde perſequutus eſt Grasvvinckelius *a)* quædam & Grotius *b)* tetigit: V Ex eo, quod aliquis ordo poteſtate legislatoria gaudet, non recte colligi, eum de ſumma poteſtate participare, & ius ſummæ poteſtatis imminutum aut diuiſum eſſe. Ius enim ferendi leges tam generales, quam ſpeciales ſumma poteſtas non quidem abdicare, ſed cum altero communicare poteſt. Itaque huiusmodi poteſtas non priuatiue, ſed cumulatiue conceſſa cenſetur: posſuntque leges tales, re exigente, reſcindi & corrigi: VI, Similiter quod alicubi leges de rebus Eccleſiaſticis ferre, & ſacra conſtituere ac adminiſtrare ſolis epiſcopis conceſſum eſt; quodque ipſi Principes ſacris canonibus, & epiſcoporum poteſtati ſe obnoxios fatentur: VII, Non ſequi, ab hoc aut illo magiſtratu vel ordine non poteſt appellari ad ſummam poteſtatem; ergo illa imminuta & cum illo ordine diuiſa eſt. Nam id interdum ipſius imperantis lege, interdum per modum pactorum conuentorum fit. Deniq; IIX non ſtatim regimen miſceri aut communicari putandum, quacunque ratione ex diuerſis aliquid temperamenti mutuatur. Cum in omni ferme genere imperii, communis aliqua ratio & vſus, eiusmodi moderamen inuexerit, vt regnum plerumque Ariſtocraticis rationibus temperari; optimatum iura in communionem quandam cum populo deſcendere videantur, quæ Bœcleri obſeruatio eſt. Aliter de multitudinis imperio exiſtimandum eſt, quod, vt etiam ſupra monuimus, vix inuenitur, aut conſeruatur ſine admiſtione Ariſtocratiæ.

a) in tr. de iure maieſtatis c. XII & XIII

b) l. c. num. XVI.

Grotius de Iure ſumm. pot. circa ſacra c. IIX num. XI.

Grotius l. c.

pag. LXIV diſſ. Acad.

§. LXXIX.

§. LXXIX.

Leges fundamentales, e quibus plerumque ſtatus Reipub. diiudicandus eſt, ſunt, quæ circa rationem ſuccedendi aut eligendi, religionem, libertatem populi, priuilegia ordinum, inſtitutionem magiſtratuum, adminiſtrationem iuſtitiæ, auctoritatem imperantium, & alia grauisſima Reipub. negotia a populo aut ordinibus imperii ad conſeruandam libertatem, & priuilegia ſubditorum, ac libidinem Principum aut miniſtrorum coërcendam, imperaturis, ante imperium ſusceptum, aut ſub initium eius, ſiue expresſe, ſiue tacite proponuntur, & ab iisdem plerumque ſollenni iuramento acceptantur. Dicuntur alias *leges Regni, Capitulationes, &c.*

§. LXXX.

Præter has leges ſunt etiam aliæ potiores cuiusque Imperii leges ſiue ad priuatorum lites & controuerſias iudiciorumque ordinem, ſiue ad totius Reipub. disciplinam, & Reipub. augmentum ac ornatum pertineant, cognoſcendæ. Prius genus dicitur *leges forenſes*; alterum *cenſoria* vocari poteſt. Sed, vt dixi, ſufficiet tantum præcipuas, & præ ceteris notabiles, cognouisſe.

§. LXXXI.

Ad Imperiorum ADMINISTRATIONEM (quæ ſecundum caput huius conſiderationis conſtituit) potisſimum Magiſtratus, Miniſtri ſtatus, Gubernatores vrbium & prouinciarum, aliique curatorio nomine rempub. adminiſtrantes, pertinent. De quibus omnibus obſeruandum eſt, vtrum perpetui ſint, an temporarii? vtrum honores pretio & emtione, an gratis, aut ſecundum merita & qualitates, vel ex nobilitate generis adipiſcantur? vtrum e ſolis indigenis, an etiam e peregrinis legantur? vtrum vnus plura officia, an ſinguli ſingula occupare ſoleant?

qui-

quinam domi, qui foris; qui in pace, qui in bello adhibeantur, quibus plus curæ, & quibus plus imperii ac poteſtatis ſit; qui ſingulorum poteſtati limites præfixi; quos habeant reditus & ſalaria; &c. Pertinent huc & Comitia ac Iudicia præcipua; totaque vtriusque ratio & ordo & alia multa, quæ cuique lectio & obſeruatio ſubminiſtrabit. Specimen huius obſeruationis præbere posſunt libelli, qui ſingulis fere annis in Gallia & Belgio ſub titulo *Status Franciæ, Eſtat de France*, prodire ſolent.

§. LXXXII.

STATVS RELIGIONIS in ſingulis imperiis potisſimum duas ob causſas politico & huius Notitiæ ſtudioſo cognoſcendus eſt: I quod religio vinculum ac nexus Reipub. eſt, proque eius diuerſitate ſubditi magis minusque obſequentes ſunt imperantibus, vt inter alios Boxhornius oſtendit: II, quod eadem imperantes vt inſtrumento regnandi & colore, quo ambitionem, auaritiam, ceteraque flagitia ſua velent, pasſim vti ſolent, qua de re egregia eſt annotatio Forſtneri. Faciet autem ad cognoſcendum ſtatum religionis in orbe plurimum Aub. Miræi liber, cui titulus *Politica Eccleſiaſtica*; & Eduardi Brerevvoodi *Scrutinium Religionum*, Anglice, Gallice & Latine editum: tum præſertim vtroque longe ſuperior Edoini Sandis, Equitis Angli, *Relatio de ſtatu religionis*, Anglice ab ipſo magno iudicio magnaque diligentia conſcripta, & in Gallicam, Italicam, Germanicamque linguas tranſlata.

in Explan. ad Inſtitut. polit. l. I c. II & VII.

ad l. I Ann. Tacit. pag. LXIV, & ſeqq.

§. LXXXIII.

Sunt autem ſequentia potisſimum circa religionem imperiorum animaduertenda: I Quænam in ea religio aut ſola, aut præcipue obtineat; & quæ religionis ſectæ? quæ item potiora eius dogmata, cerimoniæ, ritus? II, ſi plu-

plures in ea obtineant, an imperii & publicæ adminiſtrationis capaces ſint, & quatenus: an vero ſolum per conniuentiam quandam tolerentur? III, quid circa religionis curã imperantibus conceſſum, & quatenus iis res & perſonæ ſacræ ſubiectæ ſint? IV, an perſonæ ſacræ, & quatenus ad ciuilia munia functionesque Reipub. adhibeantur? V, Vtrum religio iſta tum ratione dogmatum, tum ratione adminiſtrationis & iurium ac priuilegiorum, quæ ſacris hominibus conceſſa ſunt, ſtatui Reipub. & ſecuritati imperantium æqua aut iniqua ſit? VI, quinam ſint reditus ſacrorum tum hominum, tum templorum & collegiorum, & quantæ opes ac theſauri Eccleſiaſtici? &c.

§. LXXXV.

Quod ad primum caput attinet, notum eſt, hodie quattuor in vniuerſum eſſe religiones, Chriſtianam, Iudaicam, Mahumetanam, & Gentilem ſiue Idololatricam. Quarum ſingulæ rurſus in varias ſectas ſciſſæ ſunt. Nam gentilium tot fere ſectæ ſunt, quot regiones. Inter Mahumetanos aliter Perſæ, aliter Turcæ, aliter Tartari ſentiunt. Iudæorum quoque duo genera, Scripturarii ſiue Karaitæ, & Talmudici. Chriſtiani denique in innumeras ſectas diuiſi ſunt. Harum religionum ſingulæ, quas regiones obſideant Eduardus Brerevvoodus docet; in ſpecie, quibus locis Ethnicismus hodie vigeat, Chriſt. Rauius recenſet. Quæ autem in ſingulis regionibus religiones frequententur, ſeorſum Geographi & ſcriptores de Rebuspub. ſatis accurate tradiderunt; vno autem intuitu omnium orbis prouinciarum religiones exhibet Bern. Varenius *in breui informatione de diuerſis gentium religionibus, deſcriptioni regni Iaponiæ ſubnexa.* Quænam ſingularum dogmata, cærimoniæ, & ritus ſint, in genere breuiter idem Varenius, ſed optime omnium Io. Hoornbeeck *in ſumma*

l. c. *in Præf. ad Alcor.* *p. 235.* *l. c.*

controuerſiarum, oſtendit, e quo potisſimum diſcrepantiæ potiores ſingularum ſectarum, quæ in Occidente vigent, petendæ ſunt. De Orientalibus videndus Brerevvoodus. Reliquarum religionum res breuiter collegit Voëtius *in diſputationibus de Iudaiſmo, Gentiliſmo, & Mahumetaniſmo.* Multa quoque præclara habes apud Duretum in *Theſauro* Gallico *de Linguis totius orbis*, & quosdam alios.

l. c. a cap. VI vsque ad fin.

§. LXXXVI.

Quoad ſecundum caput, ſciendum eſt, I Iudaicam religionem hodie nusquam imperium tenere: nam quod de quibusdam principibus Iudaicis in oriente rerum potientibus narrauit *in Itinerario ſuo* Rabbi Beniamin Tudelenſis, id dudum inter fabulas haberi cœpit: II, Chriſtianam religionem in præſens ferme in ſola Europa rerum potiri; neque ea tota: cum magnam eius partem Turci & Tartari teneant: in Aſia enim, excepta Rusſia (quæ tamen ipſa magna ſui parte ethnica eſt) & quibusdam regionibus paludi Mæotidi ac Ponto Euxino adiacentibus, nulla eſt regio, quam ſoli Chriſtiani inhabitent: niſi quod inſulas quasdam Hiſpani ac Luſitani tenent. In Africæ quoque continenti paucisſimi ſunt Chriſtiani; inſulæ aliquot occidentali eius oræ obiacentes Luſitanorum & Caſtilianorum opera Chriſtianam fidem ſusceperunt: & verſus orientem vnica Zocotora. Americæ ſeptimam fere partem Hiſpani ac Luſitani tenent, ſed in ea ſucceſſu temporis inter veteres incolas Chriſtianismus ſæuitia aduenarum valde imminutus eſt: III, Itaque extra Europam plerosque Chriſtianos ſub iugo Mahumetano, quosdam & ſub ethnicis principibus viuere: IV, Mahumetanam religionem ferme, vbicunque viget, imperium tenere. Quanquam interim alicubi, vt in Græcia & vicinis regionibus, multo plures Chriſtiani, quam Turci eſſe dicuntur: V, Inter

ſectas

ſectas Chriſtianorum Occidentalium ſolum tres imperii participes esſe, Catholicam ſiue Pontificiam, Lutheranam, Reformatam; ceteras tam longe abesſe ab imperio, vt etiam in plerisque locis publico religionis exercitio deſtituti ſint.. Id enim vix alibi Socinianis, Remonſtrantibus, Anabaptiſtis, Weigelianis ceterisque obſcurioribus ſectariis, quam in Polonia, Belgio, Anglia, & in Germania prope Hamburgum permisſum eſt. quamquam interim & in Vngaria, Prusſia, Germaniæ aliquot prouinciis, & alibi, ſed ſine publico exercitio, tolerentur: VI, Singulas ex his ſectis, alibi ſolas regnare, alibi reliquarum alterutram aut vtramque publice tolerare, vel etiam in imperii ſocietatem admittere. Sic ſola Pontificia regnat in ditionibus Hiſpano ſubiectis, in Luſitania, in Italia tota & inſulis Græciæ, quæ a iugo Turcico liberæ ſunt, in Bohemia, in plerisque pagis Heluetiæ, in Sabandia, in principatibus aliquot Germanicis, vt Bauaria, & ditionibus Auſtriacis, &c. niſi quod alicubi Iudæos, Græcos & Armenios cultum ſuum publice exercere patitur, vt in Statu Eccleſiaſtico, in Dominio Veneto, regno Neapolitano, Sicilia, Sardinia, Cypro, Corſica, Polonia, &c. Contra eadem admittit Proteſtantes in Gallia, Germania, Polonia, Prusſa, Lithuania, &c, Sola Lutherana viget in Dania, Suedia, Norvvegia, Liuonia, & magna parte Germaniæ: aliis admiſta toleratur in Vngaria, Transſiluania, Polonia, Prusſia, Moscouia, Belgio Federato, & aliquot principatibus ac ciuitatibus liberis Germanicis: ſola Reformata regnat in Anglia, Scotia, Hibernia, Belgio Reformato, quattuor pagis Helueticis, Repub. Geneuenſi, &c, reliquis permiſta eſt in Gallia, Rhætia, Vngaria, Transſiluania, Polonia, Prusſia, Germania, Batauia, & aliis Belgii prouinciis, in vno alteroque Heluetiæ pago, &c.

VII, Orientales ſectas fere nusquam imperium tenere, niſi in Moscouia, Walachia, Moldouia, & apud Coſacos, vbi Græca religio in vſu eſt; & in Africa apud Abesſinos, quorum religio ex Iudaica, Chriſtiana & Ethnica veluti miſta eſt. Reges Congi ante aliquot annos fidem Chriſtianam, Luſitanorum opera, ſusceperant, ſed an eam adhuc teneant, non conſtat.

§. LXXXVII.

Summarum poteſtatum circa res & perſonas ſacras alibi plena, alibi valde limitata, alibi denique nulla aut perexigua eſt iurisdictio. Plena apud Lutheranos; Angliæ cumprimis, minus limitata apud Reformatos ſub Regibus & Principibus, adſtrictior in Rebuspub. liberis: apud Pontificios exigua in Gallia, Germania & apud Venetos, vix vlla in Hiſpania, Italia, & Luſitania, Polonia, & alibi. Multum hoc caput illuſtrabunt, qui de iure ſummarum poteſtatum circa ſacra ſcripſerunt, inter quos excellunt Grotius, Conringius, Tabor, Vedelius, Appollonius in peculiaribus tractatibus, & diſſertationibus, Meisnerus *tr. de Regimine Eccleſiaſtico*, Grasvvinckelius *cap. V de Iure Maieſtatis*, Hulſemannus *in Extenſione Breuiarii, cap. de Magiſtratu Politico, &c.* Addendus Arniſæus *in lib. de Subiectione & Exemptione Clericorum.*

§. LXXXVIII.

Ad ciuilia negotia vix vnquam miniſtri Reformati, Lutherani aliquando, præſertim in Dania & Suedia, vbi inter ſtatus regni ſunt, Pontificii ſæpisſime adhibentur, præſertim a Papa & rege Hiſpaniæ; itemque ab Imperatoribus Germanicis, regibusque Galliæ & Luſitaniæ, & aliis Principibus ac Rebuspublicis Catholicis, quotiens cum Papa aut Hiſpano grauiora negotia tractanda ſunt. In plerisque regnis Pontificiorum Episcopi, Abbates & Clerico-

ricorum alii ſimul Principes, aut miniſtri Status, cunctaque belli & pacis negotia tractant. Apud Turcos, Moſchos, aliasque nationes barbaras, magnam eſſe præcipuorum ſacerdotum, etiam in negotiis Politicis, auctoritatem, paſſim obſeruatum eſt.

§. LXXXIX.

Nullam religionem melius conuenire ſecuritati Imperantium & tranquilitati Reipub. quam Chriſtianam, bene obſeruauit & contra Machiauellum II de Rep. c. I Beſoldus aſſeruit. *l. II ſyn. pol. c. II §. IV & V.* Sed ſi Chriſtianorum diuerſas ſectas inter ſe compares, non æque de omnibus id adfirmari poteſt. Pleræque enim hæreſes imperantium maieſtati, aut directe, aut oblique, detractum eunt. Sane Anabaptiſtæ, dum negant Chriſtiano licitum eſſe magiſtratum gerere, vim omnem ac reuerentiam imperii manifeſto diſſoluunt. Neque minus Sociniani & Weigeliani, cum bella Chriſtianis vetita eſſe contendunt, ne de aliis eorundem ac ceterorum Fanaticorum ſeditioſis dogmatis nunc dicam. Pontificia doctrina multimodis infeſta eſt ſummis poteſtatibus, dum ea propugnat dogmata, quæ nihil aliud, quam contemtum imperantium, diſcordias, ſeditiones & bella parere poſſunt. Qualia ſunt; Papæ competere poteſtatem & imperium ſaltem indirectum in res omnes politicas, & Principes Chriſtianos; adeoque relaxare poſſe iuramenta, & ſubditos obedientia ſuperioribus debita exſoluere, ſummas poteſtates exuere imperio, idque in alios transferre; Reges & Imperatores niſi ab eo probatos, non eſſe Principes legitimos; pacem, quæ fit eo inuito, habendam irritam; non ſeruandam hæreticis fidem, ſed ferro flammaque exſtirpandos; tales autem eſſe quicunque iugum Papale detrectant; Reges & Principes hæreſi aut hæreticis fauentes, vel Romani Veiouis tyrannidi obſiſtentes deiici

&occidi poſſe. Quæ & ſimilia paſſim a Ieſuitis, & partim ab aliis quoque Pontificiis iactata, ſi admittuntur (admittuntur autem ſubinde) fieri non poteſt, quin ea conſilia cudantur, cum quibus nec ciuilis vitæ tranquillitas, nec vitæ ſocialis humanitas poſſit conſiſtere. Sed & communis omnium Papæorum doctrina de Iurisdictione circa ſacra non parum detrahit Imperantium maieſtati, dum docet, ſummas poteſtates ciuiles nullam habere poteſtatem in rebus Eccleſiaſticis, quam quæ defenſori Eccleſiæ, ſententiæque ab ea latæ exſecutori competit; curam veræ religionis ab eas non aliter pertinere, quam ex præſcripto miniſtrorum Eccleſiæ; non habere ius vocandi paſtores; non iudicare de controuerſiis fidei & cauſſis Eccleſiaſticis; deſtitui imperio in paſtores & vi coactiua; non ipſas, ſed Clericos poſſe leges Eccleſiaſticas ferre & abrogare; Pontificem ſolum habere abſolutam poteſtatem in rebus Eccleſiaſticis; magiſtratum autem proprie & abſolute loquendo ſubiectum eſſe miniſtris Eccleſiæ; qui in rebus ad Eccleſiam pertinentibus nullo plane modo ab ipſo pendeant, &c. Caluiniana religio, præterquam quod in hac ipſa materia de ciuili & Eccleſiaſtica poteſtate papisſat, (vt apparet ex iis, quæ Guil. Apollonius *in tract. de iure maieſtatis circa ſacra*, Iac. Triglandius *in libello, de poteſtate ciuili & Eccleſiaſtica*, & *in eiusdem argumenti opusculis* Iac. Reuius & Cabeliauius aduerſus ſociennum ſuum Nic. Vedelium, Pontificias hypotheſes oppugnantem, ſcripſerunt;) iamdudum variis ſcriptis & molitionibus, cum aduerſus diſſentientes in religione aut cærimoniis, tum contra ipſos Principes & ſummas poteſtates, ſpretæ maieſtatis, & ſanguinarii crudelisque ingenii ſuſpectam ſe reddidit. Et ſane quantum in Anglia, Britannia, Hibernia, Gallia & Belgio turbarum dederit, huius & ſuperioris ſæculi hiſtoriæ, noſtrique

Vid Beſold. ſynop. polit. II, 2.

ſtrique

ſtrique temporis experientia, teſtantur. Inprimis Puritanorum, Independentiumque doctrina tranquillitati Imperiorum admodum infeſta eſt, quod inter alios egregie Pet. Gartz in tractatu, **Puritaniſcher Glaubens und Regiments Spiegel** inſcripto, oſtendit. Neque fortasſis immerito arguuntur Reformati, ac ſi monarchis & regibus iniquiores ſint. De Anglis enim res manifeſtisſima eſt. Lutheranorum dogma Principibus æquisſimum eſſe, ne quidem aduerſarii negare audent. quanquam interim neque noſtræ Eccleſiæ defuerint tum controuerſiæ, ſuper poteſtate imperantium in ſacra, tum ex vtraque parte non admodum laudabiles conatus. Sed hoc rarius, quam apud Pontificios & Reformatos, contingit. Turcicam religionem plane politicam & proferendo imperio adaptatam eſſe, notauit Boccalinus *a*) & aliquot documentis Forſtnerus oſtendit. *b*) Quibus artibus Pontifex Romanus in tuenda propugnandaque ſecta & poteſtate ſua vtatur, egregie docet Edoini Sandis *Relatio de ſtatu religionis* a nobis laudata; vbi & alia de religione, eiusque variis ſpeciebus, quatenus reſpectum ad Rempub. habent, reperire licet.

a) *parte I Relat. LXIV*
b) *ad Annal. IV Tacit. p. CCCXLIII, ſeqq.*

§. XC.

Niſi feſtinaremus, adderemus aliquid de reditibus ſacris & bonis Eccleſiaſticis: quæ non ſolum amplitudine & copia pro diuerſitate tum regionum, tum religionis differunt, ſed etiam aliter aliterque ab imperantibus habentur. Quod argumentum poſt alios nuperrime tractauit Martinus Schookius in *pecul. tractatu*, & aduerſarius eius anonymus in *Schookio ἀπεγσδιονύσῳ*. Ordinarie ampliſſimi ſunt reditus apud Pontificios, ſicut & apud Turcas, & Moſchos, mediocres apud Lutheranos, præſertim in Dania & adiunctis prouinciis, tenues apud plerosque

Re-

Reformatos,exceptis Britannis, quorum tamen ſalaria nuper valde acciſa ſunt: tenuisſimi apud Græcos & alios Orientales; quippe apud quos etiam quidam Patriarchæ & primarii ſacerdotes vnice ex ſtipe & eleemoſynis victitant.

§. XCI.

Ad ſtatum religionis pertinent & Ordines ſacri militares, tum quod fidei Chriſtianæ defendendæ propagandæque cauſſa inſtituti ſint, tum quod monachorum inſtar cœlibes & certis regulis obſtricti viuant. Horum, vt & Ordinum Monaſticorum hiſtoriam, & deſcriptionem Gallice *Auctor Statuum & Imperiorum totius Mundi*, Latine eius interpres in *Archontologia Cosmica* exhibet.

§. XCII.

Rei litterariæ, quæ magnam partem a religione pendet, hiſtoria iuſta adhuc deſideratur. Facturusque operæ pretium esſet, qui in vnum volumen colligeret, quæ ſtudia, in quibus locis maxime floreant, quique viri doctrina & ſcriptis illuſtres ſingulas prouincias hoc ſæculo exornarint, atque etiamnum exornent: tum quibus præcipue locis litterarum ſtudia eorumque cultores, ſingulari adfectu foueantur, & magnis impenſis ſuſtententur. De Academiis & ſcholis illuſtribus in genere egerunt Iac. Middendorpius, Franc. Iunius, Thomas Lanſius, Io. Gilenius & alii, quorum plerique & *catalogos* earum dederunt, qui tamen e noſtri temporis hiſtoria ſuppleri debent.

§. XCIII.

Superſunt ſex capita vltima politicæ Imperiorum conſiderationis, de quibus, quoniam ad finem properamus, paucisſimis, neque amplius, quam remisſiue agemus.

§. XCIV.

§. XCIV.

In quo potiſſimum OPES & POTENTIA Imperiorum conſiſtant, quidque circa ea obſeruandum ſit, compendio docent Boxhornius *lib. I Inſtitut. polit. cap. X*, & Bœclerus *diſſertat. Academ. VII*, vbi & quædam ſpecialia attigit; prolixius Boterus *toto libro VI de Ratione Status*. Plerorumque in Europa imperiorum vires ad trutinam reuocauit Boccalinus *in Lapide Lydio politico*, poſt quem idem, neque ſine cenſura in Boccalinum, conatus eſt Cyriacus Lentulus *in Arcanis regnorum e Tacito cap. XIII pag. CCLXIII & ſeqq.* Ex iis, qui Reſpublicas hodiernas deſcripſerunt, diligenter in hac parte verſati ſunt I. Laet *in Repub. Hiſpanica, & Gallica*, Honorius *in Theſauro politico*, C. Ens & Boterus *in Relationibus*, Gothofredus *in Archontologia*, auctor libelli MS. *de regimine Italiæ*, & Linda *in Deſcriptione Orbis*. Sed de huiusmodi deſcriptionibus *ad Ann. I* bene monuit Forſtuerus, cauendum eſſe, ne nimium iis fi- *Tac. p. 5 c.* datur. Cum enim opes publicæ, tributa, vectigalia, arma, vires, & expenſæ ſolis Principibus, & intimis eorum conſiliariis notæ ſint, ac præterea pro diuerſis imperiorum fatis perpetuo mutentur, augeantur, aut minuantur; ineptæ præſumtionis erit, hæc omnia certo pondere, nume- *in Omiſſis* ro, menſura definire velle. Exempla apud eundem ha- *p. X & ſeq.* bes. Pertinent huc, quæ de Breuiario Imperii *ad Annal. I Taciti cap. XIV*, idem Forſtnerus *pag. L & LI*, Lentulus *p. CCLXXXV*, & prolixius Bœclerus *annotatione IX*, annotarunt. Quædam ad vires & potentiam præſentem plerorumque Europæorum Principum & Imperiorum facientia, induſtrio lectori ſuppeditabunt *Motus Animorum in Europa, Status Europæ anno ſuperiori, Collegium Electorale*, & ſimilia ſcripta nuper publicata. Non ſemper potentiora eſſe imperia, quæ diffuſiora & ampliora, iam alibi diximus.

§. XCV.

Cum viciniſs aliiſque Principibus & Rebuspublicis, ſingulis imperiis aut Bellum, aut Pax eſt. Bellum quidem cum hoſtibus proprie ſic dictis, hoc eſt, quos offendere & perdere omnino licet: Pax primo cum Sociis & Federatis: deinde cum Amicis, ſiue fuerint hoſtes, ſiue non fuerint: denique cum quibus neque amicitiam, neque hoſpitium, neque fœdus amicitiæ cauſſa factum habemus, vt loquitur Pomponius ICtus *L. Poſtliminii. §. II, D. de captiuis.* Nam & hoc poſtremum genus hominum in ſtatu pacis nobiſcum viuere dicendum eſt, ſecus quam poſt alios placuit auctori Iuris Fecialis, qui & *inimicos* vocat, & inter eos, quibuscum lis & contentio vel ſtatus belli cum aliis eſt, refert. Vtrumque perperam. Nam & *inimici* vox, ſi vſum loquendi ſpectes, ſemper odium & perſecutionem inuoluit; & huiusmodi populos inter & nos ſtatum pacis eſſe dici, clare apparet ex dicta *L. Poſtliminii*, vbi ex eo, quod *liber homo ab eis captus, ſeruus fit*, ICtus colligit, *in pace quoque poſtliminium datum eſſe.* Tales autem ſunt vix aliæ hodie, quam gentes remotiores & barbaræ: nam inter viciniores ſi non fedus aut bellum, minimum pax & amicitia intercedit.

parte I, ſect. VIII, num. IV.

§. XCVI.

Latiſſimus heic ſe campus, multaque obſeruationum & regularum copia fertilis, aperit. Sed quoniam feſtinamus, ſuffecerit indicaſſe, vnde pleræque deſumi poſſint. Quæ ad bellorum varietatem, cauſſas, prætextus iura, & ritus ſpectant, perfecta ratione ſatisque perſpicue & plene pertractata ſunt ab Alberico Gentile *in de Iure belli*, Franciſco Victoria *in Relectionibus*, Grotio *in de Iure Belli & Pacis*, & auctore *Iuris & Iudicii Fecialis inter Gentes*; qui poſtremus & quasdam ſpeciales controuerſias attigit. Et in vni-

vniuerſum ſcriptores politici, in his Boxhornius *Inſtitut. polit. lib. I cap. XII, & Lipſius in duobus poſtremis libris operis ſui*, non male in hoc argumanto verſati ſunt. In cauſſis bellorum indagandis,&diiudicandis,ſemper diligenter diſcernendi ſunt colores & prætextus a veris cauſſis Nam plerumque aliud prætenditur, aliud reuera belli cauſſa eſt. Prætextus præcipuos compendio recenſet Lentulus; *l. c. pag. CCLVIII.* ſuntque defenſio libertatis aut religionis,liberatio ſociorum oppresſorum,vindictæ amicis & confederatis debita, repetitio rei ablatæ aut retentæ , tempora Reipublicæ periculoſa,iniuria accepta,pietas propinquis debita, periculum & metus ob inuaſionem,aut infirmitatem vicini ,cum quo bellum eſt aliis, &c. Ex hisce quinam ſingulis hodiernis bellis prætexantur,e Manifeſtis& Antimanifeſtis, Memorialibus & Epiſtolis vtrinque ſcriptis & publicatis , ſimilibusque libellis cognoſci poteſt. Sed veras cauſſas reperire, res ardua, nec niſi periti prudentisque eſt. Non contemnendam operam heic præſtiterunt, qui *Poloniam ſuſpirantem, Motus animorum, Statum Europæ menſe Februario anni cIↄ Iↄ C L V II, Cauſſas Regum hodie belligerantium, Sedem & originem belli Dano-Suedici , Negotia domus Auſtriacæ cum Gallis, Miniſteria Richelii & Mazarini*, & ſcripta huius monetæ alia concinnarunt.

§. XCVII.

Ad bellum & Induciæ pertinent,ideo inter *belli commercia a Tacito Hiſt. III cap. LXXXI* relatæ. De his accuratisſime Grotius *lib. III de I. B. & P. cap. XXI*, & Strauchius noſter *in pecul. disſert. Lipſiæ habita*. Quæſtiones nobiliores attigit & *Ius Feciale parte II ſect. I X quæſt. XXV, & ſeqq.* Inducias interdum aptiores esſe hoſtibus opprimendis, quam bellum, monuit Forſtnerus *ad Annal. I Tacit.* tueturque *in Omisſis pag. VIII.* Id docent Induciæ Hiſpano-

no-Belgicæ, de quibus videndi tractatus Baudii, Puteani & aliorum. Interdum & ſub Induciarum titulo vera pax conſtituitur; vt factum inter Henricum VII Angliæ & Iacobum Scotiæ regem; de quo adeundus Verulamius *in hiſtoria Henrici VII.*

§. XCVIII.

De Federibus exſtant integra opera Wahremundi ab Ehrenberg, & Leuchteri. E reliquis diligenter hoc argumentum tractarunt Bodinus *lib. V de Repub. cap. VI &* Grotius *lib. II de I. B. & P. cap. XXV*, qui inprimis varia federum genera, & eorum diſcrimina accurate expoſuit. Neque male in eo verſati ſunt Boxhornius *Inſtit. polit. lib. I cap. XI*, & Beſoldus *lib. II ſynopſ. polit. capite XI*, item Forſtnerus paſſim *in notis ad Tacitum.* Plures quæſtiones huc pertinentes breuiter, vt ſolet, tetigit *ius Feciale*, cum alibi, tum inprimis *parte II ſect. IV.* De federibus, quæ potentiæ cauſſa ineuntur, præclara quædam monuit Bœclerus *diſſ. Acad. XII, p. CCCLXX & ſeq.* Cauſſa federum præcipua eſt Ratio Status, ſiue vtilitas contrahentium. Hæc enim ſperata, efficit federa: percepta, ſuſtinet; ceſſans, plerumque ſoluit. Neque ſoli Veneti ſunt, qui hoc nomine male audiant, aut glorientur. Malum id epidemium & toti orbi, ab omni æuo, vſitatum eſt. De pacis pactionibus poſt Grotium *lib. III cap. XX*, præclare monuit Bœclerus *ad Annal. I Taciti cap. X, annot. V.* Qui & de federibus infidis & ſimulatis *annot. VI, VII & IIX* nonnulla obſeruauit.

§. XCIX.

Ceterum hæc ad apertas amicitias aut inimicitias, actumque externum pertinent. Occultarum & adfectuum ſæpe longe diuerſiſſima ratio eſt. Quanquam enim bella fere nunquam non odium & hoſtilis animus co-

comitatur (rariſſime enim inuenias,qui ſolum inſpeciem bella gerant) aliter tamen amicitiæ comparatæ ſunt. nam ſæpiſſime non ſolum inter quos pax & amicitia ſollemni ſacramento inita eſt, ſed etiam ſanguine, adfinitate & arctiſſimo fœdere iuncti,clam ſibi inuident, mutuaque odia fouent, immo ea fabricant conſilia , quibus, cumprimum occaſionem nacturi ſunt, amicos & confederatos ſubuerſum perditumque eant, quæ molitiones tam occultæ eſſe non poſſunt, quin prudentibus & peritis hominibus per varios effectus innoteſcant. Ac licet vel e miniſtris & aulicis curioſioribus talia nullo negotio cognoſcere. Multa quoque hoc genus præteriti temporis actiones , variique pacis belliqueтractatus aut conſilia indicant.

§. C.

Prætenſionum materia vti cum pacis bellique negotiis intime connexa, ſic inter cognitu maxime neceſſarias haberi debet. Sed nondum ſatis exculta eſt. Aliquid tamen in ea præſtiterunt Linda, & Sprengerus in *Compendioſa illuſtrium quarundam in Europa gliſcentium prætenſionum Deductione,quam Bono Principi* ſubiunxit. Plura ſubminiſtrabit lectio diligens hiſtoriæ proximorum temporum.

§. CI.

Quem locum & ordinem inter Imperia Orbis & Principes, ſingula teneant,ferme impoſſibile eſt definire,cum controuerſia de prærogatiua & eminentia Principum & Rerumpub. pæne in infinitum iuerit ; adeo vt vix vllus ſit Princeps, paucæ Reſpublicæ, quibus non ſit cum vno pluribusve aliis controuerſia, vt nunc loquimur, Præcedentiæ. Hæ quibus fundamentis inniti, quibus coloribus a ſingulis prærogatiuæ vendicari & viciſſim impugnari ſoleant, licebit cognoſcere tum ex iis,quæ in genere de Iure

Digitized by Google

Præcedentiæ ſcripſere Beſoldus *in pecul. tractatu, & in ſynopſi politic. lib. II cap. X a num. VII ad finem vſque*, Bernh. Zieritz *in tr. de Principum prærogatiua: qui volum. III Iuris Publici Dom. Arumæi* habetur, Speronus *in lib. Ital. de præcedentia Principum*, Seldenus *in Anglico de Titulis Honoris*, & de I. N. & G. ſecundum disciplin. Ebr. VI, XIX, & nuper Gothofredus pec. disputatione &c. tum e tractationibus ſpecialium controuerſiarum, v. g. e Iac. Valdeſii *tract. de prærogatiua Hiſpaniæ*, Fern. Vasquii *Proœmio Controuerſiarum illuſtrium*, Grasvvinckelii *diſſertatione de Iure præcedentiæ inter Rempub. Venetam & Ducem Sabaudiæ*, Pet. Bapt. Burgi *disceptatione de dignitate Reipub. Genuenſis*, Wackeri & Hegenmulleri *tractatibus de Præcedentia Senioris in familia Saxonica*, Goldaſti *Seniore ſiue libris III de Maioratu, &c.* Quædam exempla huiusmodi controuerſiarum expendit & *Ius Feciale part. II, ſect. IV, quæſt. II, III, IV, & V.* Nec negligenda, quæ notauit Bœclerus *in diſſertat. Acad. XIII pag. IↃCLXV & ſeqq.* vbi & de titulis & contentionibus ſuper iis inter Principes intercedere ſolitis aliquid obſeruauit. De prærogatiua ſeſſionis & præcedentiæ controuerſiis inter magiſtratus & miniſtros Principum, (vt hoc obiter adiiciam) quædam monuit Ant. Perezius *in Iure publico pag. 163. & 164.* Exemplum contentionis inter diuerſos Status & Ordines regni, habes apud Gramondum *lib. III hiſtoriæ Galliæ, pag. CLXXXII & ſeqq.*

§. CII.

Scriptores de Arcanis Imperiorum & Ratione Status pleroſq; recenſuimus ſuperius, quibus nunc addimus *Artes regendi Respub. & dominandi per* Deſid. Creſcentium ICtum Vltraiectinum editas, & de *Ratione Status* diſſertationem Conringio-Voſſianam. Clapmarium ſupplere

co-

conatus eſt Boxhornius *Inſtitut. polit. lib. II, cap. III, VI, & IX.* Exſtat & Chriſt. Vrnei, *Equitis Dani*, non inelegans oratio de Ratione Status, qua inprimis disquirit, quid proprie ſit illud Idolum, tant opere ſermonibus & ſcriptis politicorum celebratum: nam de eo iure disſentiunt viri docti, etiam illi ipſi, qui ſingularibus operibus id argumentum tractarunt, de quo videndus Bœclerus *in programmate ad dictam Orationem Vrneam*, quod inter alia cum orationibus ipſius edita habetur. Nos hoc loco per Rationem Status & Arcana intelligimus quæcunque conſilia interiora publicæ ſaluti aut ſecuritati imperantium & ſubditorum deſtinata, immo & quæ meliorationem & augmentũ Status reſpiciunt, ſiue ea ordinariæ ſiue extraordinariæ prudentiæ ſint, ſiue honeſta & rationi rectæ congrua, ſiue eidem aduerſa ſint, & ab honeſtate declinent, modo ne ruinam publicam trahant. Proinde ne quidem tyrannicas artes, & flagitia dominationis excludimus. quæ omnino necesſaria ſunt tuendo ſtatui ſcelere & flagitiis acquiſito firmatoque. Sunt autem non ſolum ſingulis imperiis ſua aduerſus hoſtes pariter & amicos arcana; ſed etiam Imperantium aduerſus rempub. & ſubditos horumque viciſſim erga illos; immo in polyarchiis & mixtis formis ipſorum quoque procerum diuerſorumque ordinum mutuæ aduerſus ſe inuicem artes & Ratio ſtatus haberi ſolent. De ſingulis non male Clapmarius egit.

§. CIII.

Quinam ſingulorum Europæ imperiorum rationem ſtatus & arcana recenſuerint, pariter iam ſupra indicauimus, amplior autem cognitio vniuerſim e fontibus, quos *eod. cap.* laudauimus, petenda eſt. Iudicia de variis Rebusp. earumque tum conſtitutione fundamentali, tum præſenti ſtatu, & de futuro coniecturas pasſim iidem ſcripto-

ptores ,tum quos alibi citauimus, ſuppeditabunt. Sed in his iudiciis legendis, ſi vſpiam, magna cautione opus eſt. Aut ſingula ſuo loco recenſebimus, iudicio prudentioribus & rerum ciuilium peritioribus relicto.

§. CIV.

Reſtat, vt de numero Imperiorum Orbis hodierni aliquid dicamus. Hunc certo definiri non poſſe, manifeſtum eſt, cum non ſolum multarum regionum in Africa, Aſia, America, & alibi nondum ſatis perſpectum ſit regimen, ſed etiam longi terrarum tractus adhuc incogniti ſint, in quibus hauddubie aliqua imperia habentur. Igitur, vt etiam ſub initium monuimus, ſuffecerit, potiora & cognita noſſe. Horum catalogum varii ſcriptores dederunt, in his præter ſcriptores de Rebuspublicis totius orbis, Varenius in *Prolegomenis ad Rempub. Iaponiæ.* vbi ſatis accurate diuerſa Imperia diſtinxit. Quæ autem Imperia pro diuerſis aut iisdem habenda ſint, diſputat idem in præcedentibus. Nos pleraque huius diſputationis fundamenta iam ſupra *cap. III*, recenſuimus, e quibus definiendum, quæ pro vna Republica ſint habendæ, aut non ſint. Sed de his iam ſatis, ac quantum ad generalem Imperiorum notitiam hauriendam requiritur, abunde ſatis.

Digitized by Google

IO. ANDR. BOSII
DISSERTATIONES
De
STATV EVROPAEO,
qualis anno CIƆ IƆC LXI, & ſe-
quenti fuit.

Digitized by Google

DISSERTATIO I.

De numero hodiernorum Europæ Imperiorum.

§. I.

DIſſerturi de Imperiis, quæ noſtra ætate in Europa ſuperſunt, omiſsis, vel potius in aliud tempus reiectis, Imperiis iam euerſis, itemque Aſiaticis, Africanis, & Americanis; quod illa prolixiorem operam requirunt, horum autem cognitio iucunda magis, quam neceſſaria, aut vtilis ſit; breuitate quanta maxima poterimus, inſtitutum perſequemur: ſic tamen, vt ſubinde fontes, vnde plenior cognitio deſumi poſsit, indicemus.

§. II.

Continet Europa (cuius limites plerique recentiores Geographi conſtituunt verſus Septentrionem & Occaſum, Oceanum Septentrionalem ab oſtio fluminis Oby vsque ad fretum Herculeum; verſus meridiem mare Mediterraneum; verſus ortum denique mare Ægæum, Helleſpontum, Boſphorum Thracicum, Pontum Euxinum, Phaſin & Araxin fluuios, mare Caſpium, qua Volgam contingit, montes Riphæos, & flumen Oby:) hodie XXX circiter prouincias maiores: ſcilicet I, Hiſpaniam cum adiectis inſulis Hiſpanicis: II, Galliam,

Digitized by Google

III, Britanniam Magnam, cum magna multitudine inſularum minorum, Angliæ, Scotiæque adiacentium: IV, Hiberniam cum ſuis inſulis minoribus: V, Germaniam, in ſuperiorem & inferiorem diuiſam: VI, Bohemiam: VII, Daniam, partim inſulis, quarum potiores Seelandia & Fionia, partim terris continentibus, vtrinque dictas inſulas attingentibus, conſtantem: VIII, Norvvegiam, cum inſulis Islandia & Frieslandia: IX, Suediam cum Finlandia & Lapponia: X, Liuoniam, in quattuor partes diſtributam: XI, Pruſſiam cum annexa Caſſubia: XII, Lithuaniam: XIII, Poloniam vtramque, cum adhærentibus prouinciis Podolia, Volinia, Podlachia, Maſouia, Samogitia, Ruſſia nigra, &c. XIV, Hungariam: XV, Sclauoniam: XVI, Bosniam: XVII, Croatiam: XVIII, Dalmatiam: XIX, Italiam: XX, Siciliam: XXI, Sardiniam: XXII, Corſicam inſulam: XXIII, Cretam ſiue Candiam: XXIV, Græciam, hodie latisſime diffuſam, cum variis inſulis minoribus: XXV, Seruiam: XXVI, Walachiam: XXVII, Bulgariam: XXVIII, Transſiluaniam: XXIX, Moldauiam: XXX Tartariam minorem: XXXI denique, Moscouiam ſiue Ruſſiam albam, latisſime extenſam.

§. III.

Harum prouinciarum Imperia varie numerant auctores. *Archontologia Cosmica* XXVI recenſet; Varenius XXII aut XXIII; alii plura pauciorave; nemo, quod ſciam, omnia. Cauſſa huius diuerſitatis, meo quidem iudicio, præcipua eſt varia ratio numerum imperiorum ineundi. Quidam enim pro vno eodemque imperio habent, quotquot regna, ſiue principatus, ſub vno ſunt capite ſiue rege: alii ſeparatim numerant, quæcunque cum aliis regnis aut principatibus non ſunt inſeparabiliter connexa, aut ſuis propriis legibus iuribusque fruuntur, e. g. regna Caſtiliæ, Ar-

diſſ. de Rebuspub.

Arragoniæ, Siciliæ,Neapoleos,Ducatum Mediolanenſem, &c, quidam ſingula pro ſeparatis Imperiis habent:alii vno Imperii Hiſpanici nomine omnia complectuntur. Idem fieri ſolet de regnis Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ; de Danico & Norvvegico; de Germanico & Bohemico; aliisque Similiter cum plures Resp.liberæ in vnum fedus coierunt; vt Helueticæ, Belgicæ, Rhæticæ; eæ vel vt ſingulæ, vel vt coniunctæ, & in vnum veluti corpus coalitæ, in Rerump. cenſum venire posſunt. Tertio etiã principatus illi minores,quorum Principes aut vaſalli ſunt Pontificis, Imperatoris Germanici, vel Turcici, Regis Hiſpani aut Galli, de cetero tamen ſui ſunt iuris, libereque ditiones ſuas adminiſtrant, vt Duces Sabaudiæ,Mutinæ,Parmæ, Mantuæ, Lotharingiæ &c.aut alterius tributarii,vt Chanus Tartarorum, Princeps Transſiluaniæ, Wayvvodæ Moldauiæ & Walachiæ; a quibusdam inter imperia recenſentur, ab aliis autem,tanquam partes eorum imperiorum, quorum feuda ſunt, prætereuntur.Quarto denique Respub. quædam aut principatus, quoniam ditiones eorum exiguis ſpatiis continentur; nec tanta eorum potentia eſt, vt ſuis ſe viribus tueri posſint, a plerisque penitus omittuntur. Vnde fit, vt inter Europæ Imperia Rempub. Raguſinam, Geneuenſem, Sancti Marini, itemque principatum Arauſionenſem, Lotharingicum, Mirandulanum, Monacenſem, pauci aut nulli recenſeant.

§. IV.

Nos pro vno Imperio reputantes, quæ ab vno capite monarchico gubernantur, aut communi conſilio reguntur, vnoq; arctisſimo federe inſeparabiliter cohærent; annumeratisque etiam infirmioribus ac minoribus Rebusp. & principatibus, iisque quorum Principes aliorum vaſalli ſunt, modo in regimine ditionum ſuarum a nullius

alterius arbitrio pendeant; cuncta Europæ Imperia hodierna in *tres Claſſes* diſpeſcimus. *Prima* complectitur Imperia, quorum Principes imperatoria aut regia dignitate tituloque vtuntur. *Altera* Reſpublicas liberas, tam infirmiores, quam potentiores. *Tertia* Principatus minores, & quorum Principes aut aliorum vaſalli vel tributarii ſunt; aut ſaltem exigua, ſi cum primæ claſſis principibus eos compares, potentia præditi.

§. V.

Ad *primam Claſſem* pertinent I, *Imperium Romano-Germanicum:* II, *Imperium Turcicum*, latiſſime per Europam, Aſiam, & Africam diffuſum: III, *Imperium Moſcouiticum*, in Aſiam vſque longo tractu excurrens: IV. *Imperium Hiſpanicum*, varia regna complexũ: V, *Imperiũ Luſitanicum*, præter Regna Portugalliæ & Algarbiæ, varias ditiones alias in Africano littore & Oceano Atlantico, itemque in Orientali India & Inſulis adiacentibus, inque America totam hodie Braſiliam comprehendens: VI, *Regnum Galliæ*: VII, *Imperium Britannicum*, regna Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ, cum multis aliis dominiis in America, Flandria, &c. continens: VIII, *Regnum Poloniæ* cum magno Ducatu Lithuaniæ: IX, *Regnum Danico-Norvvegicum:* X, *Regnum Sueciæ*: XI, *Regnum Hungariæ* cum annexis particulis Croatiæ aliorumque regnorum: XII, *Regnum Bohemiæ.*

§. VI.

Ad *alteram Claſſem* referri ſolent I, potentiſſima & antiquiſſima *Venetorum Reſpublica*, titulis & inſignibus regiis, ob regnum Candiæ illi ſubiectum, gaudens: II, *Reſpub. Belgarum fœderatorum*, Venetæ potentia par, aut etiam ſuperior: III, *Reſpub. Genuenſis*, ob regnum Corſicæ, quod poſſidet, pariter regiam dignitatem & *Sereniſſimæ* titulum affectans: IV, *Reſpub. Lucenſis*: V, *Reſpub. Helvetica*,

Digitized by Google

uetica, tredecim pagos Heluetiæ cum eorum federatis complexa: VI, *Reſpub. Rhaticæ tres*, federe quidem iunctæ, ſed non ſub eodem ſupremo magiſtratu viuentes: VII, *Reſpub. Valeſiorum:* VIII, *Reſpub. Geneuenſis.* Quibus addunt alii: IX, *Rempub. Raguſinam* in Dalmatia, & X, *Rempub. paruam S. Marini*, in Ducatu Vrbinate ſitam.

§. VII.

Ad *tertiam Claſſem* refero *I, Dominium Romani Pontificis*, varias ditiones Italicas & Comitatum Auenionenſem in Gallia complectens: II, *Statum magni Ducis Florentiæ*: III, *Statum Ducis Sabaudiæ & Pedemontii*: IV, *Statum Ducis Mutinæ & Rhegii:* V. *Statum Ducis Parmæ & Placentiæ:* VI, *Statum Ducis Mantuæ & Montisferrati*: VII, *Principatum Mirandulæ & Concordiæ:* VIII, *Principatum Monacenſem:* IX, *Ducatum Sleſvvicenſem:* X, *Principatum Transſiluaniæ:* XI, *Principatum Moldauiæ*: XII, *Principatum Walachiæ:* XIII, *Statum Equitum Melitenſium:* XIV, *Imperium Chami Tartariæ minoris.*

§. VIII.

Pertinerent quoque ad hanc extremam claſſe *Ducatus Lotharingiæ & Principatus Arauſionenſis*, ſi, vt olim, ſui iuris eſſent. Sed cum ille hucusque a Galliæ Rege teneatur, necdum certum ſit, an & quibus conditionibus Carolus Dux, cui eius recipiendi ſpes nupera pacificatione Hiſpano-Gallica facta eſt, eum recepturus ſit; hic vero nuper etiam a Gallo, prætextu cuſtodiæ & tutelæ, inuaſus ſuoque Principi ereptus, incerta pariter reſtitutionis ſpe: merito dubitamus, an duo illi Principatus inter Imperia Europæ referri debeant. Olim quoque *Dux Bullionenſis & Princeps Sedani* ſupremi Principis iura ſibi arrogabat, eaque ſibi deberi An. cIↃ IↃC XLI prolixa declaratione, quæ inter pacta Galliæ, cum miniſterio Mazarini

edita

edita c. 63 habetur, probare conatus eſt; ſed eius dominium inter Europæ Imperia non memini a quoquam referri. Quod etſi de principatu Monacenſi, Moldauico, Walachico, Slesvvicenſi pariter dici poſſit; tamen quoniam Princeps Monaci ab anno huius ſæculi XLI quo iugum Hiſpanicum excuſſit, ſupremum ſibi dominium ſuarum ditionum arrogauit, in eoque nupera pacificatione Hiſpano-Gallica confirmatus eſt; Walachiæ & Moldauiæ Principes, (duos enim diuerſos eſſe, clare docet Andreas Concius, quanquam alii confundere eos videantur) etſi ab Imperatore Turcico principatum accipiant, eique tributarii ſint, de cetero tamen pro arbitrio ditiones ſuas adminiſtrant, ac, vt vel e nuperis bellis, Polonico & Transſiluanico, conſtat, bella pro libitu ſuſcipiunt: Ducatus denique Slesvvico-Gottorpianus, non ſolum diuerſos a Daniæ regno Senatores, diuerſamque adminiſtrationem habeat; ſed etiam Dux ille peculiari transactione de XII Maii, anni CIↃ IↃC LIIX nuperrima pace Dano-Suedica confirmata, neceſſitate homagii, Regi Daniæ præſtandi, liberatus dicatur; non video, cur hæc dominia non æque inter Imperia Europæ referri debeant, ac Principatus Sabaudiæ, Mutinæ & Parmæ. Quod fortaſſis etiam non male de *Ducatibus Pruſſiæ & Curlandiæ* affirmaueris; cum vterque feudum quidem ſit Coronæ Polonicæ; ſed tamen neuter eorum Principum inter Status & membra eius coronæ recenſeatur, aut iure ſuffragii in electione regis & Comitiis Regni gaudeat. Sed de hoc plura ſuo loco.

Geogr. ſpec. c. VIII art 2.

DIS-

DISSERTATIO II.

De numero Imperantium in Europa.

§. I.

IN Europæ Imperiis, ſecus quam in reliquis orbis partibus, vbi vix aliam Reipub. formam vllam, quam monarchicam reperias, alibi ſinguli ſiue Monarchæ, alibi plures, hoc eſt, optimates aut populus vniuerſus; vel vtrique iunctim poteſtate gaudent ſumma.

§. II.

Monarchæ (latius ac vulgariter accepta voce, nec attento, vtrum abſoluta an reſtricta, & cum ordinibus communicata ſit eorum poteſtas) alii *digniores*, potentiores ac ſplendidioribus titulis inſignes, nec vlli alteri quacunque ratione obnoxii ſunt: alii *minores*, aut aliorum vaſalli vel tributarii, & plerumque *Ducum* ac *Principum* nomine contenti ſunt.

§. III.

Prioris generis ſunt I, *Alexander VII*, e familia Chiſia Senenſis, *ſedis Romanæ Papa, ac Romanæ Apoſtolicæ & Catholicæ Eccleſiæ ſupremus Epiſcopus & Chriſti vicarius &c.* II, *Leopoldus I, electus Romanorum Imperator*, idemque *Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ & Sclauoniæ Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ &c.* III, *Sultan Mahometes IV, Turcarum Imperator Conſtantinopolitanus & Trapezuntinus*, variorum regnorum in Aſia, Africa, & Europa Dominus: IV, *Alexius Michailowiz, Magnus Czar Moſcouiæ & Ruſſiæ &c.* V, *Ludouicus XIV Adeodatus, Rex Galliæ & Nauarræ:* VI, *Philippus IV Hiſpaniæ & Indiarum*, idemque *vtriusque Siciliæ, Neapoleos & Hieroſo-*

Digitized by Google

lymæ (ſed huius titulo tantum) *Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, & Mediolani, Comes Habspurgi, Flandriæ & Tyrolis &c.* VII, *Alphonſus Henricus* (quo nomine tamen in litteris non vtitur) *Rex Portugalliæ & Algarbiæ*, idemque maris Africani, Braſiliæ, multarumque in littore Africano & India Orientali viciniſque Inſulis ditionum Dominus, adoleſcens, nuper annum XIIX quidem ingreſſus, ſed tamen adhuc ſub tutela matris Louyſæ Guzmanniæ, natæ Ducis Medinæ, Sidoniæ, viduæ Ioannis IV Regis, viuens: VIII, *Carolus II, Stuartus, Rex Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ* (ſed Franciæ ſolo titulo) idemque ditionum aliquot in America Septentrionali & India Orientali, vrbisque Duynkerkæ in Flandria Dominus: IX, *Ioannes Caſimirus, Rex Poloniæ & Suediæ* (qui tamen poſterior titulus, vi nuperæ pacificationis inter illum & Suediæ Regem initæ, nec in ſequentes Poloniæ reges propagabitur, nec ad Suedos vſurpari poteſt) idemque *Magnus Dux Lithuaniæ, Dux Rusſorum, Prusſiæ, Masouiæ, Samogitiæ, electus Magnus Dux Moscouiæ* (quo tamen titulo ad Moſchum vti nequit,) *Princeps Transſiluaniæ &c.* X, *Fridericus III Daniæ, Norvvegiæ, Vandalorum* & *Gothorum Rex, Dux Slesvvici, Holſatiæ, Stormariæ, Dithmarſiæ, Comes Oldenburgi & Delmenhorſti:* XI denique, *Carolus Suedorum, Gothorum & Vandalorum Rex*, idemque *Magnus Dux Finlandiæ, Dux Eſthoniæ, Careliæ, Bremæ, Stetini, Pomeraniæ, & Comes Palatinus Rheni*, puer quinquennis ſub tutela matris Hedvvigis Eleonoræ, Friderici nuper defuncti Ducis Slesvvicenſis filiæ, Caroli Guſtaui viduæ, & quinque Senatorum regni tutela conſtitutus.

§. IV.

Poſterioris generis hi ſunt I, *Carolus Franciscus Emanuel*, (vtitur in ſubſcriptionibus tantum nomine Emanuelis)

Digitized by Google

nuelis) *Dux Sabaudiæ, Princeps Pedemontii & Marchio Saluzzarum*, idemque titulo *rex Cypri* (cuius tituli reſpectu *Celſitudo Regalis* appellatur, & in Capella Papæ Legatus eius ſedem inter Legatos regios obtinet, proximoque poſt Venetos loco habetur) II, *Ferdinandus II de Medices, Magnus Dux Hetruriæ*, ſiue, vt vulgo appellatur, Florentiæ: III, *Alphonſus II*, ex familia Ateſtinorum, (vulgo d'Eſte) *Dux Mutinæ & Rhegii*, idemque Dominus Grauignianæ in Hetruria, ac prætenſione Dux Ferrariæ & Dominus Vallis Comachiæ: *IV, Carolus II* (aliis III) e familia Gonzagarum, *Dux Mantuæ & Montisferrati*, & in Gallia *Rhetelenſis* ac *Niuernienſis*; quem tamen poſtremum Ducatum proximis menſibus Cardinalis Mazarinus emiſſe dicitur: V, *Rainutius Farneſius, Dux Parmæ & Placentiæ*, ac quarundam vrbium in Regno Neapolitano Dominus, itemque Caſtri & Ronciglionis in Hetruria; de quibus tamen cum Papa ei lis eſt: VI, *Alexander II Dux Mirandulæ & Concordiæ*, e familia Picorum oriundus: VII, *Honoratus Grimaldus, Princeps Monaconis, Mantoni & Rupebrunæ*: VIII, *Chriſtianus Albertus Dux Sleſvvici, Holſatiæ, Stormariæ & Dithmarſiæ*, &c. IX, *Achatius Barkzay Princeps Transſiluaniæ & partiũ Hungariæ Dominus*, ante triennium Ragozio ſuffectus: quem tamen, incertum eſt, an Turca in eo Principatu relicturus ſit: X, *Palatinus* ſiue Hospodar *Moldauiæ*, qui anno CIↃ IↃC L erat *Baſilius*; an adhuc in viuis ſit, mihi nondum conſtat: XI, *Palatinus Walachiæ*, cuius nomen nusquam inuenire potui: XII, *Chamus Tartariæ Precopenſis & Crimenſis*, qui anno CIↃ IↃC LVII erat *Mahometes Giereius*, quem obiiſſe ſuperioribus menſibus Nouellæ ordinariæ, neſcio, quam vere, referebant: XIII, *Magnus Magiſter Equitum Melitenſium*, idemque *Princeps Maltæ & Gozæ*, nuperrime electus.

Digitized by Google

§. V.

His addendi ſunt XIV, *Carolus III, Dux Lotharingiæ*, qui ſe præterea ſuperioribus annis vocare ſolebat *Ducem Calabriæ, Barri & Geldriæ, Marchionem Pontis Muſſani & Neamenii, Comitem Prouinciæ Validi-Montii, Blanckenbergæ, Zütphenæ &c.* & XV, *Wilhelmus Henricus, Princeps Arauſionenſis*, idemq; *Comes Naſſouiæ*, &c. puer decennis, ſub tutela matris Mariæ hactenus, Caroli I Magnæ Britanniæ Regis filiæ, Wilhelmi Friderici Principis viduæ (quæ tamen nuperrime in Anglia obiit, tutore filii fratre Carolo Rege conſtituto,) & auiæ Amaliæ Principis Friderici Henrici viduæ, conſtitutus. Quanquam enim hi duo Principes ditionibus ſuis ſpoliati ſunt, nihilo tamen ſecius liberi ac ſuis iuris ſunt. Ne dicam, vtrique ſpem factam propediem ditiones ſuas recipiendi; poſteriori etiam ius ſuum ipſius Galliæ Regis confesſione integrum relictum eſſe.

§. VI.

Addendi quoque per ea, quæ Disſert. præcedentis §. vltimo diximus, videntur XVI *Fridericus Wilhelmus Dux Pruſſiæ*, idemque *Marchio Brandenburgicus & Romani Imperii Archi-Camerarius & Elector, Dux Magdeburgi, Iuliaci, Cliuiæ, Montium, Stetini, Pomeraniæ, Casſubiæ, Vandaliæ, Iägerndorſii & Sileſiæ, Croſſenæ, Princeps Halberſtadii & Mindæ &c.* ac XVII, *Iacobus, in Liuonia Dux Curlandiæ & Semigalliæ*, nuper vi pacificationis Oliuenſis ex captiuitate, in quam a Suedis cum vniuerſa familia ductus fuerat, liberatus, ac ditionibus ſuis, quas partim iidem Suedi, partim Poloni inuaſerant, reſtitutus.

§. VII.

In *Polyarchicis* Imperiis quoniam non vbique ſatis manifeſtum eſt, penes quos ſit ſumma poteſtas, ideo nec im-

Digitized by Google

imperantium in iis Catalogus tam accurate adornari, nomina vero ob multitudinem & perpetuas mutationes plane recenſeri non posſunt. Eos itaque ſuffecerit, rudi nunc Minerua enumerasſe. Sunt igitur I, *Dux & Senatus Venetus*, cum vniuerſa *Patriciorum* multitudine: II, *Nobilitas Genuenſis* viginti octo familiis conſtans, per Ducem & adiunctos ei Gubernatores repræſentata: III, *Ordines federati Belgii*, hoc eſt, Nobilitas & ciuitates illæ, quarum Delegati Hagæ congregari ſolent: IV, *Senatus Reipub. Lucenſis* e nobilibus conſtans, cuius caput eſt Confallonerius ſiue Vexillifer: V, *Populi Heluetici*, e nobilibus, ſed paucis admodum, & plebe compoſiti, quos ipſorum Legati in Comitiis generalibus Heluetiorum congregagati repræſentant: VI, *Populi Rhætici* in tres ſocietates diuiſi: VII, *Communitates Valeſiorum* cum *Episcopo* ſuo & *Capitulo Sedunenſi*: VIII, *Concilium Ducentorum* cum *Populo Geneuenſi*: IX. *Senatus Magnus Reipub. Raguſinæ*, ex vniuerſa illius vrbis nobilitate conſtans: X denique, *Rectores Reipub. S. Marini*, qui tamen quot & quales ſint, in tanto omnium ſcriptorum ſilentio nobis non conſtat.

§. VIII.

Quinam inter imperantes hosce ſit ordo, ſeu quinam alios dignitate & loco antecedant, difficile, immo ferme imposſibile eſt definire; cum eiuscemodi de prærogatiua & eminentia Principum ac Rerumpub. controuerſiæ ferme in infinitum iuerint, atque vix vllus ſit Princeps, vix vlla Respub. cui non intercedat cum aliis ſingulis pluribusve, prout potentiores aut infirmiores ſunt, lis de loci prærogatiua, ſiue, vt nunc loquimur, controuerſia præcedentiæ. Secundum Ceremoniale Iulii II Papæ, (qui ab anno ſuperioris ſæculi XIII, vsque ad XXI, ſedit) in Capella Pontificia hunc inter Legatos ordinem obſeruari

Digitized by Google

ſolitum, refert Sprengerus *Romæ Nouæ*, ſuperioribus menſibus editæ, vt primum locum teneat Imperator; ſecundum Rex Romanorum; tertium Rex Galliæ; quartum Rex Hiſpaniæ; quintum Rex Arragoniæ; ſextum Rex Luſitaniæ; ſeptimum Rex Angliæ; octauum Rex Siciliæ; nonum Rex Hungariæ, decimum Rex Cypri, (quem hodie repræſentat Dux Sabaudiæ; ſed poſt Reges omnes & Remp. Venetam) vndecimum Rex Bohemiæ; duodecimum Rex Poloniæ; decimum tertium Rex Daniæ; decimumquartum Respub. Veneta, ratione trium Regnorum Cypri, Candiæ & Dalmatiæ, quæ olim poſſidebat. Paullo aliter & plenius ex *Mercurii Gallici Tomo X, p. 334.* ordinem Regum Principumque Chriſtianorum, qui eiusdem Iulii II tempore obtinuerit, Beſoldus refert; ſed hic ordo valde hodie turbatus eſt, non ſolum quod nonnulli Reges a Pontificia religione ſecesſerint, adeoque Legati ipſorum in Capella Pontificia nunquam hodie compareant; ſed etiam quod nonnulli potentia & opibus aucti, aliis litem de prærogatiua mouerint: quidam etiam Reges, regnis ipſorum ad alios delatis, esſe deſierint.

l. II c. I.

Synopſ. Pol. l. 1, c. 10. § 12.

§. IX.

Vt aliquid ſaltem in re difficilima definiamus, ſequentia obſeruanda ſunt: I, ſupremum inter omnes Principes & Respub. locum *Romano Pontifici*, vt Eccleſiæ capiti, indubie concedunt omnes Principes & Respublicæ Pontificiæ, nec, quod ſciam, repugnant Proteſtantes: qui, etſi pro capite Eccleſiæ Papam non agnoſcant, tamen pro Principe eum habere non recuſant. An autem Imperator Turcicus & Magnus Dux Moscouiæ, quorum vterque Papæ infenſisſimus eſt, hanc ei prærogatiuam concesſuri ſint, dubito: II, Inter Reges Chriſtianos primum locum *Imperatori Romano*, eidemque Regi Germanorum, vt capiti orbis Chri-

Chriſtiani, ſine vlla tergiuerſatione concedunt non ſolum omnes Chriſtiani Principes & Resp. ſed etiam Imperator Turcicus, qui eum etiam Regi Perſarum & Magno Mogoli Indiæ præfert: III, Ipſe tamen *Imperator Turcicus* non ſolum par noſtro imperatori, ſed etiam maior haberi vult: IV, Imperatori quoque par, aut ſaltem proximus haberi cupit *Magnus Dux Moscouiæ*; ſed eum illi honorem ab aliis Regibus & Principibus habitum non memini; vt parem tamen a Regibus honorari conſtat: V, Nullus Rex prærogatiuam concedit vlli *Reipub. Liberæ*; etſi cum *Dano* & *Suedo* ſuper ea contendisſe nuper admodum Legatum *Venetum*, conſtet: VI, Reges omnes ſine dubio præcedunt omnes *Principes non coronatos*, ſiue regio titulo non gaudentes: VII, Inter reges *Gallo* omnes prærogatiuam concedunt, excepto *Hiſpano*, qui de ea iam vltra ſæculum cum illo contendit; adeo vt nusquam vna compareant horum regum Legati, niſi vbi paritas omnimoda obſeruari poteſt: VIII, *Hiſpano* omnes cedunt excepto *Anglo*, qui ſolum *Gallum* priorem agnoſcit: IX, *Reliqui, Reges* varie inter ſe de præcedentia litigant: X, *Respub. Liberæ* (ſi credimus Petro Baptiſtæ Burgo *in Aditu, ſiue prolegomenis ad disceptationem ſuam de dignitate Genuenſis Reipub.*) aliæ, cenſentur gradu quo Reges, aliæ quo Duces, aliæ quo Principes, aliæque deinceps, iuxta vires & amplitudinem imperii. Addo ego, & antiquitatem heic reſpici ſolere: non minus, quam inter Duces & Principes: XI, Idcirco *Respub. Veneta* non ſolum omnibus *Ducibus* aliisque *Rebuspub. liberis* præferri ſolet; ſed etiam ſupra quosdam *Reges*, vt *Danum* & *Suedum*, ob regnum Candiæ & Dalmatiæ, quæ hodie, aliaque, quæ olim posſedit, eminere affectat: XII, Ei tamen hanc prærogatiuam denegant tum *Reges* omnes, tum etiam olim denegabat

(vt

l. c. (vt e *Petro Meſſia* refert *Beſoldus) Reſpub. Genuenſis.* An ea lis hodie adhuc duret, mihi non conſtat: XIII, Cum eadem *Veneta Repub.* de prærogatiua contendit etiam *Dux Sabaudiæ*, ob ius regni Cypri, quod ſibi arrogat; ſed hactenus irrito conatu: XIV, Proximum a Veneta locum, ſi non parem, affectat *Reſpub. Genuenſis*: ob Corſicæ & Liguriæ, & quædam olim poſſeſſa regna; ſed reclamante *Duce Sabaudiæ*, ac fortasſis & aliis. Sed & *Belgii federati ordines* nuper, ſi bene memini, litem ei de prærogatiua intendere cœperunt: XV, Iidem *Belgæ* etiam *Ducibus Italiæ*, aliisque *minoribus principibus* vix loco cedent, ob potentiam & ditiones, quas in Africa & India Orientali tenent, iusque, quod in Braſiliam prætendunt: XVI, De reliquis Rebuspub. nullo documento mihi conſtat, quem ordinem, cum inter ſeſe, tum reſpectu Principum minorum aut obtineant aut affectent: niſi quod Lucenſē olim Ferrariæ Ducibus cedere noluiſſe ſcio; quod fortasſis & aliis denegat. *Helueticā* ceteris minoribus præferri, vix dubito: neſcio an & Lucenſi: XVII, *Principes Italici* omnes varie de prærogatiua inter ſe certant, ſolis fortasſe *Mirandulano & Monacenſi exceptis*: XIIX, Ab exteris tamen reliquis præferuntur, quantum mihi conſtat, *Sabaudus* & *Florentinus*: ille ob antiquitatem dignitatis Ducalis, titulum regni Cypri & Vicariatum Imperii in Italia: hic ob potentiam & titulum Magni Ducis, cuius reſpectu, propter coronam olim a Pontifice Coſmo Duci miſſam, Sabaudo cedere negat: XIX, Idem tamen *Sabaudus* non ſolum in Germania *Electoribus* & plerisque *Ducibus Imperii*; ſed etiam in Hiſpania Magnatibus Regni inferior habetur: XX, Nec maiore honore, credo, reliqui *Principes Italici* (niſi fortasſe *Florentinum* excipias) afficiuntur: ſicut nec *Dux Lotharingiæ* & *Sleſvvicenſis*, itemque *Arauſionenſis*, *Transſiluanus*,

Digitized by Google

nus, *Walachiæ* & *Moldauiæ Principes*: qui omnes, quem ordinem inter ſe, & reſpectu Principum Italicorum obſeruent, hoc incertius eſt, quod raro eorum Legati vna conueniunt: XXI, *Magno Magiſtro Melitenſium* locus inter Principes magis vt Prælato, quam vt Principi conceditur; XXII, *Tartarorum Chanum* ſuper omnes Principes & Respublicas, fortasſis etiam ſupra quosdam reges, pro ſuperbia gentis, locum affectare non dubito: ſed eius quoq; Legati vix vnquam cum Chriſtianorum Legatis vno loco vnoque in actu concurrent.

DISSERTATIO III.

De
Religionis, & Rei Litterariæ in Europa eiusque Imperiis ſtatu præſenti.

§. I.

ANtequam de ſingulis imperiis Diſſ. I recenſitis, ſeorſim agamus, quædam de ſtatu religionis, & quæ ab eo magnam partem pendet, rei litterariæ, itemque de ſtatu belli ac pacis, qualis nunc in Europa eſt, breuiter præmittemus; quod nonnulla heic cognitu digna occurrunt, quæ in ſpeciali tractatione ſatis commode recenſeri non posſunt.

§. II.

De *Statu religionis* potisſimum heic obſeruanda ſunt *ſex*: I, Quænam religiones in Europa reperiantur, & quæ ſingularum præcipua ac veluti characteriſtica dogmata ſint,

Digitized by Google

II,Quibus in locis ac imperiis ſingulæ vigeant: III,Quantum circa religionem & res ac perſonas ſacras poſſint in Europa imperantes: IV,Quænam religiones imperantibus æquiores iniquioresve ſint: V, Quinam ſacrorum tum hominum, tum templorum, cœnobiorum, Collegiorum in ſingulis religionibus ſint reditus ac opes: VI, Quatenus in vnaquaque religione perſonæ ſacræ ad functiones ciuiles & negotia reipublicæ admittantur, aut ab iis arceantur.

§. III.

Religiones per vniuerſum terrarum orbem vulgo *quattuor* numerantur: *Iudaica, Ethnica, Chriſtiana* & *Mahumetana:* ſingulæ rurſus in *ſectas* ſuas ſciſſæ. Nam *Gentilium* totidem ferme, immo, ſi rem recte putamus, plures ſunt diuerſæ religiones, quam prouinciæ, quas incolunt. *Iudæorum* quoque duo ſunt genera, Karræi ſiue Scripturarii, & Talmudici ſiue Traditionarii. E *Mahumetanis* alia eſt Turcarum Indorumque, alia Perſarum, alia Abesſinorum ſecta; ſingulis extremo odio reliquas perſequentibus. *Chriſtiani* denique in ſectas innumeras hodie ſciſſi ſunt.

§. IV.

Has omnes religiones etiam nunc in Europa eiusque Imperiis reperias; cum hoc tamen diſcrimine, quod Gentilium in Europa quidem ipſa (nam in Africanis, Aſiaticis & Americanis ditionibus, ad Europæa Imperia pertinentibus, plurimæ reperiuntur) paucæ; Mahumetanorum non niſi vnica, Turcarum ſcilicet; Iudæorum vtraque; Chriſtianorum denique pleræque ſectæ occurrant.

§. V.

Id quoque diſcriminis inter religiones illas intercedit, quod aliæ vel in Europa vniuerſim, vel in ſingulis eius Imperiis regnent, ac imperio potiantur; aliæ nonniſi a ſubditis

ditis

ditis colantur, ab Imperio excluſæ. Item, quod aliæ pleno exercitio cultus ſui gaudeant, aliæ tantummodo per conniuentiam quandam tolerentur, aut non niſi clam exerceantur.

§. VI.

Iudaicæ religionis præcipua, & , vt ita dicam, characteriſtica dogmata ſunt pertinax negatio aduentus Meſſiæ, perſonarumque diuinarum Trinitatis. Reliqua cum orthodoxa veritate pugnantia ferme innumera ſunt, poſt alios prolixe recenſita, partim etiam confutata a D. Ioan. Müllero in libro Germanico, quem *Iudaismum* inſcripſit; Gisberto Voëtio in *Disputat. de Iudaismo*, quæ in *volum. II Disputationum Theologicarum*, ab eo editarum, exſtat, & Ioan. Hoornbeck in *libris pro conuertendis & conuincendis Iudæis*; apud quos & reliqua pleraque ad Hiſtoriam Iudaismi pertinentia reperies. Addi poſſint D. Danhauerus in *Actu I Chriſteidos pag. 51 & ſeqq.* & D. Hottingerus in *Hiſtoria Eccleſiaſtica* vnius cuiusque ſæculi *ſectione III.* De duabus eorum ſectis videndus Seldenus in *diſſertatione de Anno ciuili & Calendario Veteris Eccleſiæ, ſiue Reipub. Iudaicæ*, præſertim *cap. II*, & paſſim in opere *de Iure Naturali & Gentium ſecundum disciplinam Ebræorum.*

§. VII.

Gentilium in Europa, eiusque imperiis degentium, cum in ſingulis prouinciis peculiares, & a reliquis diuerſæ ſint religiones; earum dogmata commodius in ſpeciali tractatione exponemus.

§. VIII.

Chriſtianorum in vniuerſum *duo* ſunt *genera*: *Orientales* ſiue *Græci*, & *Occidentales* ſiue *Latini*. Vtrique denuo in varias *ſectas* diuiduntur. Inter *Latinos* tres ſunt *præcipuæ*, *Pontificia*, *Lutherana* & *Caluiniana*: *ſecundariæ*, nec

Digitized by Google

tam multos cultores nactæ, magnamque partem e tribus iſtis prognatæ, ferme plures, quam vt numerus earum iniri poſſit. Nos tantummodo præcipuas, & quæ per plura imperia ſunt diffuſæ, heic commemorabimus: reliquis, quæ intra vnius aut duorum imperiorum fines concluduntur, ſpeciali tractationi reſeruatis.

§. IX.

Pontificiorum dogmata characteriſtica præcipua, quibus non ſolum ab omnibus Chriſtianorum ſectis Occidentalibus; ſed etiam a Græca Eccleſia (quæ alioqui plures cum Romana errores ac ritus communes habet) diſcernuntur, hæc ferme ſunt: I, imminuta ſacrarum litterarum dignitas & auctoritas, negata ipſarum in Eccleſia neceſſitate, integritate, & in dogmatis ad fidem & mores pertinentibus debita perfectione ac perſpicuitate; admiſtis & in earum canonem receptis libris apocryphis, variis erroribus ſcatentibus; euecta ſupra Hebraicos & Græcos fontes vulgata verſione Latina, vt infallibili; prohibita eorundem fontium translatione in linguas vernaculas; denegata laicis earum legendarum facultate; denique omni earum auctoritate, genuinoque ſenſu & interpretatione ab auctoritate Eccleſiæ Romanæ, decretis Pontificum, & ſcriptis Patrum ſuſpenſa: II, Eccleſia Romana ſola controuerſiarum Theologicarum Iudex infallibilis; ſemper & quibuslibet viſibilis, ſemper ab vno capite monarchico viſibili gubernanda, variisque ordinibus ſacris, hierarchiam Eccleſiaſticam conſtituentibus, diuino præcepto diſtincta; ſola denique vera, quia Catholica, antiquiſſima, ampliſſima, perpetuo duratura, nunquam defectura, ſucceſſioneque Epiſcoporum nunquam interrupta, miraculis, dono prophetiæ, & felicitate temporali nunquam non conſpicua: III, Primatus Romani Pontificis, iure di-

diuino ei inde ab initio Eccleſiæ Chriſtianæ conceſſus, h. e. ſuprema & monarchica poteſtas ac iurisdictio; cum ſpiritualis, in omnes orbis vniuerſi Eccleſias, & res ac perſonas ſacras; tum temporalis in omnia Chriſtianorum bona, res, perſonas: poteſtas item pro arbitrio condendi nouos articulos fidei, definiendi controuerſias ſacras, & defunctos, quos velit, in numerum ſanctorum allegendi: ius conuocandi & confirmandi concilia generalia, iisque præſidendi: facultas denique per indulgentias remiſſionem peccatorum, omnium etiam futurorum, in annos plures, quam vitæ humanæ ſpatium admittit, pro exigua pecuniæ ſumma, aut leui opera, concedendi: IV, Purgatorium, animis fidelium, per pœnas peccatorum, pro quibus in hac vita nondum ſatisfecerunt, penitus expurgandis deſtinatum; & quæ hinc pendent, priuatæ pro defunctis Miſſæ & orationes: V, Septenarius ſacramentorum numerus: VI, Neceſſitas confeſſionis auricularis, omnia peccata ſigillatim enumerantis: VII, Euchariſtia laicis non niſi ſub vna ſpecie, calice denegato, danda: VIII, Sacra non alia, quam Latina lingua, in Eccleſia peragenda: IX denique, matrimonium omnibus perſonis ſacris, ſiue Clericis, omnino & in perpetuum interdictum. In quibus autem a Proteſtantibus ac plerisque aliis Occidentalibus ſectis diſcrepant, eorum hæc ferme ſunt præcipua: I, Adoratio & cultus religioſus hoſtiis ſacris, ſanctis demortuis eorumque reliquiis & ſacris imaginibus delatus: II, Libero hominis arbitrio nimiæ vires, in ſpiritualibus etiam, tributæ: III, Iuſtificatio hominis peccatoris non ex ſola fide, ſed ex bonis quoque operibus proficiſcens: quorum præuiſu ſicut electi ſint fideles, ita & propter ea vitam æternam, tanquam mercedem, ſint conſecuturi: IV, Satisfactio pro peccatis perfecta hominibus poſſibilis,

etiam pro alienis: V, Impletio legis vniuerſæ poſſibilis: VI, Fides ſalvifica ſolo aſſenſu, non etiam fiducia in Chriſtum definita: VII, Omnium de ſalute ſua incertitudo: VIII, Panis & vini Euchariſtici transmutatio in corpus & ſanguinem Chriſti; quæ vt verum ſacrificium in Miſſa offerri volunt: IX, Monachatus, ieiunia, profectiones ſacræ & alia innumera, quæ vt media promerendi vitam æternam, vel expiandi peccata, Pontificum auaritia ac tyrannis, aut hominum vanitas excogitauit. Quæ omnia poſt alios accurate ipſorum Pontificiorum ſcriptorum verbis recenſuit, eque ſacris litteris, Doctoribus Eccleſiæ & ſana ratione confutauit D. Danhauerus in *Hodomoria Papæa*, & poſt eum, ſed breuius, D. Calouius in *Matæologia Papiſtica*.

§. X.

Porro inter ipſos Pontificios variæ, vt ita dicam, particulares ſectæ ſunt iam dudum enatæ, quas heic commemorare nihil attinet. Vnam tamen *controuerſiam* prætermittere non poſſumus, quæ noſtro tempore non parum Eccleſias Pontificias, eiusque doctores exercuit, ac ne nunc quidem plane ſopita eſt. Ea eſt, quam *Ianſeniticam* appellant, a *Cornelio Ianſenio, Episcopo Yprenſi* in Flandria; cuius liber poſtumus, *Auguſtinus* inſcriptus, occaſionem liti præbuit. Is enim cum in plurimis de prædeſtinatione & gratia diuina dogmatibus cum Reformatis ſiue Caluinianis feciſſe videretur; quinque illius articulos ſiue aſſertiones Ieſuitæ potiſſimum, & mox ipſorum inſtinctu ſummus Pontifex damnauit, qui tum erat Vrbanus VIII, paullo poſt mortuus; cuius tamen Bulla, an. CIƆ IƆC XLI publicata, vt obreptitia, ſpreta, Louanienſes aliique Theologi Belgæ, & plurimi e Sorboniſtis Pariſienſibus, Ianſeniana dogmata ſtrenue tueri conati ſunt. Vnde &

Ian-

Digitized by Google

Ianſeniſtæ cognominati ſunt. Quibus dum ingentia volumina *Petauius*, *Ripalda*, *Briſaccrius & Ieſuitarum* alii opponunt, acre in Gallia & Belgio certamen ortum & quotannis magnus librorum numerus vtrinque publicatus eſt; Ianſeniſtis Scholaſticam Ieſuitarum Theologiam Pelagianismi; his illos hæreſeos Prædeſtinatianæ & Caluinismi accuſantibus: donec ab anno CIƆ IƆC LIII, quo Innocentii X Papæ noua Bulla (quam poſtea confirmauit Alexander VII) denuo Ianſeniana ſententia damnata eſt, Papæ auctoritate, & potentia Cardinalis Mazarini, ſibi aduerſi, non parum quidem preſſi Ianſeniſtæ, nondum tamen oppreſſi ſunt. Quanquam publicis ſe ſcriptis tam aperte, vt antea, defendere non audent.

§. XI.

Alia etiam inter Gallos Pontificios abhinc quadriennio nata eſt *controuerſia*: cum *Parochi Rothomagenſes* primum, mox & alii, ac cum iis maxima pars *Cleri Gallicani*, *Ieſuitarum* & aliorum quorundam Theologorum, *Theologiam moralem & caſualem*, vt impiam, blasphemam, & bonis moribus, ſecuritati publicæ, legibusque diuinis & humanis iuribus contrariam, damnare, variiſque ſcriptis, inter quæ non poſtremum eſt, quod *Theologia moralis Ieſuitarum* inſcribitur, inſectari cœperunt. De qua ſicut & de *controuerſia Arnoldina*, plura dicemus in deſcriptione Imperii Gallici.

§. XII.

Quænam ſint noſtrarum, hoc eſt, *Lutheranarum* & Auguſtanæ Confeſſioni inuariatæ addictarum Eccleſiarum dogmata præcipua, non opus eſt heic exponere; cum ea paſſim in ſcholis & Gymnaſiis, interque rudimenta ſtudiorum e *Compendio* Hutteri, *Catecheſi* Dieterici, *Exegeſi Auguſtanæ confeſſionis* Menzeri, *Epitome Credendorum* Hun-

nii

nii, ſimilibusque noſtrorum Theologorum libellis cognoſci addiſcique ſoleant, aut certe debeant. Quod ſi quis ampliorem eorum cognitionem deſideret, eam licebit haurire e *Locis* B. Gerhardi, *Syſtemate Theologico* D. Brochmanni, vel ſi qui præterea e noſtris eadem perſpicuitate & copia de dogmatis Theologicis in vniuerſum egerunt.

§. XIII.

Partium in noſtris Eccleſiis, poſt ſopitas Sereniſſimorum Saxonicorum & Lunæburgenſium Ducum opera ac iuſſu controuerſias, quæ aliquot *Helmſtadienſibus Theologis* cum *Saxonicorum* nonnullis, & quibusdam aliis intercedebãt, nulla hodie, diuino beneficio, nomina ſuperſunt; niſi quod litis illius (quam immerito inter ſchismata Lutheranæ Eccleſiæ numeraſſe Micrælium in *Hiſtoria Eccleſiaſtica* etiam ex Reformatis Io. Hoornbeck *in Summa Controuerſiarum* cenſet) reliquiæ quædam adhuc ſuperſint, paucis quibusdam e noſtratibus de numero potiſſimum articulorum, ad ſalutem creditu neceſſariorum, deque ſymboli Apoſtolici prout verba iacent, ſufficientia aut inſufficientia, paucisque aliis dogmatis, inter ſe concertantibus. *Tubingenſem* quoque *controuerſiam* ab illius Academiæ Theologis reſuſcitatum iri, fama ſuperioribus annis erat; ſed eorum conatus ab aliis, credo, Theologis, Sereniſſimoque Principe Würtenbergico, in herba ſuppreſſi ſunt.

p. 529. l. IX, p. 736. edit. 2.

§. XIV.

Supereſt tertia e primariis Latinorum ſectis: *Caluinianorum* ſcilicet, ſiue vt ipſi ſe, cum a Lutheranis diſtingui volunt, appellant, *Reformatorum*: quanquam etiam hoc nomen nonnulli eorum haud libenter vſurpant; vt Angli Episcopales, qui *Proteſtantes* vocari malunt. Horum præcipua dogmata, in quibus non quidem ab omnibus ſe-

ctis

ctis Occidentalibus (quædam enim cum Socinianis, Arminianis aliisque ſectis; vnum atque alterum etiam cum Pontificiis commune habent) ſed ab Eccleſiis Auguſtanæ confesſioni addictis, itemque a Græcis plerisque hodie disſentiunt, (etſi non ſolum Auguſtanæ confesſionis ſocii multi ipſorum videri velint; ſed etiam Græcæ Eccleſiæ conſenſum pasſim hodie iactitent; ad Cyrilli Lucaris, ante annos paullo plures quam viginti Patriarchæ Conſtantinopolitani, confesſionem Chriſtianæ fidei prouocantes, quam tamen ſucceſſores eius, totæque Græcorum Eccleſiæ paullo poſt ipſius mortem vna cum auctore ſuo anathemate percusſerunt:) ea, inquam, dogmata hæc ſunt: I, Denegata ſacramentis tam antiqui, quam noui Federis communio rei cœleſtis; ac in ſpecie negata præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in ſacra cœna, eorumque manducatio & bibitio corporalis: II, Negata maieſtatis diuinæ Chriſto homini, ſiue, vt explicatius dicam, proprietatum diuinæ naturæ, vt omnipræſentiæ, omniſcientiæ, omnipotentiæ & adorabilitatis, humanæ Chriſti naturæ, in diuina ſubſiſtenti, facta communio: III, Gratia DEI particularis in eligendis per abſolutum decretum, nulla præuiſæ ipſorum fidei aut infidelitatis ratione habita, certis tantum hominibus ad vitam æternam, iisdemque ſolis per meritum Chriſti efficaciter redimendis, vocandis & per prædicationem verbi aliaque ſalutis media conuertendis ac regenerandis; reliquis omnibus abſolute ab æterna ſalute, omnia ſalutis media efficacia illis denegando, excluſis, Vnde porro ſequitur duplex, ſibique non minus, quam veritati DEI, contraria voluntas: vna ſcilicet, quam occultam ſiue beneplaciti; altera, quam reuelatam ſiue ſigni vocant: IV, Perpetua ac neceſſaria eorum, qui ſemel vere crediderunt & ſanctificati ſunt, perſeuerantia, adeo,

vt nunquam a vera fide deficere, gratiaque DEI excidere queant: V, Verbi diuini & ſacramentorum efficacia valde imminuta, negata v.g. neceſsitate baptismi, tanquam medii ordinarii & neceſsarii ad conſequendam fidem & ſalutem &c. VI, Seruum hominis arbitrium in rebus ſpiritualibus, eousque a nonnullis extenſum, vt etiam libertatem reſiſtendi vel non reſiſtendi gratiæ diuinæ, ſiue contemnendi vel non contemnendi media ſalutis, ſeipſum excœcandi vel non excœcandi homini adimant. Quos & alios aliquanto leuiores Caluinianorum errores nuperrime pariter ex ipſorum libris ſymbolicis, Harmonia ſcilicet confesſionum, Catechismo Heidelbergenſi, Decretis ſynodi Dordracenæ, & ſcriptis ſimilibus, præcipuisque illorum Doctoribus, ipſis eorum verbis propoſuit, accurateque & prolixe confutauit *D. Danhauerus in Hodomoria Caluiniana.*

§. XV.

Caluinianorum quoque non vnum genus. Differunt enim inter ſe inuicem, cum doctrina, tum modo gubernationis Eccleſiaſticæ & cærimoniis ſacris. Ratione doctrinæ, ſiue credendorum, iam olim diuiſi ſunt in *Supralapſarios & Sublapſarios. Illi* abſolutum DEI de certis hominibus ad ſalutem eligendis, reliquis autem omnibus reprobandis, decretum præceſsiſſe lapſum primorum parentum, & adeoque decreto diuino illos peccasſe: *hi* poſt lapſum demum id decretum ſubſecutum volunt. Ac Supralaſariorum quidem ſententia etſi in ſynodo Dordracena damnata eſt; nihilo tamen ſecius etiam nunc haud pauci cum in Belgio, tum alibi ei adhærent; adeo vt ante paucos annos Gisbertus Voëtius, Theologus Vltraiectinus, non ſit veritus, publice de cathedra affirmare, tantummodo in gratiam plebis atque vitandi ſcandali causſa factum eſſe

eſſe, vt illa ſententia damnaretur; ceterum in ſe veram omnino eſſe.

§. XVI.

Aliud, ſed tamen priori quodammodo affine, diſcrimen peperit certamen, quod eodem circiter tempore, quo inter Pontificios Ianſeniſtica controuerſia nata, inter Moſen Amyraldum & Claudium Teſtardum, Salmurienſis in Gallia Academiæ Theologos, & Fridericum Spanhemium ac Andream Riuetum, Theologos Batauos, huiusque ſocerum Petrum Molinæum, Paſtorem Eccleſiæ Sedanenſis in finibus Galliæ, ſuper decreto prædeſtinationis, & decretorum diuinorum in vniuerſum natura ac immutabilitate, iuſtitia & ſapientia diuinorum conſiliorum, obiecto promiſſionum legis Moſaicæ, efficacia mortis Chriſti, ſalute Gentilium, viribus hominis in conuerſione & gratiæ diuinæ vniuerſalitate, obortum eſt. Amyraldus enim & Teſtardus, Ioannis Cameronis, Theologi quondam Galli, veſtigiis inſiſtentes, hæc (ſi credimus Petro Molinæo in *Præfatione ad Paſtores & Presbyteros ſynodorum Nationalium Galliæ* præfixa Tractatui eius Gallico, anno CIↃ IↃC XLIX Geneuæ excuſo, quem *Eſclairciſſement des Controuerſes Salmuriennes*, ſiue *declarationem Controuerſiarum Salmurienſium* inſcripſit,) publice docebant atq; tuebantur: I, DEVM velle ſerio ſaluare omnes homines, modo credant; etſi ſciat, eos nec credituros eſſe, nec credere poſſe, niſi ipſe fidem illis largiatur; quam tamen ſolis electis dare velit: II, Eundem omnibus hominibus, etiam ethnicis, quibus Chriſtus annunciatus non eſt, largiri gratiam vniuerſalem & ſufficientem, ita vt per contemplationem creaturarum, patientiæ diuinæ & benedictionum temporalium ſibi conceſſarum, ſpeciem quandam fidei etiam ſine cognitione Chriſti conſequantur: III,

Omnes

Digitized by Google

Omnes homines, etiam reprobos, poſſe credere, ſi velint, ac ſaluari: Deumque in omnibus hominibus impotentiam credendi ſeque conuertendi naturalem ſanaſſe per gratiam quandam peculiarem & efficacem, ita vt non niſi impotentia quædam moralis ſuperſit: IV, DEVM ab æterno ſaluti æternæ ex ſerio & vehementi deſiderio omnes homines deſtinaſſe, modo in iis inueniat requiſitam diſpoſitionem, quamuis noſſet omnes homines naturaliter eſſe indiſpoſitos: V, Nihilominus eum nolle hominibus omnibus largiri media, ſine quibus ad ſalutem peruenire non poſſint, fidem ſcilicet in Chriſtum & prædicationem Euangelii: VI, Eundem tamen eos, quos odit, & ab æterno reprobauit, ſerio & ardenter, etiam poſt decretum de iis reprobandis, diligere, adeoque in tempore ſerio ad media ſalutis inuitare: Chriſtum quoque cum ſerio eos ſaluandi propoſito mortuum eſſe, & reſuſcitatum pro eorum ſalute Patrem rogaſſe; etſi ſciret ſe minime id obtenturum: VII, Eundem redemiſſe per mortem ſuam omnes homines, remiſſionemque peccatorum & ſalutem quidem illis, non item gratiæ huius applicationem impetraſſe: VIII, Eundem ſatisfeciſſe pro omnibus omnium hominum peccatis: IX, Eundem æque mortuum eſſe pro omnibus, adeoque æque pro Iuda ac pro Petro (in quo tamen diſſentiebat ab Amyraldo Teſtardus) X, DEVM ſemper paratum eſſe ſaluare omnes homines, atque facere, quod ſuum eſt: XI, DEVM vocare omnes homines vocatione generali & ſufficienti, ſed inefficaci: XII, Duplicem faciebant prædeſtinationem ad ſalutem, vnam generalem, per quam DEVS ex amore generis humani omnes homines ſaluari velit ſub conditione impoſſibili, ſi credant, & debito modo ſint diſpoſiti: alteram particularem, nullique conditioni adſtrictam, per quam abſolute & infallibili neceſſita-

te

te certis hominibus fidem, per quam neceſſario ſaluentur, dare decreuerit; illam *primam*, hanc *ſecundam miſericordiam* vocat Amyraldus: ac priorem hominibus inutilem; DEO tamen vtilem eſſe, ait: XIII, ſimiliter & duplicem redemtionem faciebant, generalem & ſpecialem; itemque duplicem fidem; vnam indiſtinctam, quam & Pagani habere poſſint, etſi in Chriſtum non credant; alteram diſtinctam, Chriſtianis propriam: XIV, Leges Moſaicas non alias habuiſſe volebant promiſſiones, quam terrenas de poſſidenda perpetuo terra Canaan: XV, Tria pacta conſtituebant: Naturale, Legale ſiue Moſaicum & Euangelicum: XVI, Opus regenerationis noſtræ tantummodo per moralem quandam ſuaſionem fieri dicebant, &c.

§. XVII.

Hæc dogmata duobus illis Theologis, præſertim Amyraldo, Molinæus, vt dixi, & cum eo ferme Fridericus Spanhemius in tripartito opere *Exercitationum de Gratia vniuerſali, eiusque vindiciis*, Andreas Riuetus & Belgarum alii, nonnullique ex Gallis & Anglis tribuebant, ac, vt Pelagiana, aut ſaltem Semipelagiana, Lutherana, Arminiana, Sociniana & Pucciana, damnabant; eorumque auctores apud ſynodos Galliæ, vt ſchismaticos & ἑτεροδόξους deferebant. Amyraldus tamen, cum antea, tum in libello anno cIɔ Iɔc XLVI edito, cuius titulum fecit *Fidei Moſis Amyraldi circa errores Arminianorum declaratio*; itemque in *Reſponſione ad Exercitationes Spanhemii*, & alibi, quædam ex his a ſe doceri negabat; quædam male ab aduerſariis accepta eſſe querebatur; denique a doctrina Eccleſiarum Reformatarum in ſynodo Dordracena ſtabilita nullo modo (niſi fortaſſe circa vocationem externam) ſe diſſentire profitebatur. Quo factum eſt, vt in duabus ſynodis

Galliæ Nationalibus, vna Alenſonienſi an. CIↃ IↃC XXXVII, altera Charentonienſi, anno CIↃ IↃC XLIV, ab ἑτεροδοξίας crimine abſolueretur. Ei poſtmodum in præcipuis, quæ ſe tueri fatebatur, dogmatis ad hærebant plerique Theologi Reformati Galli (inter quos præcipui Dauid Blondellus, Ioan. Dallæus, Ioan. Croius, cum quibusdam aliis) atque ex parte nonnulli etiam Germani , vt Brandenburgici, Caſſellani & Bremenſes quidam: variisque ſcriptis vtrinque controuerſia hæc diſceptata eſt, donec ante paucos annos opera Principis Tarentini quodammodo componeretur. Sed denuo reſuſcitata eſt, cum anno CIↃ IↃC LV, Ioan. Dallæi *apologia pro duabus Eccleſiarum in Gallia Proteſtantium ſynodis Nationalibus* aduerſus Spanhemii exercitationes olim conſcripta, ſed, vt auctor ipſe *cap. I vindiciarum* ait, vitandæ contentionis ergo preſſa & intra priuata ſcrinia concluſa, Amſtelodami, inſcio ac inuito auctore, publicaretur. Ei enim mox in Anglia Petri Molinæi Filius Ludouicus, in Belgio Samuel Mareſius ſeſe oppoſuerunt: quorum poſteriori anno CIↃ IↃC LVII. *vindicias ſua apologia* oppoſuit Dallæus, mox anno ſequenti a Mareſio in *Exercitationibus decem de gratia*, quas ἐπίκρισιν vocat, & ſubiectis *ſtricturis* in illas vindicias; ac nuperrime a Friderico Spanhemio confutatas. Ceterum Dallæus, cum quo hodie aut omnes aut plerique Galli faciunt, de duabus Hypotheſibus hodie potisſimum controuerti ait; fratrumque Salmurienſium de iis doctrinam his verbis in *ſynopſi apologiæ ſuæ* enunciat: I, *quod DEVS velit omnes*
a p. 99. ſeq. ad 366. *homines ſeruari*: II, *Quod Chriſtus pro omnibus aliquo ſenſu ſit mortuus.* In ſpecie autem conatur oſtendere: I, *quod DEVS velit omnes ſeruari, qui verbum eius audiunt vel legunt; quodque Chriſtus pro omnibus iis mortuus ſit, qui verbum diuinum audiunt*: II, *Quod DEVS velit etiam adultos ſer-*

Digitized by Google

ſeruari, qui verbi expertes, vt pagani, in hoc mundo degunt; & quod Chriſtus pro iſtis adultis extra verbi diuini notitiam degentibus mortuus ſit: III, *Quod & ipſos hominum extra verbi diuini notitiam viuentium liberos infantes, ante rationis vſum ex hac luce ereptos, ſeruari DEVS ſuo quodam modo voluerit; & quod adeo Chriſtus pro ipſis ſuo ſenſu mortuus ſit.* In progreſſu tamen operis tertium Controuerſiæ caput addit, *an ſcilicet DEVS omnes, quos verbo ſuo vocat, quique id audiunt, ad ſalutarem reſipiscentiam & fidem ac ſalutem vocet:* id quod cum ſociis pariter affirmat, atque prolixe probat. Dehinc, ſolutis *parte tertia Apologiæ* aduerſariorum obiectionibus, tam e ſcriptura, quam e ratione petitis, *parte IV,* ſuam ſociorumque ſuorum ſententiam neque cum Semipelagianis, Lutheranis aut Arminianis conſentire, nec a ſynodorum Eccleſiæ Reformatæ decretis diſſentire, nec denique nouam ac ſingularem eſſe, docet. *Tomo* autem *altero* eiusdem operis eandem fuiſſe Orthodoxorum ab initio Eccleſiæ vsque ad noſtra tempora ſententiam, CXX Theologorum Veterum & LXIII recentiorum (qui plerique omnes Reformati fuere,) teſtimoniis oſtendit. *pag. 164. & ſeqq.*

§. XVIII.

Porro quanquam videri poſſint, multisque viſi ſint hi Theologi in doctrina de voluntate DEI, gratiaque diuina & merito Chriſti cum noſtris Eccleſiis facere; res tamen longe aliter ſe habet; cum reuera vix amplius, quam in quibusdam formulis cum noſtrorum doctrina illis conueniat, in re vero ipſa, & iis capitibus, in quibus cardo controuerſiæ inter nos & Caluinianos vertitur, plane cum ſynodo Dordracena conſentiant: adeo, vt teſte Dallæo, *ſanctisſime profiteantur ac iurent ſe ſynodum Dordracenam amplecti, eique vltro ſubſcribant, paratosque ſe eſſe di-* *p. 569. Apolog.*

cant

cant vel ſuo etiam ſanguine obſignare: idque haud omnino falſum eſſe, docent varii floſculi doctrinæ Dordracenæ, quos paſſim in *apologia* Dallæi deprehendas: quales ſunt, quod iuxta eundem Dallæum docent, *DEVM non omnibus hominibus parem ad mortis & ſatisfactionis Chriſti beneficio*
p. 23. *vtendam gratiam conceſſiſſe. DEVM, quia eam vim ſpiritus, qua credentes ad fidem adducuntur, non omnibus dat, non omnes ex æquo dilexiſſe, eorumque ſalutem pariter eodemque voluntatis, etiam antecedentis, gradu non voluiſſe;*
ibid. *Chriſtum non eodem animo parique voluntate pro omnibus hominibus, ſed pro electis peculiari quodam proprioque in eos animo, h.e. non ſufficienter tantum, ſed etiam efficaciter, mortuum eſſe.*
p. 69. & 93. *Etſi omnes homines vocentur ad ſalutem, nihilominus tamen quod pauci tantummodo parent, id ſingulari DEI gratia fieri: quam idcirco conſequantur, quod ad ſalutem electi ſint.*
p. 166. *Etſi Paganis data ſint quædam adminicula, quæ ad aliquem ſalutaris notitiæ gradum per ſe ducant, iisque ſi quis illorum, per impoſſibile, bene vſus eſſet, DEVS vel per Angelum e cœlo miſſum* (ſic enim ſe opinari profitentur,) *illis*
Dall. p. 609. Apol. *manifeſtaturus fuiſſet eam ſui cognitionem, quæ illo tempore in Eccleſia obtinebat; neminem tamen ex iis reſipiſcere potuiſſe.*
p. 298. 361. 609. *DEVM etiam antecedenti voluntate electos ceteris hominibus prætuliſſe magisque amaſſe, quam reliquos; & Chriſtum eo animo eaque efficacia pro iis mortuum, vt non ſaluari non poſſint: eosdemque ſic ſingulari ratione a DEO vocari, vt eos non obſequi impoſſibile ſit.*
p. 593. *Vnam eſſe ſimplicemque non omnium, ſed quorundam, non ad fidem ſolam, ſed ad fidem ſalutemque: non ex vllo præuiſu hominis ſiue præſenti ſiue futuro merito vel actu* (adeoque nec fide) *ſed ex mero DEI beneplacito, non mutabilem, ſed fixam conſtantemque ac immutabilem electionem.* Quibus adde, quod *non audent dicere,*
p. 606. *Chriſtum eſſe pro reprobis mortuum, niſi fortaſſe ſenſu diuiſo &*

Digitized by Google

& materialiter (hoc eſt, vt exponit Dallæus, *pro iis hominibus; qui alia ratione, alioque in DEI decretis momento reprobati ſunt, quam qua ratione, quoque momento, a DEO Chriſtum ad mortem deſtinante, conſiderati ſunt.*) quodque etiam nomen *gratiæ vniuerſalis* auerſantur &c. Vnde profitetur Dallæus, in doctrina ſibi & ſociis cum reliquis Caluinianis omnino conuenire, methodique potius, quam dogmatis diſcrimen esſe, dum alii alias hypotheſes, quibus dogma ſuum aduerſus heterodoxos defendant, asſumunt. Cum tamen eorum aduerſarii, præſertim Belgæ, omnes illorum doctrinæ addictos (quos *Salmurienſes* & *Hypotheticos* vocant) pro ἑτεροδόξοις habeant, neque ad ſacrum miniſterium quenquam, qui illis Præceptoribus vſus eſt, immo etiam, qui non vſus eſt, admittant, niſi expresſe eam damnauerit. *p. 17.* *p. 95. 96. & alibi.*

§. XIX.

Ratione gubernationis Eccleſiaſticæ, ſacrarumque cærimoniarum, iidem Caluiniani diſtingui posſunt in *mitiores* & *rigidiores*. *Mitiores* voco, qui Hierarchiam Eccleſiaſticam ex Episcopis, Presbyteris & Diaconis, &c. conſtantem, itemque cærimonias ſacras, quæ alicubi etiam in noſtris Eccleſiis e Papatu retentæ ſunt, retinent, aut ſaltem ſalua conſcientia ac libertate Eccleſiaſtica retineri posſe putant. Quales ſunt, qui in Anglia *Episcopales* vocantur. *Rigidiores*, qui non ſolum omnes Episcopos (a Presbyteris, ſiue paſtoribus diſtinctos) eorumque regimen, vt Anti Chriſtianum reiiciunt, penesque ſola presbyteria & clasſes ac ſynodos, aut etiam totam Eccleſiam, regimen Eccleſiaſticum esſe volunt; ſed etiam omnes cærimonias ſacras, a nobis adhiberi ſolitas, altariaque, imagines, muſicam organicam &c. vt idololatrica reſpuunt. Atque hi ſunt, qui *Puritani* vulgo vocantur; quod Eccleſiam ſuam non ſolum ab omni regimine &

cærimoniis Anti-Chriſtianis, ſed etiã ab omnibus grauioribus criminibus puram eſſe volunt. Horum doctrinam pridem deſcripſit Anglus quidam in tractatu, cui titulus: *Puritaniſmus Anglicanus;* ſed melius Petrus Gartz, Hamburgenſis, in *tractatu Germanico*, qui inſcribitur, **Puritaniſcher Glaubens- und Regiments-Spiegel**; & quos ille laudat, *Iacobus*, *Rex Magnæ Britanniæ* in *præfatione* ad Cæſarem, Reges & Principes Europæ, *Dono regio* præfixa, Philalethes quidam in *Commentario de moribus Scotiæ*, Honorius Rheggius ſiue Georgius Hornius, in *tractatu de moderno Statu Eccleſiæ magnæ Britanniæ*, & Salmaſius in *defenſione regia c. xI*, Videri poteſt & Ioan. Hoornbeck *lib. x ſummæ Controuerſiarum Religionis;* vbi non ſolum dogma-
p. 745. ſeqq. ta Brovvniſtarum peculiaria, ſed etiam ea recenſet, quæ illi cum Belgicis Eccleſiis, id eſt, cum reliquis Puritanorum communia habent.

§. XX.

Sunt autem & Puritani non vnius generis: quidam enim, iique longe plurimi, vt Belgæ, Galli, Heluetii omnes, aut pæne omnes, admittunt gradus regiminis Eccleſiaſtici, ita vt presbyteria claſſibus, claſſes ſynodis ſubiiciantur: certas quoque precandi formulas admittunt, & Eccleſiæ regimen penes Paſtores, Doctores & Presbyteros ſiue ſeniores Laicos, vna cum illis presbyteria conſtituentes, conſtituunt. Hique a nonnullis *Presbyteriani* appellantur. Alii vero ſingularum Eccleſiarum regimen independens, nulliusque alterius Eccleſiæ aut cœtus iudicio vel correctioni, multo minus excommunicationi, obnoxium, poteſtatemque gubernandi Eccleſiam penes eam totam & ſingula eius membra eſſe, adeoque omnia negotia Eccleſiaſtica publice, in facie totius Eccleſiæ, atque ab ea, tractari volunt; nullis certis precan-

candi formulis, ne quidem orationi Dominicæ, alligari ſe patiuntur: nullos dies feſtos, præterquam Dominicum, celebrant: nulla templa aut campanas, quibus Pontificii olim vſi ſunt, ad ſacra ſua adhibent: omnium Eccleſiarum fines intra vnius templi aut loci alterius, immo interdum intra vnius domus ambitum, coercent, &c. Hi *Independentes, Brovvniſtæ, Separatiſtæ*, aliiſque nominibus, multi etiam *Puritani* in ſpecie, appellantur; ac denuo in varia genera diſtribui posſunt. De quibus omnibus, quoniam vix alibi, quam in ditionibus Anglicanis & Belgicis reperiuntur, in tractatione ſpeciali plenius agemus.

§. XXI.

E ſecundariis ſectis præcipuæ ſunt *Socinianorum*, *Arminianorum, Anabaptiſtarum & Enthuſiaſtarum*, ſiue Fanaticorum. Hæque omnes per varia Europæ imperia ſparſæ, reperiuntur. Reliquæ ignobiliores ſunt & ferme intra vnius, alteriusque imperii limites ſeſe continent; adeoque commodius in ſuo quæque Imperio exponentur.

§. XXII.

Socinianorum, ſiue vt alias vocari ſolent, *Antitrinitariorum, Neo-Photinianorum, & Nouorum Arianorum* princeps dogma eſt negata Perſonarum diuinarum Trinitas, Chriſti vera DEItas, ac Spiritus S. ſubſiſtentia peculiaris. Cetera potiora ferme hæc ſunt: I, Negata ſatisfactio Chriſti pro peccatis noſtris: II, Negatæ promisſiones vitæ æternæ fidelibus V. Teſtamenti factæ: III, Lex cum Euangelio confuſa, dum fidem per obedientiam definiunt; IV, DEI præſcientia, omnipræſentia, omnipotentia, aliaque attributa diuina negata: V, Negatum peccatum originale, & in infantibus etiam actualia: VI, Libero hominis arbitrio tributa vis ſeſe conuertendi: VII, Negata reſur-

rectio corporum noſtrorum eiusmodi, vt eodem numero reſuſcitentur: VIII, Conficta præcepta nouæ Legis Euangelicæ: IX, Baptiſmi neceſsitas & efficacia ſublata: X, Spreta vocatio miniſtrorum Eccleſiæ, tanquam non neceſſaria: XI, Denegatum magiſtratui ſummisque poteſtatibus ius gladii bellique aduerſus Chriſtianos alios &c. Quæ & alia plura plenius recenſuerunt, ſimul ſolide accurateque confutarunt, e noſtris Theologis D. Balthaſar Meisnerus in *breui conſideratione Theologiæ Photinianæ*, & D. Iacobus Martini in *ſynopſi religionis Photinianæ*, D. Theod. Thummius in *Impietate Photiniana, & Tractatu de triplici officio Chriſti*, D. Ioſua Stegmannus in *Photinianiſmo*, D Iuſtus Fevvrbornius in *Anti-Oſtorodo & Anti Eniedino*; ac nuperrime D. Abrahamus Calouius in *Socinianiſmo profligato*: e Reformatis poſt alios Hoornbeck in *Socinianismo confutato*, & Samuel Mareſius in *AntiVolkelio*. Quæ ad Hiſtoriam ſectæ huius pertinent, poſt alios congeſsit nuperrime idem Hoornbeck, tum ſub initium *Socinianismi refutati*, tum *libro VII*, *operis ſæpius laudati*. Confeſsio fidei ipſorum ſemel iterumque excuſa eſt in Belgio; ſed in ea paſſim virus & impietatem ſuam occultant.

§. XXIII.

Sunt autem nec Antitrinitarii vnius generis. Quidam enim & plerique Chriſtum pro nudo homine habent: alii, etſi negant, eum eſſe DEVM illum æternum, tamen ante mundi primordia fuiſſe, immo mundum per ipſum conditum eſſe admittunt. Hique *Ariani* dicuntur. Quidam Chriſtum adorant, ſed non cultu diuino: alii plane adorari nolunt. Alia diſcrimina heic omittimus.

§. XXIV.

Quæ ſit *Arminianorum*, ſiue, vt ipſi ſe appellant, *Remonſtrantium*, aut *Remonſtrantico-Reformatorum* doctrina,

na, aliquanto difficilius eſt definire: partim, quod in confeſſione ſua, aliisque ſcriptis, paſſim ſententiam ſuam occultant, neque tam, quid ſibi videatur, declarant, quam Scepticorum more, quæ aliæ ſectæ pro certis affirmant, in dubium vocant: partim, quod ſubinde ſententiam ſuam mutauerint, indies in deterius prolapſi, nec, vbi ſubſiſterent, inuenientes. Initio, & ante Synodum Dordracenam, quæ ipſorum cauſſa coacta eſt, a Reformatis reliquis non niſi in doctrina de prædeſtinatione & gratia diuina, ſiue in quinque articulis de voluntate DEI omnes homines ſaluandi, de electione præuiſu fidei, reprobatione præuiſu malorum operum facta, de perſeuerantia ſanctorum, deque meriti Chriſti & vocationis diuinæ vniuerſalitate, ſe diſſentire profitebantur: in ceteris autem dogmatis, vt de natura DEI, Trinitate & æternitate Iesv Christi, de perfecta ſatisfactione Christi pro peccatis noſtris præſtita, de iuſtificatione hominis coram Deo, de fide ſaluifica, de peccato originali, de certitudine ſalutis, de perfectione hominis in hac vita, ſe ſic ſentire ac credere, vt priſcis Eccleſiæ ſymbolis & Confeſſionum Reformatorum harmonia definitum eſt; in conſpectu Dei proteſtabantur. At poſtea multa Socinianorum dogmata aut aperte tueri, aut vt veriſimilia, nec a ſacris litteris diſerte damnata, toleranda dicere; aut ſaltem iisdem, quibus illi, phraſibus & loquendi modis vti cœperunt. Quo pertinent: I, quod negant Dei ſimplicitatem, omnipræſentiam, omniſcientiam, adeoque & cognitionem futurorum contingentium, itemque perſonarum diuinarum Trinitatem, e S. litteris probari poſſe: II, Quod doctrinam de SS. Trinitate ad ſalutem creditu neceſſariam eſſe, vllamque credentibus eam vtilitatem afferre poſſe, inficiantur: III, Quod ſubordinatio-

nem inter perſonas diuinas docent, & Patrem ſupra Filium & Spiritum Sanctum dicunt excellere ordine, dignitate, poteſtate, periculoſeque videri errare, qui Filio & Spiritui Sancto communem naturam diuinam cum Patre eſſe contendant: IV, Quod dicere vnum eſſe DEVM & tres perſonas, ſi de vnitate numerica eſſentiæ accipiatur, contradictionem apertam inuoluere; quodque id, quod dicitur, ſingulas perſonas non habere ſuam propriam eſſentiam, pro mero cerebri hominis figmento habendum, docent: V, Quod negant, electionem ex præuiſa fide ac reprobationem ob mala opera ab æterno facta eſſe; tantumque admittunt confuſum quendam conceptum de ſaluandis credentibus: ipſam autẽ electionem & reprobationem in tempore demum fieri volunt: VI, Quod negant, quenquam ob peccatum originis damnari; aut illud proprie dici poſſe peccatum: VII, Quod Chriſtum pro peccatis ſatisfeciſſe, non audent aſſerere: VIII, Quod legem nouam Euangelicam a Chriſto ſancitam admittunt: IX, Quod negant fidem ſaluificam in Chriſtum ſub V.T. aut viguiſſe, aut præceptam fuiſſe: X, Quod nolunt, hominem iuſtificari imputatione iuſtitiæ Chriſti in remiſſionem peccatorum, ſed fide, vt eſt actus ac opus noſtrum, obedientiam operum Euangelicorum includens: XI, Quod homines etiam ſine cognitione Chriſti ſaluari poſſe affirmant: XII, Quod regenitos abſque omni lucta omnia præcepta diuina præſtare & implere poſſe, ſtatuunt: XIII, Quod vocationem miniſtrorum neceſſariam eſſe negant: XIV, Quod baptiſmum infantum Chriſti aut Apoſtolorum præcepto inſtitutum eſſe, inficiantur: XV, Quod Sacramentorum adminiſtrationem cuiuis fidelium concedunt: XVI, Quod S. cœnam tantum ad commemorationem mortis Chriſti celebrari debere, aiunt: XVII, Quod quæſtio-

ſtiones de ſtatu animarum poſt mortem, & reſurrectione corporum eorundem numero, vt ſuperuacaneas, rident: XIIX denique, quod dogmata ad ſalutem neceſſaria pauciſſima eſſe, ac ſolummodo tribus hiſce capitibus, fide diuinorum promiſſorum, obedientia diuinorum præceptorum, & debita ſcripturis reuerentia, comprehendi, adeoque omnes Chriſtianorum cœtus in his conſentientes in vnum Eccleſiæ corpus coire oportere, contendunt. Quæ omnia & alia plura, prolixe enumerant ac refellunt e Reformatis plurimi, inter quos Hoornbeck *lib. VIII, ſummæ Controuerſiarum* præcipue commendat Guilielmum Ameſium *ad collationem Hagienſem* & in *Antiſynodalibus*; Voëtium & Heidanum *aduerſus Catecheſin Remonſtrantium*, & Triglandii *Diſputationes Antapologeticas:* quibus addi poſſunt Nicolaus Vedelius in *Arcanis Arminianiſmi*, Ioannes Iunius in *Antapologia*, & Petrus Molinæus in *Anatome Arminianiſmi.* E noſtris ſolus, quod ſciam, D. Calouius in *Arminianiſmo* plane penituſque eas controuerſias pertractauit.

§. XXV.

Anabaptiſtarum, ſiue, vt alias a maiore ac vulgatiore eorum parte vocari ſolent, *Mennonitarum* varias opiniones ex propriis ipſorum ſcriptis (quorum catalogum, in procemio exhibent) tanquam in tabula, iuſſu Belgicarum aliquot ſynodorum congeſſerunt Petrus Iacobi, Auſtroſyluius, & Abrahamus a Dooreslaar in *Corpore Controuerſiarum Anabaptiſticarum*, anno cIↃ IↃC XXXVII, lingua Belgica, loco prodromi ad exſtruendam hinc plenam Anabaptiſmi confutationem publicato. Sed bene obſeruauit Ioan. Hoornbeck eorum dogmata tripliciter diſtingui debere. Alia enim eſſe communia omnibus Anabaptiſtis; alia ſingularia certis ipſorum ſectis ſiue cœtibus; alia deni-
l. V, Summ. contr. p. 366

que

denique propria quorundam Doctorum Anabaptiſtico-rum. De duobus poſterioribus dogmatum generibus non eſt, cur heic ſoliciti ſimus. Infinita enim illorum varietas eſt. Communia autem, e quibus vulgo noti ſunt, quinque eſſe Hoornbeck ſcribit. Primum oppugnati baptismi
l. c. p. 358.
infantum; ſecundum defenſi Anabaptismi: tertium negatæ Chriſti ex matris ſubſtantia incarnationis: quartum interdicti ipſis omnis generis iuramenti: & quintum interdicti officii magiſtratus ſiue iuris gladii ac belli. Quos errores omnes non tam ex malitia, quam ex imperitia diſtinguendi ortos eſſe, oſtendere conatur idem Hoornbeck.
p. 361. ſeqq.
Ceterum idem *ſub finem dicti libri quinti*, vbi controuerſias enodat, quas communiter Anabaptiſtæ Reformatis faciunt, multo plura ipſorum dogmata notat; qualia ſunt (vt taceamus ea, in quibus recte nobiſcum contra Caluinianos ſentiunt) quod I ſolum N. T. ſcripturam pro Canone fidei agnoſcant: II, Quod nolint de DEO Patre, Filio & Spiritu Sancto vſurpari voces *Perſonarum* & *Trinitatis*: III, Quod in DEO dicant eſſe diſtinctas eſſentias: IV, Quod negent omnes homines naſci cum peccato originali: V, Quod negent primos homines iuſtos & ſanctos creatos eſſe; ac, ſi non peccaſſent, non fuiſſe morituros: VI, Quod etiam poſt lapſum homini tribuant vires liberi arbitrii ad præſtandum bonum ſpirituale ſufficientes: VII, Quod diuinam Chriſti naturam, per vnionem perſonalem, viſibilem, paſſibilem & mortalem factam eſſe affirment: VIII, Quod Chriſtum legem Moſis moralem nouis præceptis correxiſſe atque adauxiſſe dicant: IX, Quod hominem fidei & conuerſioni ſuæ cooperari ſtatuant: X, Quod hominem eo perfectionis in hac vita peruenire poſſe credant, vt ſit abſque omni peccato: XI, Quod miniſtris Eccleſiæ certum ſtipendium deberi negent: XII,
Quod

Quod peccantes etiam ſine præcedenti admonitione, etſi reſipiſcant, ab Eccleſia excommunicari poſſe; eamque excommunicationem vinculum diuinum & humanum, ſocietatis naturalis, domeſticæ & Politicæ dirimere affirment. Denique XIII, quod hominum animas poſt hanc vitam neque cœleſti beatitudine frui, neque pœnas infernales ſentire; ſed omnes in ignoto aliquo loco vsque ad iudicii diem quieſcere & quaſi dormire dicant. Addunt alii & hæc: I, Eos Chriſti & Spiritus S. Deitatem, Chriſtique officium impugnare: II, Salutem operibus hypocriticis adſcribere: III, Sacramentorum virtutem ac miniſtrorum Eccleſiæ officium eleuare: IV, Polygamiam probare &c. Porro quod eorum mores ac vitam attinet, tantam vitæ ſanctimoniam præ ſe ferunt, vt alios facile in admirationem rapiant; inprimis vero caritatem erga proximum iactant, ac proinde nullos inter ſe mendicos eſſe patiuntur; & ſi quis naufragium aut iacturam fecit, eam communi contributione ex parte reſarciunt. Oſculum pacis & pedum lotionem, tanquam præcepta Chriſtianis omnibus obſeruanda, non aliter, ac ſi ſacramenta eſſent, plerique ipſorum adhibent. Denique ſuos omni macula, omnibus ſecleribus carere volunt; ſcandalum præbentes ſtatim excommunicant. Vnde tot inter ipſos ſectæ natæ ſunt; cum ſuper leui cauſſa interdum ſchisma inter eos oriatur. Sic cum an. CIƆ IƆLXXXVI. emta ab ipſorum Epiſcopo Thoma Benckens in vrbe Franekerana domo, quidam eum bona fide verſatum in ea re dicerent, alii negarent, ſchisma inde natum eſt, & qui Epiſcopum tuebantur, *Domus Emtores*; qui accuſabant, *Contra-Emtores* dicti ſunt. Quibus mox acceſſere tertii, *neutrales* dicti, qui emtionem quidem culpabant, ſed Eccleſiam propterea ſcindi nolebant. Nihilominus Contra-Emtores crudelem *Hoornb. l. c. p. 351.*

in modum excommunicabant emtores. Scripſere contra Anabaptiſtas plures ex noſtris & Reformatis. Inter Reformatos maxime celebrantur præter ſupra laudatos auctores Corporis Controuerſiarum Anabaptiſticarum, Ioan.Cloppenburgius in *Gangrana Anabaptiſtica* & Fridericus Spanhemius in *Diſputationibus contra Anabaptiſtas*, Lugduni Batauorum habitis, & nuper Geneuæ recuſis. E noſtris ſuperiori ſæculo Ioan. Wigandus prolixe aduerſus eos ſcripſit.

§. XXVI.

In vniuerſum Anabaptiſtarum alii ſunt *Monaſterienſes* ſiue *Batenburgici*; alii *Mennonitæ*. Qui poſteriores a prioribus in duobus potisſimum capitibus differunt. Nam neque vxorum pluralitatem & leues ob causſas ab illis prioribus fieri ſolitum diuortium; neque ſpem de futuro inſtantique alio Chriſti in terris regno, & admiranda Eccleſiæ per nouam & extraordinariam misſionem Spiritus S. reſtitutione, quam Monaſterienſes fouebant; approbant. Similiter nec reuelationes, vt illi, iactant, neque turbas & tumultus ab illis excitatos probant. *Mennonitæ* denuo in duas ſectas diuiſi ſunt, vnam *Rigidiorum Excommunicatorum*, qui & *Flandri* ac *Mennonitæ Veteres* appellantur: alteram *Mitiorum*, qui etiam *Friſii*, ac a Flandris contumelioſo nomine *Borboritæ* vocantur. Illi cum excommunicatis communis vitæ officia obire, edere, mercari, habitare licere negant; eamque ob causſam ſæpe vxores a maritis, liberos a parentibus, fratres a fratribus auellunt. Hi moderatiore inſtituto vſi, laxiore diſciplina viuunt, excommunicatosque ab aliis ſuorum ſectis ſine rebaptizatione recipiunt. Vtrique poſt fruſtra tentatam inter illos anno CIↃ IↃ LXVII conciliationem, tanto ſe odio inuicem proſequuntur, vt quandoque nec vna ambulare,

ede-

edere, aut colloqui, etiam in ſuprema mortis neceſſitate, ſuſtineant. His poſtea acceſſit tertium genus, qui *cœtus vniti* vocantur, quod priorum ſchisma deteſtantur & in vnum aguntur: Belgis die Water-Länders / quod in tractu Hollandiæ Boreali orti ſunt. Sed de his omnibus prolixe Hoornbeck & Spanhemius *in Diſp. I aduerſus Anabaptiſtas.*

§. XXVII.

Enthuſiaſtarum, prout ab Anabaptiſtis diſtinguuntur (nam & his nomen illud olim, cumprimum orti eſſent, tributum legimus) varia, pro ſectarum diuerſitate, ſunt dogmata, pleraque recenſita & confutata a Philippo Marnixio in *lib. Belgico contra Enthuſiaſtas*; eiusque *apologia*; Pinciero in *Antidoto contra Enthuſiaſtas*, & Spanhemio in *Diſputationibus contra Anabaptiſtas, a Diſputatione XVI, vsque ad XX.* Communia & potiora hæc ſunt: I, Scripturam Sacram non eſſe verum, vnicum atque ſufficiens DEI verbum, nec perfectam, omnibusque ſemper neceſſariam, fidei regulam; ſed eſſe ſimplicem litteram, elementum, alphabetum, ſolis pueris, non adultis & ſpiritualibus, quales ipſi ſint, imperandam aut præſcribendam: II, Eandem ſcripturam S. non eſſe explicandam & intelligendam iuxta verborum ſenſum; ſed iuxta liberum & proprium cuiusque ſpiritum & afflatum; qui ſit verum, internum & ſpirituale DEI verbum, ſcripturæque norma ac iudex; quam proinde nouis, obſcuris, inauditis, ſublimibus, allegoricis, myſticisque terminis & locutionibus exponunt: III, Eſſe homini aliquod ſingulare & proprium ſabbatum, ſiue quietem animæ frequentandam, in qua omnium vacuus in ſe abire, hærere, ac præſtolari debeat cœleſtem a DEO Enthuſiasmum, qui tum ſit certiſſimum DEI verbum & Spiritus: IV, homines in ſe ac ſpiritu ſuo

omnia habere, ac proinde hunc ſolum, vt omnium credendorum ac faciendorum normam, ſequi debere: V, Hoc ſpiritu actos ita in DEVM rapi, & cum eo vniri, vt deificentur.

§. XXVIII.

In ſpecie huc pertinent (I,) *Danidioriſtæ*, ſic dicti a *Dauide* quodam *Georgio* Delphenſi, litterarum rudi, ſed ingenioſo homine: cuius hiſtoriam videte apud Thuanum *lib. XXII hiſtor.* Micrælium *lib. III hiſt. Eccl. ſect. II p. 666. & ſeqq. edit. nuperrimæ*, Nic Blesdikium, generum eius, in *hiſtoria ſoceri ſui*, cuius partem Iacobus Reuius edidit, Vbbonem Emmium in *libro* Belgico *de ſpiritu Dauidioriſtico*, & Hoornbeck *lib. VI ſumma Controuerſ. pag. 387. & ſeqq.* Hic docebat I, DEVM vltimo ſe perfectisſima reuelatione manifeſtasſe in ſe, Dauide Georgio, tanquam altero Chriſto, eoque meliore magisque ſpirituali, quam fuerit prior: II, Secum in Eccleſia deſinere debere omnem cultum religionis externum, prædicationem verbi, ſacramentorum aliarumque rerum vſum: III, Angelos non esſe ſubſtantias ſpirituales, ſed tantum cogitationes ac motus animi; dæmones autem nihil niſi carnis aduerſus mentem rebellionem: IV, Vitam æternam, cœlum, extremum iudicium, infernum, intra hominem omnia esſe, & heic ſolummodo, non alibi, exſpectanda: V, Peccata omnia ſingulos palam in Eccleſia confiteri debere: VI, ad perfectionem hominis facere, ſi omnis partium genitalium pudor deponatur: VII, Polygamiam & bonorum omnium communionem introducendam esſe. Refutauit hanc hæreſin Vbbo Emmius *duobus libris peculiaribus*, Belgico ſermone conſcriptis: (II) *Henri-Nicolaitæ*, ſiue, vt ſe ipſi appellant, *Familia Charitatis*, orti a quodam Henrico Nicolai, Monaſterienſi, qui ſub annum Chriſti CIↃ IↃ LVI noua para-

radoxa diſſeminare cœpit, a Gabriele Angelo, vt fingebat, ſibi reuelata. Moſi & Chriſto palam ſe præponebat, huic fidei, illi ſpei præconi, ſe charitatis vtraque maioris doctorem præferendum eſſe dictitans; quodque non, vt illi, in atrium vel ſanctum, ſed in ſanctum ſanctorum penetraret. Quam magnifice de ſe ipſo loqui ſit ſolitus, docet exordium libri, cui titulum fecit *Euangelium Regni*, deſcriptum ab Hoornbeck. Dogmata eorum, præter communia de Enthuſiaſmo & Deificatione, hæc ſunt: I, Externam religionis profeſſionem non eſſe neceſſariam, neque pro ea loquendum aut certandum, nedum graue quid patiendum; aut in altero, quamcunque religionem ille teneat, aliquid hoc nomine reprehendendum eſſe; ſed ſimulandam pro re nata religionem, vt viſum, omnique ſectæ, etiam falſam religionem docenti, adhæreri poſſe; denique cum nemine ſuper religionis negotio contendendum: II, Neceſſe non eſſe, vt vitam ad regulam vel verbum DEI, aut aliquam disciplinam componamus, id enim Pædagogicum atque ſeruile nimis eſſe: III, Suam illam familiam caritatis eſſe hominum plane perfectorum & deificatorum, qui neque peccent amplius nec a peccato quidquam patiantur; atque ita libere & innocenter inter ſe viuant, vt etiam denudare ſeſe coram ſociis minime eos pudeat: IV, Nullam fore corporum poſt mortem reſurrectionem: ſed omnem reſurrectionem in hac vita contingere, nec aliam eſſe, quam ex peccatis, &c. Refutarunt hos Belgico ſermone Theodorus Coornhertius, Caſpar Greuinchouius; Anglico Henricus Ainsvvorthus, Ioannes Knevvſtub, Ioan. Etheringtonius, & in *libro contra Antinomos* Samuel Rhetorfortis: (III,) *Weigeliani*, ſic appellati a Valentino Weigelio, verbi diuini Zshopæ in Miſnia miniſtro, homine ambitioſo, audaci & nouita- l.c.pag. 594

tis ſtudioſo: qui qualicunque Theologiæ & Philoſophiæ cognitione abuſus e Platonis, Pſeudo-Dionyſii Areopagitæ, & ſimilium ſcriptorum, ſed maxime ex Mercurii Triſmegiſti, Theophraſti Paracelſi, Caſp. Schvvenckfeldii, & Paulli Lautenſacks (Organiſtæ Norimbergenſis,) ſcriptis, variis libris, circa annum huius ſæculi duodecimum in lucem editis, nouam Theologiam, non ſolum inſulſam, abſurdam, ac impiam ſed etiã blasphemam, cudere, cunctisq; mortalibus ſub interminatione æternæ damnationis obtrudere cœpit; omnium ſcientiarum encyclopædiam perfectisſimam ſectatoribus ſuis, ſine vlla Grammaticæ, Dialecticæ & linguarum ope pollicitus, omnesque Patres, Doctores, Academias, Scholas, Eccleſias vt Anti-Chriſtianas, ſpernens atque condemnans; ſolique ſibi & ſuis donum intelligendi ac interpretandi myſteria ſacrarum litterarum tribuens. Dogmata eius alia communia ſunt ei cum aliis enthuſiaſtis aut hæreticis, alia propria. Inter communia ſunt, ſcripturam S. esſe litteram mortuam, hoc eſt, obſcuram, inefficacem, imperfectam, adeoque lumine naturæ, reuelationibus internis, ſilentio ſabbathico, alloquiisque Angelicis perficiendam: Deum non esſe omnipræſentem; in eodem esſe varios affectus; nullum esſe peccatum originis; legem perfecte impleri posſe; ſolos N.T. ciues, & quidem credentes, a Chriſto redemtos esſe; hominem habere fidem quandam naturalem efficacisſimam, & lumen innatum, quod qui ſequatur, ambulet in auguſta ſemita ad vitam; ſacramenta tantum ſignificare, non autem conferre gratiã, nec necesſarium esſe aut præceptum eorum vſum; renatos non posſe peccare; eosdem cum Chriſto corporaliter vniri; ore licere negare veram fidem, nec de fide cum quoquam litigandum esſe; mortuos ante Chriſtum natum in atrio inferni reſur-

rectionem Chriſti exſpectaſſe,&c. Propria hæc ferme feruntur: Deum eſſe creaturarum omnium eſſentiam, facere & creare ſeipſum; Filium & Spiritum S. eſſe creaturas; nec ante opus creationis perſonas in DEO fuiſſe; ſecundum terrenum tantummodo modum tres eſſe temporales perſonas diſtinctas, ſecundum officia & proprietates; at ſecundum cœleſtem modum Patrem eſſe Filium & SpiritumS. SpiritumS. eſſe Patrem & Filium; Filium eſſe ipſum Patrem & SpiritumS. Neq; ſolum filium hominem & filium Mariæ factum eſſe; ſed etiam Patrem & SpiritumS. Spiritum S. ante Chriſtum natum a ſolo Patre proceſſiſſe, tantumque ex dimidia parte datum fuiſſe. Chriſtum duo habere corpora, vnum mortale & viſibile ex Maria virgine: (quod tamen non ſit Adamicum, aut ex quattuor elementis, vt noſtra corpora, conſtans) alterum cœleſte & diuinum, de Spiritu S aſſumptum; eundem non redemiſſe carnem Adamicam, ſed ſolum animam; hominem omnium rerum ſemina in ſe habere, & partem boni ac mali; idque eſſe arborem ſcientiæ boni & mali in Paradiſo. Proinde nullum ſcibile extrinſecus inferri; ſed in nobis latere omnia, indeque excitari. Hunc igitur agrum homini colendum, neque aliud ſtudendum eſſe, quam id, quod ipſe eſt, & vnde compoſitus. Eundem conſtare corpore, anima & ſpiritu: Corpus e limo terræ, id eſt, aqua & terra eſſe; animam ex igne & aëre; ſpiritum e firmamento; quod vniuerſum in ſe habeat, quemadmodum & omnia elementa, ac inſuper cum mente omnia æterna, ac temporalia; homines fideles habere duo corpora, ſpirituale ſiue internum, & corporale ſiue externum; ac etſi externum corpus comburatur; internum tamen illæſum permanere. Cuiuslibet hominis natiuitatem ſuo Planetæ ſubeſſe, a quo porro dependeat, qualis ipſe ſit. Secundum

dum horum planetarum ductum hominem quomodocunque viuere ſex hebdomadæ diebus; at ſeptimo, ſabbato nimirum, aliam ſibi debere natiuitatem conſtituere ac ſequi, & priorem plane abnegare, ac ab eiusmodi cogitationibus & operibus abſtinere, quia nemo talis, qualis ex planetis eſt, in regnum cœlorum admittatur. Nullum enim agricolam, fabrum, minerarium; nullum Doctorem, ICtum, Principem, Aulicum; nullum maritum, vxorem, patrem, filium, fratrem, ſororem; nullum Muſicum, Aſtronomum, Medicum, Phyſicum, Philoſophum aut linguarum magiſtrum; nullum Papam, Cardinalem, Epiſcopum, Concionatorem, Profesſorem, Ludimagiſtrum, monachum, Alchimiſtam, nautam, venatorem &c. cœlum intraturum, (cum omnes hi alicuius Planetarum, qui tam ad mala, quam ad bona influat, filii ſint, neque illorum operæ aliquis in regno cœlorum ſit vſus) ſed ſolos pueros & Chriſtianos, nouasque creaturas. Cognoſcens cum cognito vniri ac idem fieri realiter ac esſentialiter. In ſchola gratiæ a mente ſiue fide, qui rationi ac ſenſui ſilentium imponit, vniri & combinari realiter duo contraria & contradictoria, non per explicationes aliquas & diuerſos reſpectus aut diſtinctiones, vt in ſcholis fieri ſolet; ſed abſolute, ſimpliciter & promiſcue, ita vt ſimul abſolute vera ſint. Sic v.g. vera esſe abſolute, DEVM pœnitere alicuius & non pœnitere; eundem esſe æternum & non esſe æternum; Filium creatum esſe & non esſe creatum; immo cœlum esſe infernum & viciſſim &c. Chriſtum esſe beſtiam illam apocalypticam, cuius numerus 666 & non esſe; DEVM & bonum & malum esſe, &c. Atque ſine hac combinatione nullam perfectam omnium rerum cognitionem obtineri posſe Peccatum nullum esſe, niſi infidelitatem. Concupiſcentiam, in quam non conſentimus, ni-

nihil nocere. Peccatum & accidens eſſe & ſubſtantiam; adeoque hominem & ſubſtantialiter & accidentaliter corruptum eſſe. Omnes infantes in Chriſtum credere. Non iuſtificari nos imputatione iuſtitiæ Chriſti, ſed mortificatione membrorum,& ſubſtantiali Chriſti inhabitatione. Hominem per regenerationem adſumere ex Chriſto carnē plane cœleſtem, & immortalem; adeoq; regeneratos cum Chriſto corporaliter vniri, filiosque DEI eſſe non adoptiue, ſed ſecundum ſanguinem, ex DEO ipſo, heredes DEI. Regenerationis impedimenta eſſe verbi diuini auditionem, cœtuum publicorum frequentationem, & vſum ſacramentorum. A DEO non eſſe petenda corporalia. Eccleſiam non eſſe in loco certo, non in cœtibus, neque ſibi asſociare Principes. Notas eius non eſſe verbum & ſacramenta. Vbi cœtus viſibilis ſit, ibi non eſſe Eccleſiam veram. Non eſſe purgandam Eccleſiam; non reſiſtendum hæreticis. Omnes in ſcholis atque Academiis & ab hominibus inſtitutos, omnes item non immediate a DEO vocatos,ad S.miniſterium eſſe ineptos, neque Chriſtum agnoſcere, immo nec agnoſcere velle. Oportere Theologiæ diſcipulum omnia dediſcere, quæ prius didicit,& in ſchola ſilentii ac ſabbati erudiri. Omnes ſynagogas, Academias,Conſiſtoria & concilia ſæcularium principum ope,hoſtes Chriſti eſſe. Miniſtros Eccleſiæ non debere vni loco affixos eſſe, nec ſalaria accipere. Chriſtum non vti opera hominum in remittendis peccatis. Magiſtratui non eſſe curandum proceſſum iuris, ſed ſolis Chriſti regulis nitendum, neque capitis ſupplicium a quoquam ſumendum, aut vectigalia & tributa exigenda; totum autem ius Iuſtinianeum abrogandum eſſe. Nec licere Chriſtianis coram magiſtratu contendere In S. Euchariſtia non exhiberi nobis Chriſti verum, & naturale corpus ex Adamo ſumptum, ſed nouum ac cœleſte. Reſurre-

Digitized by Google

ctionem fidelium futuram quidem in carne Adami, at in ea ad iudicium & vitam æternam illos adductum non iri, ſed in nouis & cœleſtibus corporibus; damnatorum quoque corpora cnm mundo interitura. Infernum eſſe in cœlo, & cœlum in inferno: cœlumque & infernum vnum & idem eſſe. Articulos ſymboli Apoſtolici XII eſſe, totidemque horas mundi; quæ in terra omnes adimplendæ ſint, antequam intereat. Hodie nos viuere ſub articulo, *ſedet ad dextram DEI.* Hunc excepturum alterum: *vnde eſt venturus iudicatum viuos & mortuos.* Hunc autem non intelligendum eſſe de nouisſimo die & interitu mundi, ſed de iudicio Filii. Nam ſicuti Pater in primo ſæculo mundum diluuio aqueo perdidit; ita Filium in altero ſæculo Anti-Chriſtos ſuos deleturum diluuio ſanguineo. Dein ſecuturum ſæculum tertium Spiritus S. quo horrenda ac infernalis generatio, in ſanctos ſuperſtites inſurgens, per diluuium igneum deleri debeat &c. Videatur D. Danhauerus *in Anti-Chriſto ſophia ſect. 2. art. 4.* Wendelinus *in præfatione Theologiæ Chriſtianæ*; Hoornbeck *l. c. p. 407. & ſeqq.* & Bohemus *in Epitome Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ pag. 1012. & ſeqq.* Refutarunt hanc hæreſin Nicolaus Hunnius in der neuen Paracelſiſchen vnd Weigelianiſchen *Theologia*, & D. Thummius in *Impietate Weigeliana*; e Reformatis Chriſtianus Becmannus in *Exercitationibus Theologicis*, & *peculiari opere*, nondum, quod ſciam, edito, Ioan. Hoornbeck in *tractatu de Paradoxis & ἑτεροδόξοις Weigelianis*, quem poſtea *Summæ controuerſiarum* inſeruit, & prolixisſime omnium Ioannes Crocius in *Anti-Weigelio.* Eadem, quæ Weigelius, magnam partem iam ante ab anno ſuperioris ſæculi vigeſimo ſexto docuerat, ſcriptisque longe plurimis in lucem editis disſeminarat Caſp. Schvvenckfeldus *ab Osſing*, nobis Sileſius; de quo, eiusque dogmatis, vi-

Digitized by Google

videndi ſunt Bohemus in *Epitome hiſtoriæ Eccleſiaſticæ p.972. & ſeqq.* Oſiander *centuria XVI hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. II cap.III*, Micrælius in *ſyntagmate hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. III pag. 677.* & Hoornbeck *l. c. p. 438. & ſeqq.* Aduerſus hunc ſcripſit inter *alios* Io. Wigandus. Parum quoque a Weigelianis diſcrepabant dogmata ab Eſaia Stifelio, eiusque genero, Ezechiele Metho, eodem circiter tempore in Thuringia noſtra & vicinis ditionibus diſſeminata, de quibus videri poſſunt idem Bohemus *pag. 1024. & ſeqq.* Micrælius *p. 668. & ſeqq.* Hoornbeck *pag. 462. & 463.* Scripſere contra Stifelium Nicolaus Hunnius, Weberus & Ioannes Piſcator.

§. XXIX.

Pertinent quoque huc IV *Fratres Roſeæ Crucis*, vulgo **die Roſenkreutzer**; nomen adepti a quodam Chriſtiano Roſencreuzio, nobili, vt aiunt, Germano, & profeſſione monacho: quem anno Chriſti CIↃ CCCLXXXIIX natum, ſedecim annorum adoleſcentem, peregrinatione ad ſepulcrum Chriſti ſuſcepta ad magos in Arabia, Ægypto & Barbaria digreſſum, ab iis ſecreta quædam ſecretorum phyſica, chimica & magica edoctum, ac in Europam reuerſum, pro vniuerſali reformatione diuini ac humani, vt loquuntur, collegium ſiue fraternitatem certis legibus inſtituiſſe, tandemque centenario maiorem, nullo morbo afflictum, ſed ſpiritu Dei euocante, animam Deo creatori reddidiſſe, ferunt. Quæ tamen omnia doctiſſimi quidam viri pro meris figmentis habent, nec vnquam hunc Roſencreuzium in rerum natura fuiſſe cenſent. Innotuerunt autem potiſſimum ab an. huius ſæculi XV, annoq; XVII Confeſſionem ediderunt, in qua inter alia cap. VIII profitentur, *Deum decreuiſſe, mundo ante exitium ſuum eam veritatem, lucem, & gloriam reddere, quam primus homo Adam in Paradiſo*

perdidit. Eodem anno librum alium, *Famam fraternitatis Roſeæ Crucis* inſcriptum, in quinque diuerſis linguis publicarunt; in quo ſuæ fraternitatis fundationem ac originem tradunt. Cœpitque tum fama illorum per vniuerſam Europam longe lateque ſpargi. Præcipuum iſtorum dogma eſt, quod vltimis hiſce temporibus omnium rerum perfectam ſcientiam, vniuerſalem medicinam ac longæuitatem beneficio lapidis Philoſophici, & ſummam ſæculi felicitatem, & eam denique morum reformationem pollicentur, vt nihil amplius deſiderari poſſit. Itaque & paſſim ſocios ſuos valde longævos celebrant, adeo vt nonnullos ad quingenteſimum vſque annum perueniſſe dicant, & morum eximiam ſanctitatem iactant. Et tamen neque nomina ſua, neque loca, quæ incolunt, ſignificant aliis, ſed in abdito viuunt docentque, ſua, quantum poſſunt, occultantes. Reuera autem nihil amplius, quam Alchimiſtæ eſſe videntur; arti ſuæ portentoſa encomia, ſtupendosque effectus tribuentes. Vid. Hoornbeck *l. c. p. 434. & ſeqq.* & denuo *p. 459. 60. & 61.* Scripſit aduerſus hoc hominum genus Andreas Libauius aliquot opuſcula, vt *Examen Philoſophiæ nouæ, Conſiderationem in famam Fraternitatis, &c.*

§. XXX.

Huc V etiam referendi ſunt, qui docent nullam hodie in terris reperiri veram Eccleſiam, ſed omnes cœtus viſibiles apoſtaticos eſſe, adeoque nullibi hodie verum miniſterium, vera ſacramenta, veram diſciplinam Eccleſiaſticam, veras & Apoſtolico inſtituto conformes conciones haberi. Itaque ſæculum exſpectant, quo DEVS per Angelum e cœlo cum Euangelio æterno mittendum, & viros Apoſtolicos extraordinariis donis præditos, priſtinum Eccleſiæ ſtatum reducturus ſit. Interim vero dum hæc

euc-

Digitized by Google

eueniat, vſu ſacramentorum abſtinent: concionandi tamen munus promiſcue, etiam opificibus aliisque idiotis, permittunt. Tales ſunt, qui in Anglia *Quærentes & Exſpectantes* vocantur, de quibus plura ſuo loco. Eandem ſententiam tueri conatus eſt auctor libelli *Ad Legem & Teſtimonium* inſcripti, annoque huius ſæculi XLV in Belgio excuſi, quem refutarunt Mareſius & Hoornbeck Elias item Prætorius, qui anno præcedenti XLIV librum Germanicum *de abuſu miniſterii in hodierno Chriſtianismo* publicauit, eodem quodammodo inclinaſſe videtur. Vtrique præiuerat ſub finem ſuperioris ſæculi Theodorus Coornhertius, Amſtelodamenſis, cuius opera lingua Belgica conſcripta anno 1630. iunctim tribus vaſtis voluminibus excuſa ſunt: & ante hos annos XXIV quidam Euſebius Meisnerus Baſileenſis, cuius ex *Epiſtolis ad Riuetum* nonnulla adducit Hoornbeck *l.c.p.466.* qui & de tribus reliquis videri poteſt: de Coornhertio quidem *p. 468. & ſeq.* de Prætorio *p. 553. & ſeqq.* de III deniqne, quem nos primo loco poſuimus, *p. 463. & ſeqq.* totaque illa *apologia pro Eccleſia Chriſtiana non Apoſtatica*, ipſius libello anno CIↃ IↃC XLVII oppoſita, & poſtea ſecundæ editioni *ſumma Controuerſiarum* inſerta *a p. 473. vsque ad 556.*

§. XXXI.

Similes his ſunt, qui ab Anglis *Antiſectariani* vocantur; qui, præterquam quod pariter omnes Eccleſias viſibiles Anti-Chriſtianas, hominesque particularibus Eccleſiis adhærentes, *Sectarios & Babylonicos* vocant; ab articulis fidei, ab Eccleſiis ac Conciliis approbatis abhorrent, idque vnum ad ſalutem ſufficere aiunt, ſi homo ſeipſum abneget, id eſt, ſe nihili eſſe ſentiat, ſeque vacuum quid & inane eſſe animaduertat, omnemque in propoſito æterno ſufficientiam agnoſcat: de cetero parum intereſſe, vtrum

Digitized by Google

orthodoxus ſit, an hæreticus, ſchismaticus, Iudæus, Turca, Ethnicus. Illos ſolos pro ſanctis habent, qui omnem egoitatem, tuitatem, meitatem, vt loquuntur, mortificare didicerunt; omnia communia eſſe debere clamitant: libros omnes a doctiſſimis hominibus ſcriptos reſpuunt, paucis exceptis, e quorum numero ſunt Thomas de Kempis, Ioan. Taulerus, *Theologia Germanica*, liber *viſio DEI* inſcriptus, & ex operibus *Cardinalis Caietani* excerptus, ac præcipue opera Ioannis Böhm, vulgo *Philoſophici Teutonici* dicti.

§. XXXII.

Denique ad hanc claſſem nonnulli reuocant & *Libertinos*, ita dictos, quod nullis verbi diuini regulis, nulli disciplinæ Eccleſiaſticæ, aut certæ fidei profeſſioni adſtringi; ſed ſui ſpiritus arbitrio viuere velint. Horum dogmata, præter ea, quæ cum Enthuſiaſtarum aliis communia habent, iuxta Hoornbeckium hæc ſunt: I, Vnicum tantum eſſe omnium viuentium ſpiritum, vbiq; diffuſum, DEI, qui in creaturis ſit & viuat: eoque nec animas noſtras proprie eſſe ſubſtantias: nec earum immortalitatem aliud, quam illum DEI in nobis ſpiritum immortalem: II, Omnia, quæ homo agit, ipſaque adeo mala & peccata quæ dicuntur, eſſe opus DEI, Deumque ipſorum omnium propriam eſſe ac formalem cauſſam: III, Peccatum reuera nihil eſſe, ſed tantum imaginationem ſiue opinionem, quæ facile euaneſcat & aboleatur, cum eius nulla amplius habeatur ratio: eoque neminem ob illud improbandum aut iudicandum: IV, Infernum nihil eſſe, niſi forte malam hominis conſcientiam: V, Eam demũ eſſe veram & ſpiritualem, quam ſequi debeamus, libertatem, ſi omne diſcrimen boni & mali tollamus, peccata nihili æſtimemus, bona malaque perinde habeamus, nec vlla peccati conſcientia tangamur; ſed vnus quisque ſuo ſe ſpiritui

l. c. p. 392. & ſeqq.

ritui

Digitized by Google

ritui ducendum committat. Quæ quidem dogmata parum aut nihil ab Atheiſmo diſtant.

§. XXXIII.

His affines ſunt *Sceptici*, qui fere omnia in dubium vocant: DEVM aſſerunt eſſe eſſentiam æternam, immenſam, glorioſam, idque ſolum certo ſciri, & quidem e lumine naturæ: de cetero incertum eſſe, an DEVS curet ſingularia, an in mundo vnquam fuerit, aut ſit vlla religio a DEO illo immenſo inſtituta: ſcripturam S. eodem loco habent, quo hiſtoriam Liuii, Taciti, Ioſephi Polybii, &c. Magni faciunt ſcripta Pomponatii, Iordani Nolani, Lucretii, Sexti Empirici & ſimilia. Hi quoque vix ab Atheis differunt.

§. XXXIV.

Poſtremo & *Antiſcripturarii*, vt vocantur, huc pertinent. Hi affirmant, incertum eſſe, an illæ, quas habemus, ſcripturæ ſacræ ſint verum & purum DEI verbum ſine erroribus, qui vel per typographorum & librariorum negligentiam irrepſerint; vel per fraudem & malitiam hæreticorum inſerti ſint. Fatentur, olim a Prophetis & Apoſtolis ſcriptos fuiſſe libros diuinos, & infallibilis auctoritatis; ac tale quid in iis, quæ hodie circumferuntur, haberi; ſed quid in iis Apoſtolicum & Propheticum ſiue genuinum, quid item heterogeneum, & ſurreptitium ſit, hoc neminem mortalium certo ſcire poſſe, adeoque neminem ſub pœna peccati obſtrictum eſſe, vt ſcripturis, prout nunc exſtant, fidem habeat, docent.

§. XXXV.

Atque hæc ſufficiant de ſectis præcipuis Eccleſiæ Latinæ ſiue Occidentalis. Ex *Orientalibus* nobis præcipue heic commemorandi ſunt *Græci*, cum ceteræ eius ſectæ in Europa vix vllibi, niſi ſparſim, reperiantur. Hi ab omnibus

bus Eccleſiis Occidentalibus in hisce differunt: I, Quod negant Spiritum S. etiam a DEO Filio procedere; hac inprimis ratione inducti, quod inde ſequi putant, DEVM Spiritum S. a duplici fonte, ſiue, vt ipſi loquuntur, a duplici cauſſa, procedere; concedunt tamen eum a Patre *per Filiū* procedere: II, Quod omnibus, etiam pueris & infantibus, vſum S. Euchariſtiæ permittunt, adeo vt infantium, qui panem & vinum nondum ore aſſumere poſſunt, ſaltem os tangant: III, Quod panem Euchariſticum iunctim cum vino aqua calefacta diluto, aut, ſi vinum deſit, cum mulſo vel aqua in cochleari exhibent: IV, Quod etſi ſacerdotibus aliisque perſonis Eccleſiaſticis (ſolis monachis exceptis) coniugium permittunt, eosdem tamen matrimonio altero ſiue iterato, Laicos etiam quarto prohibent. Immo Laicis etiam ad ſecundas nuptias transeuntibus pœnam Eccleſiaſticam iniungunt; vnoque aut altero anno ſacra communione interdicunt; loco illis, vsque dum pœnitentiæ tempus expleuerint, inter audientes & ſtantes, iuxta canones aſſignato; ſimilis trigamorum pœna eſt, ſi liberis careant, annumque xxx non exceſſerint. At ſi liberos e prioribus nuptiis ſuſceperunt, ad quadriennium; ſi etiam xl annum exceſſerint, ad quinquenniū, a ſacra communione excludunt; ad quartas vero nuptias transeuntes non ſolum Eccleſia, ſed etiam Rep. eiiciendos cenſent: V, Quod neceſſario requirunt in Presbyteris & Diaconis, vt vxorati ſint; adeo vt nemo Diaconus ordinetur, niſi aut maritus iam ſit, aut ſaltem ſponſus, & quidem cum tali, quæ ſit integræ famæ (alias enim non admittitur ad diaconatum) & ſacerdos mortua coniuge a ſacris obeundis plane arceatur, niſi monaſterium ingreſſus fuerit, iuxtaque regulas viuat. Interim ſi caſte viuat, choro vna cum aliis Eccleſiæ miniſtris intereſſe poteſt; ſi vero, quod ei liberum

Digitized by Google

rum eſt, ad ſecundas nuptias tranſierit, nihil amplius cum Clero commune habet: VI, Quod eſum ſanguinis & animalium ſuffocatorum tanquam ex præcepto Apoſtolico abſtinent: VII, Quod etſi negent ignem purgatorium, corporeum ſcilicet; admittunt tamen locum caliginoſum, triſtem, & calamitoſum, in quo animæ poſt hanc vitam purgentur, antequam ad DEVM accedant; VIII, Quod negant, animas a corporibus ſeparatas aut DEVM in cœlo videre, æternaque beatitudine frui; aut pœnis obnoxias eſſe, adeoque credunt, liberatas & ſanctas animas vsque ad diem iudicii, in alio quodam loco, quem Paradiſum vocant, vna cum Angelis placidis; impias vero pariter in diuerſo ab inferno loco, vna cum Angelis terribilibus, asſeruari. In reliquis dogmatis magnam quidem partem cum Romana Eccleſia illis conuenit. Nam electos a Deo præuiſu bonorum operum & fidei prædeſtinatos aiunt: e caliceEuchariſtico ſoli clerici bibunt: ſanctos & Angelos, eorumque ac DEI imagines, colunt atque adorant, inprimis Mariam virginem; illorum etiam intercesſionem apud Deum efflagitant: pro defunctis orant, ut tolerabiliorem ipſis locum, in quo futurum iudicium exſpectent, obtineant: ieiunia ſtatis temporibus ſeruant: meritis bonorum operum plurimum confidunt; præſertim eleemoſynis, ſacris ædibus & hominibus collatis: ſatisfactiones temporales pro peccatis, etiam remisſis, imponunt pœnitentibus: ſacrificium in Miſſa offerunt: Epiſcopos, Archiepiſcopos & Patriarchas nullos conſtituunt, niſi cœlibes &c. Sed nihilo tamen ſecius omnes (exceptis quibusdam Rusſis nigris, Poloniæ regno ſubditis, qui anno Chriſti CIↃIↃXCV die XXIII Decembris per delegatos ſuos vnionem cum Romana Eccleſia, certis tamen conditionibus, reſeruatisque ſibi quibusdam articulis,

Digitized by Google

inierunt ac perinde Romanos Epiſcopos habent) Romanam Eccleſiam, vt ſchismaticam & hæreticam, deteſtantur, PapamqueRomanum quotannis ſollemniter excommunicant; tria præcipue in eo abominantes, ſuperbiam in arrogando ſibi ſuprematu ſuper reliquas totius orbis Chriſtiani Eccleſias; tyrannidem in perſequendis & opprimendis disſentientibus; & arrogantiam in diſpenſatione de legibusDecalogi. Rident quoque infallibilitatem Romanæ Eccleſiæ, & vim perterrefaciendi Diabolum, abolendique peccata, aquæ luſtrali tributam. Orationes ad numerum roſarii eodem loco habent, quo battologiam ethnicorum. Scripturam S. fatentur omnia ad ſalutem ſcitu neceſſaria continere; etſi interim plurimum traditionibus & auctoritatibus Græcorum Patrum tribuunt. Preces publicas & Misſas ſua lingua, id eſt, Græca pura peragunt, etſi interim, ob eius deſuetudinem, & corruptum ſermonem Græcum hodiernum, vulgus non ſatis eas intelligat. Pane in S. Euchariſtia fermentato vtuntur, reiecto azymo, tanquam qui plane non ſit panis. Ieiunia ſabbati omnia reiiciunt, excepto vnico, quod Paſcha antecedit. Euchariſtiam omnibus Laicis, etiam pueris & infantibus, ſub vtraque ſpecie, vt vulgo loquimur, porrigunt. Indulgentiarum mercaturam abominantur. Peregrinationibus ad loca ſacra nullam ſatisfaciendi pro peccatis vim concedunt. Denique religioſum vſum ſtatuarum ſculptarum & fuſarum reiiciunt. Nam quod imagines ab iis coli diximus, id de pictis tantum accipiendum eſt. Taceo ritus ſacros, quorum plurimos a Latinis diuerſos adhibent.

§. XXXVI.

Eſſe autem hæc Græcarum, quæ hodie exſtant, Eccleſiarum dogmata, conſtat tum ex ipſorum Græcorum ſcri-

ſcriptis; qualia ſunt inprimis *Acta Concilii Florentini*, nuperrime ab Anglo quodam edita; Ieremiæ Patriarchæ Conſtantinopolitani *Reſponſa ad Theologos Tubingenſes*, ſuperiori ſæculo ſcripta, & anno Chriſti CIↃ IↃ X X X I V vna cum Würtenbergenſium ſcriptis ad Patriarcham, Wittebergæ excuſa; Chriſtophori Angeli, Græci, libellus *de ſtatu & ritibus hodiernorum Græcorum*, circa annum huius ſæculi VIII Græco ſermone in Anglia conſcriptus, & a Georgio Fhelauio, Dantiſcano, anno CIↃ IↃC LV Latine cum annotationibus Francofurti editus: Cyrilli Berrhœenſis *Patriarchæ Conſtantinopolitani cenſura ſynodalis aduerſus* Cyrilli Lucaris, *Deceſſoris ſui, orientalem confeſſionem Chriſtianæ fidei*, anno CIↃ IↃ XXXIX edita, & poſtea cum confeſſione Lucaris, anno CIↃ IↃ XLV, in Belgio excuſa, aque Leone Allatio ſuo *de conſenſu perpetuo Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis* operi inſerta, *lib. III cap. X*; Parthenii, Cyrilli Berrhœenſis ſucceſſoris, *Decretum ſynodale aduerſus Lucarim*, Iaſii primum in Moldauia, an. Chriſti CIↃ IↃ XLII, anno vero ſequenti Pariſiis cum confeſſione Cyrilli excuſum, aque eodem Allatio relatum: tum ex eorum relatione, qui vel inter Græcos vixerunt, vt Petri Bellonii in *tractatu de moribus & religione Græcorum*, *& lib. I obſeru. c. XXXV*, Antonii Poſſeuini in *Relatione de rebus Moscouiticis*, itemque in *Bibliotheca & Apparatu ſacro*; Edoini Sandys *Relatione de ſtatu religionis cap. XLII*; vel Græcorum, aut eorum, qui inter Græcos vixerunt, fide ſtatum & doctrinam Eccleſiæ Græcæ deſcripſerunt; vt Edoardi Brerevvoodi in *ſcrutinio religionum cap. VI*, Ioan. Iacobi Hulderici in *disquiſitione de Religione Eccleſiarum Græcanicarum a pag. 42. vsque ad finem*; Chytræi in *tractatu de ſtatu Eccleſiarum in Græcia & Aſia*; Martini Cruſii in *Turco-Græcia*; Bernhardi Varenii in *breui informatione de diuerſis Gen-*

Tt 2 *tium*

Digitized by Google

tium religionibus, cum eiusdem *deſcriptione regni Iaponiæ* edita, *p. 245. & ſeqq.* Hoornbeck *lib. II Summæ Controuerſiarum &c.*

§. XXXVII.

Porro ex iis, quæ diximus, apparet, falſum eſſe, quod paſſim Pontificii iactant, quodque ante hos annos XII Leo Allatius vaſto volumine *de Eccleſiæ Orientalis atque Occidentalis perpetua conſenſione*, confirmare conatus eſt, Græcorum Eccleſias nonniſi in quibusdam ritibus a Latinis diſcrepare. Quodmodo enim in ritibus tantummodo diſcrepabunt, qui alteros hæreſeos & tyrannidos incuſant, excommunicant, totque eorum dogmata reiiciunt? qui nullam cum ipſis communionem, ne quidem Politicam, ſibi eſſe volunt? qui in templis, in quibus illi ſacra peregerunt, ſua peragere, niſi poſtquam expiata fuerint, verentur? qui denique ſupremum Papæ dominatum, cui tota religio Pontificia innititur, adeo non admittunt, vt ei hodie ne quidem inter Patriarchas locum eſſe velint? Id interim negare nolumus, Græcos hodie propius ad Pontificiorum errores accedere, quam olim. Sicut nec illud inficiamur, multos eorum Epiſcopos, ſacerdotes, monachos, aliosque, ſiue a Ieſuitis & monachis Latinis ſeductos, ſiud donis aut ſpe præmiorum allectos, Papæ Romani primatum & ſupremum in omnes Eccleſias dominium, agnoſcere, doctrinamque Pontificiam probare. Sed totam Græcorum Eccleſiam cum Pontificiis eadem ſentire, id vero falſiſſimum eſt. Quemadmodum & illud, quod ab aliquot annis Reformati iactant, ſibi in pleriſque dogmatis cum Græcis conuenire, prouocantes ad Confeſſionem Cyrilli Lucaris, Patriarchæ nuper Conſtantinopolitani, quæ, vno alteroque capite excepto, tota Caluiniana eſt. Sed primo eam non eſſe totius Eccleſiæ Græcæ con-

Digitized by Google

confeſſionem, docent tum collatio eius cum ſcriptis Patriarchæ Ieremiæ, tum *duæ ſynodi* aduerſus eam a duobus Cyrilli ſucceſſoribus, Cyrillo Berrhœenſi & Parthenio, habitæ. Quorum prior, etſi Ieſuitarum diſcipulus fuerit, dicaturque paullo ante mortem profeſſus, in fide Romani Pontificis ſe moriturum eſſe, non tamen idcirco negari debet, Græcos Caluiniſtica dogmata reiicere, totoque pectore abominari. Nam eas ſynodorum cenſuras Græcorum doctrinæ conformes eſſe, aliunde conſtat. Deinde Lucaris ille poſtremis vitæ annis aperte ſe Caluinianum, inque Caluini fide moriturum eſſe, confitebatur, vt apparet ex *epiſtola eius*, an. CIƆ IƆC XXXIV ex inſula Tenedo, vbi tum exulabat, ad Antonium Legerum ſcripta, quam legere eſt apud Riuetum in *libro contra Petraſanctam c. XI*; Hottingerum *ſub fin. Analect.* & Hoornbeck *l. c. Summæ Controuerſ. p. 945.* Eam autem doctrinam in Tranſiluania & Geneuæ, vbi aliquando ſubſtiterat, illum imbibiſſe, narrabat mihi anno CIƆIƆC XLIX, die 24. Decembris, cum ex Italia in Græciam, ſuos a Turcis detentos liberaturus, rediret Nathanaël Archiepiſcopus Leucados ſiue ſanctæ Mauræ. Denique eum Hollandorum opera ad Patriarchatum euectum, in eumque ſemel iterumque reſtitutum fuiſſe, quod eorum legato ad portam Ottomanicam, Cornelio Hagæ, promiſiſſet, ſe Græcas Eccleſias in ſuam ſententiam pertracturum, conſtans rumor erat, non ſolum in Italia Galliaque, ſed etiam in Belgio, ipſaque Græcia; etiam a Leone Allatio relatus. Etſi Caluiniani accerrime id inficiantur. Quod ſi tamen alicui ex Occidentalibus ſectis conſenſus Græcorum iactandus eſt, id aliquanto meliori iure Lutherani facient, cum Ieremias Patriarcha, anno CIƆ IƆ LXXVIII in *reſponſo ſecundo ad Tübingenſes ſub fin.* diſerte affirmet. *Græcos & Lutheranos in*

Cypro; & ſub nomine Cophtitarum in Ægypto (vbi in vrbe Cairo Patriarcha ipſorum Alexandrinus habitat) ſub Abeſſinorum denique nomine in vtraque Æthiopia (vbi & ipſi ſuum Patriarcham habent, quem *Abuna* vocant, quique a Iacobitis quidem, monachis S. Antonii Hieroſolymæ degentibus, eligi, a Patriarcha vero Iacobitarum Antiocheno confirmari ſolet;) viuentium. Tertia denique *Armeniorum*, quorum etſi propria ſedes vtraque Armenia (vbi ſuos Patriarchas habent) cum Cilicia ſit; paſſim tamen per Orientem, magnamque Occidentis partem ſparſi reperiuntur, mercaturam exercentes; adeo vt etiam Patriarcham quendam Hieroſolymis, & alium prope Aleppum habeant. Sed de his omnibus (exceptis Moſcouiticis, de quibus in Imperio Moſcouitico agemus,) plura, DEO dante, dicemus in deſcriptione imperii Turcici, cum nulla earum ſectarum, in alio quodam imperio Europæ, notabili aliqua frequentia reperiatur. Interim ſi quis pleniorem de iis cognitionem deſiderat, adeat Brerevvoodum *cap. VII & ſeqq.* Hoornbeck *pag. 953. & ſeqq.* Hottingerum *parte V Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſect. II*; Philippum a ſanctiſſima Trinitate *l. V Itinerarii Orientalis cap. IV, VI, VII, VIII & IX*; Boulayum *in Itinerario*, ſuperiore anno Amſtelodami lingua Belgica edito, *part. I cap. XXX & XXXII part. II cap. LVII & LIX & part. III cap. XVI &c.*

§ XL.

Quod *Mahumetanorum* ſiue Turcarum (vel vt ipſi appellari malunt, Muſulmannorum) religionem attinet, ipſo Mahumete, eius auctore, affirmante, ſumma fidei ipſorum conſiſtit in vulgato illo, quod paſſim tanquam religionis ſuæ ſignum oſtentant: *non eſt DEVS præter DEVM illum, & Mahumet DEI Apoſtolus:* ſumma vero religioſi eorum cultus in hoc, vt preces conſtanter ſta-

tis

Digitized by Google

tis temporibus fundant, eleemoſynas largiantur, peregrinationes ſacras ad certa loca inſtituant, & menſe Ramadan ieiunent. Videantur Eduardi Pocokii *notæ ad Gregorii Abul-Farayi ſpecimen hiſtoriæ Arebicæ, pag. 52. & 301.* Alii Turcarum XL articulos religionis Mahumeticæ fundamentales, ac ad ſalutem conſequendam, illorum opinione, neceſſarios, numerant: quos recenſet Hottingerus *lib. II hiſtor. Oriental. cap. III ſect. III.* qui & ibidem abſolutiſſimum religionis Mahumeticæ de DEO, prouidentia, Alcarono, officio Mahumetis, iudicio extremo, paradiſo, inferno, reſurrectione, purgatorio, fide ſtatuque martyrum, compendium ex Arabico quodam libello manuſcripto Bibliothecæ Bongarſianæ deſcripſit; plenius eam declaraturus in Commentariis de Religione Mahumetica, ſiue Theatro Mahumetico. Ipſis Alcorani Arabici verbis præcipua doctrinæ Turcicæ capita ſub certis poſitionibus complexus eſt; breui quoque ſingulis poſſitionibus ſubnexa refutatione, Theodoricus Hackſpan in libello, cui titulum fecit, *Fides & leges Mahumetis.* Addenda Gisberti Voetii *diſputatio de Mahumetiſmo*, Hoornbecki *totus liber octauus ſummæ Controuerſ.* Alios auctores, qui doctrinam Mahumeticam confutarunt, recenſet idem Voetius *in Bibliotheca Theologica lib. II cap. V pag. 548. & ſeqq.* & poſt eum Hoornbeck *l. c. p. 81. & 82.* Quibus omnino addendus erat *Fortalitii fidei*, ante CC an. a Minorita quodam (Alphonſum de Spiria nominat Athanaſius Kircherus *in Obeliſco Pamphilio lib. I cap. II*) conſcripti, *liber IV*, in quo non ſolum doctrina & lex Mahumetis cum Chriſtiana religione tum ratione articulorum fidei, tum ratione præceptorum accurate confertur, & confutatur; ſed etiam hiſtoria Mahumetis, eiusque ſectatorum Chriſtianorumque aduerſus Saracenos bella & victo-

Digitized by Google

Cypro; & ſub nomine Cophtitarum in Ægypto (vbi in vrbe Cairo Patriarcha ipſorum Alexandrinus habitat) ſub Abesſinorum denique nomine in vtraque Æthiopia (vbi & ipſi ſuum Patriarcham habent, quem *Abuna* vocant, quique a Iacobitis quidem, monachis S. Antonii Hieroſolymæ degentibus, eligi, a Patriarcha vero Iacobitarum Antiocheno confirmari ſolet;) viuentium. Tertia denique *Armeniorum*, quorum etſi propria ſedes vtraque Armenia (vbi ſuos Patriarchas habent) cum Cilicia ſit; pasſim tamen per Orientem, magnamque Occidentis partem ſparſi reperiuntur, mercaturam exercentes; adeo vt etiam Patriarcham quendam Hieroſolymis, & alium prope Aleppum habeant. Sed de his omnibus (exceptis Moscouiticis, de quibus in Imperio Moscouitico agemus,) plura, DEO dante, dicemus in deſcriptione imperii Turcici, cum nulla earum ſectarum, in alio quodam imperio Europæ, notabili aliqua frequentia reperiatur. Interim ſi quis pleniorem de iis cognitionem deſiderat, adeat Brerevvoodum *cap. VII & ſeqq.* Hoornbeck *pag. 953. & ſeqq.* Hottingerum *parte V Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſect. II*; Philippum a ſanctisſima Trinitate *l. V Itinerarii Orientalis cap. IV, VI, VII, VIII & IX*; Boulayum *in Itinerario,* ſuperiore anno Amſtelodami lingua Belgica edito, *part. I cap. XXX & XXXII part. II cap. LVII & LIX & part. III cap. XVI &c.*

§ XL.

Quod *Mahumetanorum* ſiue Turcarum (vel vt ipſi appellari malunt, Muſulmannorum) religionem attinet, ipſo Mahumete, eius auctore, affirmante, ſumma fidei ipſorum conſiſtit in vulgato illo, quod pasſim tanquam religionis ſuæ ſignum oſtentant: *non eſt DEVS præter DEVM illum, & Mahumet DEI Apoſtolus:* ſumma vero religioſi eorum cultus in hoc, vt preces conſtanter ſta-

tis

tis temporibus fundant, eleemoſynas largiantur, peregrinationes ſacras ad certa loca inſtituant,& menſe Ramadan ieiunent. Videantur Eduardi Pocokii *notæ ad Gregorii Abul-Farayi ſpecimen hiſtoriæ Arebicæ, pag. 52. & 301.* Alii Turcarum XL articulos religionis Mahumeticæ fundamentales, ac ad ſalutem conſequendam, illorum opinione, neceſſarios, numerant: quos recenſet Hottingerus *lib. II hiſtor. Oriental. cap. III ſect. III.* qui & ibidem abſolutiſſimum religionis Mahumeticæ de DEO, prouidentia, Alcarono, officio Mahumetis, iudicio extremo, paradiſo, inferno, reſurrectione, purgatorio, fide ſtatuque martyrum, compendium ex Arabico quodam libello manuſcripto Bibliothecæ Bongarſianæ deſcripſit: plenius eam declaraturus in Commentariis de Religione Mahumetica, ſiue Theatro Mahumetico. Ipſis Alcorani Arabici verbis præcipua doctrinæ Turcicæ capita ſub certis poſitionibus complexus eſt; breui quoque ſingulis poſſitionibus ſubnexa refutatione, Theodoricus Hackſpan in libello, cui titulum fecit, *Fides & leges Mahumetis.* Addenda Giſberti Voetii *disputatio de Mahumetiſmo*, Hoornbecki *totus liber octauus ſummæ Controuerſ.* Alios auctores, qui doctrinam Mahumeticam confutarunt, recenſet idem Voetius *in Bibliotheca Theologica lib. II cap. V pag. 548. & ſeqq.* & poſt eum Hoornbeck *l. c. p. 81. & 82.* Quibus omnino addendus erat *Fortalitii fidei*, ante CC an. a Minorita quodam (Alphonſum de Spiria nominat Athanaſius Kircherus *in Obeliſco Pamphilio lib. I cap. II*) conſcripti, *liber IV*, in quo non ſolum doctrina & lex Mahumetis cum Chriſtiana religione tum ratione articulorum fidei, tum ratione præceptorum accurate confertur, & confutatur; ſed etiam hiſtoria Mahumetis, eiusque ſectatorum Chriſtianorumque aduerſus Saracenos bella & victo-

Digitized by Google

Cypro; & ſub nomine Cophtitarum in Ægypto (vbi in vrbe Cairo Patriarcha ipſorum Alexandrinus habitat) ſub Abesſinorum denique nomine in vtraque Æthiopia (vbi & ipſi ſuum Patriarcham habent, quem *Abuna* vocant, quique a Iacobitis quidem, monachis S. Antonii Hieroſolymæ degentibus, eligi, a Patriarcha vero Iacobitarum Antiocheno confirmari ſolet;) viuentium. Tertia denique *Armeniorum*, quorum etſi propria ſedes vtraque Armenia (vbi ſuos Patriarchas habent) cum Cilicia ſit; pasſim tamen per Orientem, magnamque Occidentis partem ſparſi reperiuntur, mercaturam exercentes; adeo vt etiam Patriarcham quendam Hieroſolymis, & alium prope Aleppum habeant. Sed de his omnibus (exceptis Moscouiticis, de quibus in Imperio Moscouitico agemus,) plura, DEO dante, dicemus in deſcriptione imperii Turcici, cum nulla earum ſectarum, in alio quodam imperio Europæ, notabili aliqua frequentia reperiatur. Interim ſi quis pleniorem de iis cognitionem deſiderat, adeat Brerevvoodum *cap. VII & ſeqq.* Hoornbeck *pag. 953. & ſeqq.* Hottingerum *parte V Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſect. II*; Philippum a ſanctisſima Trinitate *l. V Itinerarii Orientalis cap. IV, VI, VII, VIII & IX*; Boulayum *in Itinerario*, ſuperiore anno Amſtelodami lingua Belgica edito, *part. I cap. XXX & XXXII part. II cap. LVII & LIX & part. III cap. XVI &c.*

§ XL.

Quod *Mahumetanorum* ſiue Turcarum (vel vt ipſi appellari malunt, Muſulmannorum) religionem attinet, ipſo Mahumete, eius auctore, affirmante, ſumma fidei ipſorum conſiſtit in vulgato illo, quod pasſim tanquam religionis ſuæ ſignum oſtentant: *non eſt DEVS præter DEVM illum, & Mahumet DEI Apoſtolus:* ſumma vero religioſi eorum cultus in hoc, vt preces conſtanter ſta-

tis

tis temporibus fundant, eleemoſynas largiantur, peregrinationes ſacras ad certa loca inſtituant, & menſe Ramadan ieiunent. Videantur Eduardi Pocokii *notæ ad Gregorii Abul-Farají ſpecimen hiſtoriæ Arebicæ*, *pag. 52. & 301.* Alii Turcarum XL articulos religionis Mahumeticæ fundamentales, ac ad ſalutem conſequendam, illorum opinione, neceſſarios, numerant: quos recenſet Hottingerus *lib. II hiſtor. Oriental. cap. III ſect. III.* qui & ibidem abſolutiſſimum religionis Mahumeticæ de DEO, prouidentia, Alcarono, officio Mahumetis, iudicio extremo, paradiſo, inferno, reſurrectione, purgatorio, fide, ſtatuque martyrum, compendium ex Arabico quodam libello manuſcripto Bibliothecæ Bongarſianæ deſcripſit; plenius eam declaraturus in Commentariis de Religione Mahumetica, ſiue Theatro Mahumetico. Ipſis Alcorani Arabici verbis præcipua doctrinæ Turcicæ capita ſub certis poſitionibus complexus eſt; breui quoque ſingulis poſſitionibus ſubnexa refutatione, Theodoricus Hackſpan in libello, cui titulum fecit, *Fides & leges Mahumetis.* Addenda Gisberti Voetii *disputatio de Mahumetiſmo*, Hoornbecki *totus liber octauus ſummæ Controuerſ.* Alios auctores, qui doctrinam Mahumeticam confutarunt, recenſet idem Voetius *in Bibliotheca Theologica lib. II cap. V pag. 548. & ſeqq.* & poſt eum Hoornbeck *l. c. p. 81. & 82.* Quibus omnino addendus erat *Fortalitii fidei*, ante CC an. a Minorita quodam (Alphonſum de Spiria nominat Athanaſius Kircherus *in Obeliſco Pamphilio lib. I cap. II*) conſcripti, *liber IV*, in quo non ſolum doctrina & lex Mahumetis cum Chriſtiana religione tum ratione articulorum fidei, tum ratione præceptorum accurate confertur, & confutatur; ſed etiam hiſtoria Mahumetis, eiusque ſectatorum Chriſtianorumque aduerſus Saracenos bella & victo-

Digitized by Google

Cypro; & ſub nomine Cophtitarum in Ægypto (vbi in vrbe Cairo Patriarcha ipſorum Alexandrinus habitat) ſub Abesſinorum denique nomine in vtraque Æthiopia (vbi & ipſi ſuum Patriarcham habent, quem *Abuna* vocant, quique a Iacobitis quidem, monachis S. Antonii Hieroſolymæ degentibus, eligi, a Patriarcha vero Iacobitarum Antiocheno confirmari ſolet;) viuentium. Tertia denique *Armeniorum*, quorum etſi propria ſedes vtraque Armenia (vbi ſuos Patriarchas habent) cum Cilicia ſit; pasſim tamen per Orientem, magnamque Occidentis partem ſparſi reperiuntur, mercaturam exercentes; adeo vt etiam Patriarcham quendam Hieroſolymis, & alium prope Aleppum habeant. Sed de his omnibus (exceptis Moſcouiticis, de quibus in Imperio Moſcouitico agemus,) plura, DEO dante, dicemus in deſcriptione imperii Turcici, cum nulla earum ſectarum, in alio quodam imperio Europæ, notabili aliqua frequentia reperiatur. Interim ſi quis pleniorem de iis cognitionem deſiderat, adeat Brerevvoodum *cap. VII & ſeqq.* Hoornbeck *pag. 953. & ſeqq.* Hottingerum *parte V Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſect. II*; Philippum a ſanctisſima Trinitate *l. V Itinerarii Orientalis cap. IV, VI, VII, VIII & IX*; Boulayum *in Itinerario*, ſuperiore anno Amſtelodami lingua Belgica edito, *part. I cap. XXX & XXXII part. II cap. LVII & LIX & part. III cap. XVI &c.*

§ XL.

Quod *Mahumetanorum* ſiue Turcarum (vel vt ipſi appellari malunt, Muſulmannorum) religionem attinet, ipſo Mahumete, eius auctore, affirmante, ſumma fidei ipſorum conſiſtit in vulgato illo, quod pasſim tanquam religionis ſuæ ſignum oſtentant: *non eſt DEVS præter DEVM illum, & Mahumet DEI Apoſtolus:* ſumma vero religioſi eorum cultus in hoc, vt preces conſtanter ſta-

tis temporibus fundant, eleemoſynas largiantur, peregrinationes ſacras ad certa loca inſtituant, & menſe Ramadan ieiunent. Videantur Eduardi Pocokii *notæ ad Gregorii Abul-Farayi ſpecimen hiſtoriæ Arebicæ, pag. 52. & 301.* Alii Turcarum XL articulos religionis Mahumeticæ fundamentales, ac ad ſalutem conſequendam, illorum opinione, neceſſarios, numerant: quos recenſet Hottingerus *lib. II hiſtor. Oriental. cap. III ſect. III.* qui & ibidem abſolutiſſimum religionis Mahumeticæ de DEO, prouidentia, Alcarono, officio Mahumetis, iudicio extremo, paradiſo, inferno, reſurrectione, purgatorio, fide ſtatuque martyrum, compendium ex Arabico quodam libello manuſcripto Bibliothecæ Bongarſianæ deſcripſit: plenius eam declaraturus in Commentariis de Religione Mahumetica, ſiue Theatro Mahumetico. Ipſis Alcorani Arabici verbis præcipua doctrinæ Turcicæ capita ſub certis poſitionibus complexus eſt; breui quoque ſingulis poſſitionibus ſubnexa refutatione, Theodoricus Hackſpan in libello, cui titulum fecit, *Fides & leges Mahumetis.* Addenda Gisberti Voetii *diſputatio de Mahumetiſmo*, Hoornbecki *totus liber octauus ſummæ Controuerſ.* Alios auctores, qui doctrinam Mahumeticam confutarunt, recenſet idem Voetius *in Bibliotheca Theologica lib. II cap. V pag. 548. & ſeqq.* & poſt eum Hoornbeck *l. c. p. 81. & 82.* Quibus omnino addendus erat *Fortalitii fidei*, ante CC an. a Minorita quodam (Alphonſum de Spiria nominat Athanaſius Kircherus *in Obeliſco Pamphilio lib. I cap. II*) conſcripti, *liber IV*, in quo non ſolum doctrina & lex Mahumetis cum Chriſtiana religione tum ratione articulorum fidei, tum ratione præceptorum accurate confertur, & confutatur; ſed etiam hiſtoria Mahumetis, eiusque ſectatorum Chriſtianorumque aduerſus Saracenos bella & victo-

tium religionibus, cum eiusdem *deſcriptione regni Iaponiæ* edita, *p. 245. & ſeqq.* Hoornbeck *lib. II Summæ Controuerſiarum &c.*

§. XXXVII.

Porro ex iis, quæ diximus, apparet, falſum eſſe, quod paſſim Pontificii iactant, quodque ante hos annos XII Leo Allatius vaſto volumine *de Eccleſiæ Orientalis atque Occidentalis perpetua conſenſione*, confirmare conatus eſt, Græcorum Eccleſias nonniſi in quibusdam ritibus a Latinis diſcrepare. Quodmodo enim in ritibus tantummodo diſcrepabunt, qui alteros hæreſeos & tyrannidos incuſant, excommunicant, totque eorum dogmata reiiciunt? qui nullam cum ipſis communionem, ne quidem Politicam, ſibi eſſe volunt? qui in templis, in quibus illi ſacra peregerunt, ſua peragere, niſi poſtquam expiata fuerint, verentur? qui denique ſupremum Papæ dominatum, cui tota religio Pontificia innititur, adeo non admittunt, vt ei hodie ne quidem inter Patriarchas locum eſſe velint? Id interim negare nolumus, Græcos hodie propius ad Pontificiorum errores accedere, quam olim. Sicut nec illud inficiamur, multos eorum Epiſcopos, ſacerdotes, monachos, aliosque, ſiue a Ieſuitis & monachis Latinis ſeductos, ſiue donis aut ſpe præmiorum allectos, Papæ Romani primatum & ſupremum in omnes Eccleſias dominium, agnoſcere, doctrinamque Pontificiam probare. Sed totam Græcorum Eccleſiam cum Pontificiis eadem ſentire, id vero falſisſimum eſt. Quemadmodum & illud, quod ab aliquot annis Reformati iactant, ſibi in plerisque dogmatis cum Græcis conuenire, prouocantes ad Confeſſionem Cyrilli Lucaris, Patriarchæ nuper Conſtantinopolitani, quæ, vno alteroque capite excepto, tota Caluiniana eſt. Sed primo eam non eſſe totius Eccleſiæ Græcæ con-

confesſionem, docent tum collatio eius cum ſcriptis Patriarchæ Ieremiæ, tum *duæ ſynodi* aduerſus eam a duobus Cyrilli ſucceſſoribus, Cyrillo Berrhœenſi & Parthenio, habitæ. Quorum prior, etſi Ieſuitarum diſcipulus fuerit, dicaturque paullo ante mortem profeſſus, in fide Romani Pontificis ſe moriturum eſſe, non tamen idcirco negari debet, Græcos Caluiniſtica dogmata reiicere, totoque pectore abominari. Nam eas ſynodorum cenſuras Græcorum doctrinæ conformes eſſe, aliunde conſtat. Deinde Lucaris ille poſtremis vitæ annis aperte ſe Caluinianum, inque Caluini fide moriturum eſſe, confitebatur, vt apparet ex *epiſtola eius*, an. CIↃ IↃC XXXIV ex inſula Tenedo, vbi tum exulabat, ad Antonium Legerum ſcripta, quam legere eſt apud Riuetum in *libro contra Petraſanctam c. XI;* Hottingerum *ſub fin. Analect.* & Hoornbeck *l.c. Summæ Controuerſ. p. 945.* Eam autem doctrinam in Transſiluania & Geneuæ, vbi aliquando ſubſtiterat, illum imbibiſſe, narrabat mihi anno CIↃIↃC XLIX, die 24. Decembris, cum ex Italia in Græciam, ſuos a Turcis detentos liberaturus, rediret Nathanaël Archiepiſcopus Leucados ſiue ſanctæ Mauræ. Denique eum Hollandorum opera ad Patriarchatum euectum, in eumque ſemel iterumque reſtitutum fuiſſe, quod eorum legato ad portam Ottomanicam, Cornelio Hagæ, promiſiſſet, ſe Græcas Eccleſias in ſuam ſententiam pertracturum, conſtans rumor erat, non ſolum in Italia Galliaque, ſed etiam in Belgio, ipſaque Græcia; etiam a Leone Allatio relatus. Etſi Caluiniani accerrime id inficiantur. Quod ſi tamen alicui ex Occidentalibus ſectis conſenſus Græcorum iactandus eſt, id aliquanto meliori iure Lutherani facient, cum Ieremias Patriarcha, anno CIↃIↃLXXVIII in *reſponſo ſecundo ad Tübingenſes ſub fin.* diſerte affirmet. *Græcos & Lutheranos in*

omnibus aut ferme præcipuis concordare; nec vllam aliam diſ-ſenſionis cauſſam eſſe, quam quod Lutherani quædam ſcripturæ dicta ſecus interpretentur atque intelligant, quam lumina Eccleſiæ & œcumenici Doctores interpretati ſunt. Quod ſi correxerint, futurum, vt vtrique, DEO iuuante, concordes & vnum idemque de fide ſentientes ad gloriam DEI ſint.

§. XXXVIII.

Subſunt autem Græci omnes, qui quidem non ſunt ſubiecti Romano Pontifici, aut Neſtorianismo, alteriue cuidam hæreſi addicti, *quattuor*, vt olim, *Patriarchis*, Conſtantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, & Hieroſolymitano. E quibus *Conſtantinopolitanus* dignitate primus & *œcumenici* titulo inſignis, hodie præeſſe dicitur omnibus Eccleſiis Græcorum Europæis, (exceptis Moscouiticis, qui nunc ſub proprio Patriarcha viuunt) vt Thraciæ, Macedoniæ, Epiri, Græciæ, Bulgariæ, Raſciæ, Seruiæ, Bosniæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Podoliæ, Walachiæ, Moldauiæ, Ruſſiæ nigræ ſiue minoris, aliarumque prouinciarum Polonicarum; itemque Aſiæ minoris ſiue Natoliæ. (Armenia minore & Cilicia exceptis) & Inſularum maris Ægæi, aliarumque Græciam cingentium ad Corſicam vsque. Reliquorum olim latiſſime extenſæ diœceſes hodie admodum coarctatæ ſunt; partim quod Chriſtianorum Græcorum numerus ob Turcarum tyrannidem pene indies imminuitur; partim quod eas ditiones hodie magnam partem incolunt ſectæ Orientales aliæ, quæ ſuos proprios Patriarchas, eosdem, quos illi, titulos vſurpantes, habent. *Hieroſolymitanum* ſane hodie nullos ferme Episcopos, nullaque oppida, præter Bethlehemum, vbi adhuc Episcopum reperiri aiebat, ſub ſe habere narrabat mihi ſupra laudatus Nathanaël Archie-Episcopus Leucados

dos. *Alexandrini* quoque, qui hodie Cairi reſidere dicitur, miſerrimam conditionem eſſe affirmabat.

§. XXXIX.

Reliquarum ſectarum Orientalium vulgo decem potiores numerari ſolent; *Melchitæ* ſcilicet ſiue Syri, *Georgiani*, *Neſtoriani* ſiue Chaldæi, *Moscouitæ* ſiue Ruſſi, *Indi* ſiue Chriſtiani S. Thomæ, *Iacobitæ*, *Cophtitæ*, *Armenii*, *Abesſini* & *Maronitæ*. Sed *Melchitæ*, *Georgiani* & *Moſcouitæ* doctrina fere per omnia, in cærimoniis quoq; ſacris magnam partem, cum Græcis conſentiunt; tantumque idcirco pro peculiaribus ſectis haberi videntur, quod peculiares Patriarchas ſiue Metropolitas habeant; *Melchitæ* quidem Patriarcham Damaſci ſedentem, qui *Antiocheni* titulo vtitur; *Georgiani* vero Metropolitam, nulli Patriarcharum obnoxium, in monte Sina habitantem; *Moscouitæ* denique ſuum Moſcuæ degentem, & a M. Moſchorum Duce conſtitui ſolitum, Patriarcham. *Indi* & *Maronitæ*, ſi vera ſunt, quæ narrantur, hodie Romanæ Eccleſiæ, eiuratis prioribus dogmatis, adhærent. *Cophtitæ* denique & *Abesſini* in doctrina, cærimoniisque plane conſentiunt, ac vtrique ſunt Iacobitæ. Quare hodie quidem non niſi tres præcipuæ Orientalium ſectæ a Græcis diuerſæ fuerint. Vna *Neſtorianorum*, qui ſub Patriarcha ſuo, in vrbe Muzal reſidente, per Babyloniam, Meſopotamiam, Asſyriam, Parthiam, Mediam, totamque Cathaiam latisſime diffuſi eſſe dicuntur, (etſi horum quoque pars, ſed exigua, Romano Pontifici ſe ſubiiciant) altera *Iacobitarum* (quos nonulli *Eutychianos*, ſed perperam, vocant, cum Eutychen diſerte damnent) pariter in Meſopotamia (vbi in vrbe Caramit Patriarcha ipſorum reſidet) itemque in Babylonia & Palæſtina (vbi Patriarcham Hieroſolymis, ſed Caramitenſi, qui ſe Antiochenum vocat, ſubiectum habent) Inſulaque Cy-

Cypro; & ſub nomine Cophtitarum in Ægypto (vbi in vrbe Cairo Patriarcha ipſorum Alexandrinus habitat) ſub Abesſinorum denique nomine in vtraque Æthiopia (vbi & ipſi ſuum Patriarcham habent, quem *Abuna* vocant, quique a Iacobitis quidem, monachis S. Antonii Hieroſolymæ degentibus, eligi, a Patriarcha vero Iacobitarum Antiocheno confirmari ſolet;) viuentium. Tertia denique *Armeniorum*, quorum etſi propria ſedes vtraque Armenia (vbi ſuos Patriarchas habent) cum Cilicia ſit; pasſim tamen per Orientem, magnamque Occidentis partem ſparſi reperiuntur, mercaturam exercentes; adeo vt etiam Patriarcham quendam Hieroſolymis, & alium prope Aleppum habeant. Sed de his omnibus (exceptis Moscouiticis, de quibus in Imperio Moscouitico agemus,) plura, DEO dante, dicemus in deſcriptione imperii Turcici, cum nulla earum ſectarum, in alio quodam imperio Europæ, notabili aliqua frequentia reperiatur. Interim ſi quis pleniorem de iis cognitionem deſiderat, adeat Brerevvoodum *cap. VII & ſeqq.* Hoornbeck *pag. 953. & ſeqq.* Hottingerum *parte V Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſect. II*; Philippum a ſanctisſima Trinitate *l. V Itinerarii Orientalis cap. IV, VI, VII, VIII & IX*; Boulayum *in Itinerario*, ſuperiore anno Amſtelodami lingua Belgica edito, *part. I cap. XXX & XXXII part. II cap. LVII & LIX & part. III cap. XVI &c.*

§ XL.

Quod *Mahumetanorum* ſiue Turcarum (vel vt ipſi appellari malunt, Muſulmannorum) religionem attinet, ipſo Mahumete, eius auctore, affirmante, ſumma fidei ipſorum conſiſtit in vulgato illo, quod pasſim tanquam religionis ſuæ ſignum oſtentant: *non eſt DEVS præter DEVM illum, & Mahumet DEI Apoſtolus:* ſumma vero religioſi eorum cultus in hoc, vt preces conſtanter ſta-

tis

tis temporibus fundant, eleemoſynas largiantur, peregrinationes ſacras ad certa loca inſtituant, & menſe Ramadan ieiunent. Videantur Eduardi Pocokii *notæ ad Gregorii Abul-Faraji ſpecimen hiſtoriæ Arebicæ, pag. 52. & 301.* Alii Turcarum XL articulos religionis Mahumeticæ fundamentales, ac ad ſalutem conſequendam, illorum opinione, neceſſarios, numerant: quos recenſet Hottingerus *lib. II hiſtor. Oriental. cap. III ſect. III.* qui & ibidem abſolutiſſimum religionis Mahumeticæ de DEO, prouidentia, Alcarono, officio Mahumetis, iudicio extremo, paradiſo, inferno, reſurrectione, purgatorio, fide, ſtatuque martyrum, compendium ex Arabico quodam libello manuſcripto Bibliothecæ Bongarſianæ deſcripſit: plenius eam declaraturus in Commentariis de Religione Mahumetica, ſiue Theatro Mahumetico. Ipſis Alcorani Arabici verbis præcipua doctrinæ Turcicæ capita ſub certis poſitionibus complexus eſt; breui quoque ſingulis poſſitionibus ſubnexa refutatione, Theodoricus Hackſpan in libello, cui titulum fecit, *Fides & leges Mahumetis.* Addenda Gisberti Voetii *diſputatio de Mahumetismo*, Hoornbecki *totus liber octauus ſummæ Controuerſ.* Alios auctores, qui doctrinam Mahumeticam confutarunt, recenſet idem Voetius *in Bibliotheca Theologica lib. II cap. V pag. 548. & ſeqq.* & poſt eum Hoornbeck *l. c. p. 81. & 82.* Quibus omnino addendus erat *Fortalitii fidei*, ante CC an. a Minorita quodam (Alphonſum de Spiria nominat Athanaſius Kircherus *in Obeliſco Pamphilio lib. I cap. II*) conſcripti, *liber IV*, in quo non ſolum doctrina & lex Mahumetis cum Chriſtiana religione tum ratione articulorum fidei, tum ratione præceptorum accurate confertur, & confutatur; ſed etiam hiſtoria Mahumetis, eiusque ſectatorum Chriſtianorumque aduerſus Saracenos bella & victo-

Digitized by Google

riæ modusque illos debellandi, prolixe exponuntur. Politices ſtudioſis ſuffecerit *confuſio ſectæ Mahumetanæ* Ioan. Andreæ, ſacerdotis Mauri, variis in linguis edita, aut Chriſtophori Beſoldi *Conſideratio legis & ſectæ Saracenorum*. Ipſe *Alcoranus*, qui illis eo loco eſt, quo nobis Biblia ſacra, lingua Arabica, qua conſcriptus eſt, nonniſi manuſcriptus (exceptis capitibus, quæ Th. Erpenius & Iac. Golius ediderunt) haberi poteſt: etſi iamdudum, & ante CXX minimum annos, a Paganino quodam Brixienſi litteris Punicis, hoc eſt, Arabicis, expresſum esſe, diſerte ſcribit Theſeus Ambroſius in *appendice Introductionis in varias linguas Orientales*, Papiæ anno CIↃIↃXXXIX excuſæ, *fol.200*; qui & *eiusdem introductionis fol.84.* quædam ex quarto eius operis quinternione adducit. Eius editionem nouam dudum adornarunt aut moliti ſunt Thomas Erpenius, Ludouicus de Dieu, Iacobus Golius, Ioannes Zechendorfius, aliique; ſed hactenus irrito conatu. Verſiones eius exſtant variæ, Latinæ, Germanicæ, Hiſpanicæ, Italicæ, Belgicæ & Gallicæ. Quarum optima eſt Gallica, paucis abhinc annis ab Andrea du Ryher edita; etſi paraphraſis potius, quam verſio eſt. Adhibitis enim præſtantisſimis Arabum commentatoribus, ea, quæ in Alcarano obſcura erant, illuſtrauit, latiusque diduxit is interpres. Sicuti contra Salomon Schvveiggeri verſio Germanica compendium potius Alcorani, quam Alcoranum ipſum exhibet. Ne dicam, quod minus fideliter ſenſum Alcorani exprimit. Quod etiam reliquarum, vna Gallica excepta, vitium eſt.

§. XLI.

Eſt autem *Religio Mabumetica* e *Iudaismo & Chriſtianismo* veluti mixta; ſic tamen, vt quædam *ſingularia* partim ab *hæreticis* deſumta, partim *ſuo ex ingenio* excogitata Mahumetes addiderit. A *Iudæis* accepta videntur,

tur, quod diuinarum perſonarum Trinitatem, Chriſtique Deitatem, acerrime inficiantur; quod legem Moſaicam magni faciunt; quod imagines abominantur; quod carne porcina & ſuffocato ac ſanguine abſtinent; quod lotionibus corporis vim expiandi peccata tribuunt; quod certis diei temporibus preces ſuas fundunt; quod vitam æternam in voluptatibus mundanis conſiſtere putant &c. a *Chriſtianis*, quod Iesvm, vt magnum Prophetam, venerantur; quod Ioannem Baptiſtam magni faciunt; quod etiam noui Teſtamenti libros (etſi depr auatos, vt putant) lingua Arabica legunt &c. ab *Hæreticis*, quod non Chriſtum ipſum, ſed alium eius loco crucifixum & mortuum eſſe volunt &c. *Singularia* vero & illorum propria dogmata ſunt, quod Mahumetem vltimum & maximum Prophetam, ipſoque Chriſto maiorem eſſe volunt; quod diem Veneris loco ſabbati feriatum habent; quod vino & luſu abſtinere tenentur, &c.

§. XLII.

Secta Mahumetanorum duæ ſunt celebriores; vna *Osmannitarum*, ſiue *Sunitarum* vel Sonnitarum, quam Arabes, Turcæ, Indi & Tartari ſequuntur: altera *Schaitarum* ſiue *Keſelbaſchiorum*, qui a Tartaris & Mogolitis *Rasſaſis*, a Turcis *Iusbegi* & *Gauri*, id eſt, hæretici, appellantur. Hanc imperatores Perſarum, eorumque magnates & milites ſequuntur. Hæ duæ ſectæ tanto ſe inuicem odio proſequuntur, vt Turcæ a ſe ad Perſas deficientes non minus, ac ſi ad Chriſtianos tranſiisſent, capitis ſupplicio afficiant; magisque DEO placere dicant, ſi quis vnum Perſam, quam ſi LXX Chriſtianos interficiat. Præcipua diſſenſionis cauſſa eſt, quod Perſæ ex ſucceſſoribus Mahumetis ſolum Haly pro legitimo agnoſcant ac colant; reliquos vero, qui ante Haly imperarunt, Abubekrum ſcilicet, Omarem & Os-

manem, non habeant pro Califis, ſed abominentur & damnent. Vid. Hottingerus *lib. II hiſt. orient. c. VI ſub fin.* & Hoornbeck *l. c. p. 88. & ſeqq.* De aliis eorum ſectis quibusdam nobilioribus vid. idem Hottingerus *ab initio dicti cap. VI.*

§. XLIII.

Videamus nunc breuiter, in quibus Europæ imperiis vnaquæque harum religionum hodie vigeat. Vbi in genere notandum eſt: I, duas tantummodo religiones in Europa, eiusque imperiis, ſummæ poteſtatis particepes eſſe, Chriſtianam & Turcicam: hanc quidem in imperio Turcico & Tartarico; illam in reliquis omnibus; duas reliquas iudaicam atque ethnicam, tam longe ab imperio abeſſe, vt raro aut vix vnquam ad inſigniores honores aut dignitates euehantur, qui alterutri earum addicti ſunt, niſi religionem ſuam abnegauerint: II, In iisdem imperiis non niſi tres Chriſtianorum ſectas Occidentales, Pontificiam ſcilicet Lutheranam & Reformatam, vnamque ex Orientalibus Græcam, imperare, ceteras omnes adeo non eſſe imperii participes, vt illis paucisſimis in locis aditus ad honores & magiſtratus pateat; publicum vero ſuæ religionis exercitium Occidentalibus quidem ſecundariis vix alibi, quam in ditionibus Polonicis, Anglicis, Belgicis & vno alteroque Germaniæ loco permittatur: III, Nullam e ſectis Occidentalibus ſecundariis in aliqua prouincia, immo vix in aliqua vrbe ampliore, ad Imperium aliquod Europæum pertinente, ſolam vigere: IV, Græcos quoque in iis imperiis, vbi non potiuntur ſumma poteſtate, & reliquos Orientales Chriſtianos, quemadmodum & Latinos ſub Imperio Turcico degentes, vix vllam prouinciam aut vrbem celebriorem ſolos & ſine Turcarum admis-

miſſione, inhabitare, niſi quod in Circaſſia, Mengrelia, Georgia, & monte Libano, ſoli habitare dicuntur.

§. XLIV.

In ſpecie *Iudaica religio* hodie toleratur, publiceque cultum ſuum exercet, in multis prouinciis & vrbibus Germaniæ; itemque in Bohemia, Polonia, Lithuania, Ruſſia, in multis Italiæ locis, præſertim in ditionibus Romani Pontificis & reipub. Venetæ; tum in Belgio federato, præcipue Amſtelodami, & nunc quoque Roterodami; ſed maxime omnium tum in Græcia, adeo vt Conſtantinopoli & Theſſalonicæ, ad IↃC M Iudæorum numerari dicantur; tum in Aſiaticis & Africanis Imperatoris Turcici prouinciis, quarum vix vlla eſt, quæ Iudæis careat; præcipue tamen reperiuntur Alepi, Tripoli, Damaſci, in Rhodo Inſula, in Arabia, Alexandriæ, Cairi, Feſſæ, Tremiſenæ & in regno Maroccano; qui poſtremi tamen fere omnes Karæi ſunt.

§. XLV.

Atque hæc de Iudæis, qui ſe tales profitentur, accipi debent, præter quos eſt aliud eorum genus, qui in ditionibus Lutheranorum, vbi Iudaica religio vetita eſt, Chriſtianos ſe ſimulant, & Baptismum recipiunt, ſed nihilominus clam religionem Iudaicam exercent. Vulgo *Chriſtiani noui* & per iocum ac riſum *equites montis Caluariæ* vocantur. De iis *Philippus* a *ſanctiſſa Trinitate lib. VI Itinerarii Orientalis cap. VIII* ſcribit, eos plus nocere Chriſtianis, quam notos Iudæos. Cum enim baptizati Chriſtianis annumerentur, iis etiam permitti, vt matrimonia cum veris Chriſtianis, &, quoniam pecuniæ apud Luſitanos cuncta obediunt, etiam cum nobilibus, contrahant. Quo fieri, vt ſiue ſolus pater, ſiue ſola mater, ſanguine Iudaico vel minimum infecti ſint, liberi ſuis parentibus

tibus hac in re non tantummodo ſimiles, ſed etiam peiores exiſtant; ac niſi inquiſitionis ſacræ vigilantia, multis eorum quotannis igne traditis, obſtaret, facile hanc lucem omnes infecturant. Quantum eorum in Chriſtianos odium ſit, inde conſtare, quod ex actis inquiſitionis appareat, quosdam eorum, in Parochos asſumptos, nunquam vere ſacramenta adminiſtrasſe, ſed deluſisſe ſuſcipientes; medicos quosdam ex eorum numero asſumptos, venenatis remediis infirmos necasſe, immo aliquos nullum diem transegisſe, quin aliquod nocumentum Chriſtianis attulerint, credentes, ſe in hoc obſequium DEO præſtare. In I alia quoque huiuscemodi clancularios Iudæos reperiri, oſtendunt, quæ nuperrime Mediolani & Neapoli contigere.

§. XLVI.

Ethnica ſuperſtitio ſiue Idololatria etiam nunc, ſecus quam multi exiſtimant, maximam Orbis terrarum partem occupat; duas ſcilicet partes tertias orbis cogniti, tam veteris, quem inhabitamus, quam noui, quem Americam appellamus. Nam Africæ dimidiam circiter partem implet; nempe a promontorio Blanco, latitudinis viginti graduum ſeptentrionalis ad promontorium Bonæ Spei; atque hinc porro ad regionem Mozambicam, XII graduum latitudinis auſtralis, tota ora maritima a gentilibus ſolis incolitur: niſi quod a Mozambica vsque ad promontorium Corrientes, XXIV graduum latitudinis auſtralis, Turcis; in Regnis Congo, & ſeptentrionalibus partibus Angolæ, Chriſtianis permiſcentur. In mediterraneis item Africæ regionibus omnibus inter Nilum & occidentale mare, Æthiopiæ a X gradu latitudinis auſtralis; & hinc porro per totam Æthiopiam verſus meridiem ex vtroque latere Nili, ab Orientali Æthiopiæ mari ad Occidentem & vsque

ad

ad caput Bonæ Spei (exceptis partibus Congi & Angolæ regnorum, vbi Chriſtiani; & extremo maris Orientalis a Mozambica verſus ſeptentrionem, vbi Mahumetani habitant) inque toto regno, Borno, & bona parte Nubiæ, nulla alia religio reperitur. In Aſia iidem gentiles incolunt oram maritimam a flumine Petzora vsque ad oceanum Orientalem. Hinc vsque ad meridionaliſſimum Indiæ totiusque Aſiæ punctum, promontorium Cincapuræ, indeque verſus Occidentem vsque ad oſtia fluminis Indi (exceptis partibus Indiæ inter Indum & Gangem, vbi Chriſtianis & Mahumetanis permiſti ſunt) parteque maritima Siam, quam Mauri Mahumetani incolunt, & vrbe Malacca quam Luſitani tenent) item in Mediterraneis pleraſque omnes regiones vltra Imaum montem (qui vt totam Aſiam in duas partes ſecat; ita ferme Mahumetanos illius incolas ab idololatris diſtinguit) ſitas: niſi quod verſus Auſtrum alicubi Chriſtianos & Mahumetanos, ſed pauciores numero, admiſtos habent. Inſulæ *quoque Orientales*, quarum e regione Sinæ CIↃ CCCC XLVIII; circa Indiam XXVII CIↃ numerantur, quæque ſimul ſumptæ tres quartas Europæ partes æquant, omnes (exceptis paucisſimis, quas Arabes, Hiſpani, Luſitani, & Belgæ tenent) ab Idololatris tenentur; adeo vt etiam Aſiæ minimum dimidiam partem occupent. America autem pene tota adhuc idololatrica eſt, nec niſi in vna ſeptima parte, mox enumeranda, Chriſtianos, eosque gentilibus permixtos, habet. Europæ denique partem L aut LX occupare feruntur.

§. XLVII.

Porro quamuis in ipſa Europa nullibi Imperium Ethnici obtineant; haud pauci tamen, tum in ipſa, tum in aliis ditionibus, Europæis principibus aut rebuspub. ſubiectis, reperiuntur. In Europa quidem in quibusdam pro-

prouinciis Imperii Suedici, videlicet in Lappia, Biarmia, Carelia, Schrickfinnia & ſeptentrionalibus partibus Finmarchiæ, quæ pene totæ a gentilibus incoluntur. Reliquiæ etiam eorum ſparſim in Lithuania, Volhinia & Samogitia, Polonici imperii prouinciis, deprehenduntur. Quod etiam de Liuonia nonnulli affirment. At extra Europam multo plures inueniuntur: I, In variis ditionibus Africanis & Aſiaticis, Imperatori Turcico ſubiectis: II, in parte Rusſiæ, in extremo ſeptentrione inter Petzoram & Oby fluuios, inque Permia, ſub Imperio Magni Ducis Moscouiæ: III, in regnis & Prouinciis Americæ, viciniſque inſulis, Hiſpano ſubiectis: IV, In maritimis prouinciis Braſiliæ, variiſque locis & Inſulis littoris Africani & Indiæ Orientalis, Luſitano ſubditis: ſparſim in regionibus Americæ, quas hodie Angli, Galli & Belgæ tenent.

§. XLVIII.

Antequam ab ethnica religione deſcedam, id quoque monendum eſt, ea, quæ de proportione eius ad reliquas religiones diximus, tantummodo de ethnicis terræ cognitæ incolis accipienda esſe. Nam ſi terram incognitam Auſtralem (quam orbe noſtro ſi non maiorem, ſaltem æqualem esſe, probabilibus argumentis viri docti colligunt;) itemque terras Polo arctico vicinas & ipſas nondum ſatis exploratas, annumeremus; ethnica religio multis vicibus reliquas ſuperabit. Nam in omnibus iſtis religionibus nullam aliam reperiri, credibile, immo pæne certum eſt.

§. XLIX.

Chriſtiana religio in Africa, Aſia & America paucisſimis in locis ſola reperitur. Quamquam enim in Abesſinorum Imperio regnat, tamen in eodem verſus Septentrionem & Occidentem idololatris, verſus ortum Mahume-

metanis admiſcetur. In inſulis quoque Africæ Occidentalibus, vt Madera, Canariis, Capitis Viridis, S. Thomæ, &c. inque partibus littoris Africani, quas Luſitani tenent, & ex parte exigua Belgæ, plerumque Gentiles aut Mahumetanos, quemadmodum etiam in regnis Congi & Angolæ; in Ægypto Mahumetanos admiſtos habet. In Aſia ſola quidem, in ditionibus quibusdam Moscouiticis in Circasſia, Mengrelia, regione Georgianorum, & monte Libano aut regnat aut ſubeſt; in reliquis vero prouinciis, vbi colitur, (colitur autem in Natolia, Armenia, Syria, Meſopotamia, Perſia, India eiusque inſulis, & nunc etiam in Sina) regno Tunkinenſi fere nusquam ſine alterius admiſtione reperitur, niſi in quibusdam caſtellis, quæ Luſitani, Belgæ aut Hiſpani tenent. In Americæ denique partibus, in quas introducta eſt, munimentis quibusdam exceptis, paſſim ethnicis permiſta eſt. At Europam totam poſſidet, exceptis partibus ſeptentrionalibus, quæ ab idololatris incoli diximus; & orientalibus, quas Tartari aut Turcæ tenent; in quibus tamen illis Chriſtiani intermiſti reperiuntur. In vniuerſum autem Terræ cognitæ partem circiter ſextam obtinere creditur.

§. L.

Quod Imperia Europæa attinet, regnat eadem religio in omnibus eorump rouinciis, (Turcico & Tartarico exceptis) & quidem ferme vbique ſola. Subeſt autem Turcicæ religioni I, in dominiis Turcicis; in Europa quidem a Buda & Raguſa vsque ad vltimos Europæ fines, inque plerisque inſulis maris Ægæi, ea proportione, vt Chriſtiani circiter duas partes tertias incolarum conſtituant. In Aſia vero & Africa multo minori proportione, niſi quod alicubi ſoli degunt: II, In Imperio Tartariæ mi-

noris, ſed exigua multitudine, & vix alibi, quam in Cherſoneſo Taurica.

§. LI.

In ſpecie *Pontificia Religio* regnat in ditionibus Hiſpanicis, Luſitanicis, Gallicis, in omnibus principatibus & Rebuspub. Italiæ, in Sabaudia, Germania, Hungaria, Bohemia, Polonia, Lithuania, in VII Pagis Heluetiæ & ex parte in Rhætia,& apud Stipendiarios Heluetiorum populos, ac apud Appenzellanos & Glaronenſes &c. Subeſt in Hibernia; in partibus Liuoniæ Suedo & Moſcho ſubiectis; in quibusdam locis Boruſſiæ; in quibusdam vrbibus & principatibus Germaniæ; in Friſia orientali & nunc etiam Amſtelodami & paſſim in Imperio Turcico: itemque in ditionibus Africanis & Indicis, fœderatis Belgis ſubiectis, in Iamaica Inſula & vrbe Duynkerka, ad Anglos pertinentibus: clam etiam & ſine publico exercitio Religionis, in Dania, Hollandia, ditione Vltraiectina, Tranſſiluania,&c.

§. LII.

Lutherana regnat in Dania, Norvvegia, Suedia, Liuonia, Holſatia & pluribus ditionibus Germaniæ, vt vtraque Saxonia, Franconia, Thuringia, parte Haſſiæ, Weſtphalia, Marchia Brandeburgica, Pomerania vtraque, Ducatu Wurtenbergico, Comitatu Mompelgardenſi, Marchionatu Durlacenſi, Alſatiæ parte &c. multisque vrbibus Liberis & Imperialibus. Subeſt in Hungaria, Tranſſiluania, Polonia, Ruſſia, Moſcouia, in quibusdam locis Belgii fœderati (vt Vltraiecti & in Hollandia) item in quibusdam principatibus ac vrbibus Germanicis: clam etiam Coloniæ Agrippinæ, Venetiis, Patauii; in Anglia, Gallia &c.

§. LIII.

§. LIII.

Caluiniana ſiue Reformata regnat in omnibus ditionibus Anglicanis, Scoticis & Hibernicis; in omnibus prouinciis Belgii federati, in quattuor pagis, ſiue potius vrbibus, Heluetiæ, oppidisque & vicis illis ſubiectis; in Transſiluania; in Repub. Geneuenſi; in quibusdam principatibus Germaniæ, vt in Palatinatu inferiori, in Haſſia Caſſellana, in ditionibus Anhaltinis, (excepta Serueſtana,) in prouinciis Electori Brandenburgico ſubiectis, (in quorum tamen plerisq; incolarum maior pars Lutherani ſunt) & ex parte in Weſtphalia, Rhætia & apud Appenzellanos & Glaronenſes, populosque Heluetiorum Stipendiarios &c. Subeſt in Gallia, Hungaria, Polonia, Dania, Pedemontio, paucisque Germaniæ principatibus ac vrbibus: ſine publico exercitio etiam Venetiis, in Sabaudia, Brabantia & alicubi in Imperio Turcico, ſed non admodum magna frequentia.

§. LIV.

Secundariæ ſectæ ſupra a nobis enumeratæ, ſedem ſuam potisſimum fixere in ditionibus Anglicis & Belgicis, tam in veteri, quam in nouo orbe; itemque in Polonia, Hungaria, Transſiluania & Dantiſci in Boruſſia, ac in ditione Eyderſtetenſi Holſatiæ. Alibi quidem cum publico exercitio; alibi ſine eo. *Anabaptiſtæ* etiam in Friſia Orientali, Morauia, Hamburgi, & aliis Germaniæ locis repeRiuntur.

§. LV.

Græca religio (quæ cultorum per totum orbem multitudine Romanæ, ſi excipias Catholicos in vtraque India degentes, haud impar eſſe exiſtimatur) in Europæis quidem Imperiis regnat in Moscouia & Ruſſia alba, in Walachia, Moldauia & apud Coſacos: ſubeſt Turcis magna

frequentia in Græcia, Thracia, Macedonia, Epiro, Bulgaria, Raſcia, Seruia, Boſnia, Dalmatia, Croatia, Hungaria, inque inſulis maris Ægæi,& aliis Græciam cingentibus; minori frequentia in Aſia & quibusdam monaſteriis Africæ, ac partibus Abesſinæ, proximis annis a Turcis occupatis; Polonis in Rusſia minore ſiue rubra, Podolia & Lithuania: Tartaris in Cherſoneſo Taurica: Hiſpanis in Sicilia & regno Neapolitano; Papæ in vrbe Roma (ſed non alii, quam qui caput Eccleſiæ eum agnoſcunt) Venetis in vrbe Venetiarum,& littore Dalmatico, aliisque eorum ditionibus, præſertim in inſulis eorum iurisdictioni ſubiectis,&c.

§. LVI.

Ex *Orientalibus* ſectis *Melchitæ, Georgiani, Neſtoriani, Iacobitæ, Cophtitæ, Abesſini* & *Maronitæ* in nullo, quod ſciam, imperio Europæo, præterquam Turcico, ſedem fixerunt: niſi quod *Maronitæ* Romæ ſeminarium habent: vbi & quidam e reliquis, ſed paucisſimi, nec alii quam Romani Pontificis ſupremum in Eccleſias omnes dominium agnoſcentes, inueniuntur. *Indi* ſiue *Chriſtiani S. Thomæ* in Inſulis Goæ vicinis, & Regi Luſitano ſubiectis magno numero habitant: *Armenii* vero pasſim cum in ditionibus Indicis Luſitanorum ac Belgarum; tum in Italia, vt Romæ, Venetiis, & in quibusdam vrbibus M. Ducis Etruriæ, item Vilnæ in Lithuania, habitant.

§. LVII.

Supereſt *Mahumetana religio*, quæ terræ habitatæ partem V obtinere creditur. Occupauit enim in Africa quidem I, totum littus Oceani Atlantici, a Promontorio viridi vsque ad fretum Gibraltar; II, Totum littus maris mediterranei, a freto Gibraltar vsq; ad Ægyptum, exceptis pau-

Digitized by Google

paucis vrbibus,quæ Hiſpanis & Luſitanis parent: III, Oram ſinus Arabici a Suez vsque ad promontorium Guardafu, vnico portu Ercoco, qui Abesſinorum eſt, excepto: IV, a dicto promontorio verſus meridiem omne littus maris Æthiopici, vsque ad Mozambicum, ita tamen, vt a Suachen vsque ad Mozambicum, tantum littora teneant Mahumetani, in mediterraneis vero præterquam in regnis Dangali & Adel, ad fretum Babelmandel ſitis, ſedem non fixerunt; a regno autem Adel, & promontorio Guardafu idololatris permiſceantur: V, Maritima inſulæ Madagascar & plurimas in Oceano Africano inſulas. Atque hæc omnia Imperio Turcico ſubſunt, dimidiamque partem oræ maritimæ Africanæ comprehendunt. In mediterraneis quoque eiusdem Africæ occupauit eadem religio: VI, Totum, inter Mare mediterraneum & fluuium Nigrum, Continentem quam Nilus lambit, vsque ad inſulam Meroen; vltraque Nigrum omnia Nigritarum regna, quæ ille alluit; adeoque totam Barbariam, Biledulgerid, Libyam deſertam & regionem Nigritarum; & conſequenter totam Africam interiorem a Mari mediterraneo (exceptis quibusdam maritimis partibus verſus Mare Atlanticum, a promontorio Blanco verſus Auſtrum, regno Borno, & parte bona regni Nubiæ) hoc eſt, quattuor nonas totius Africæ partes. In Aſia posſidet I, totam oram maritimam verſus Auſtrum, a ſinu Arabico ad fluuium Indum, cum Regnis Cambaiæ, Bengalæ & quarta parte Malabarum: II, Quidquid ab occidentalibus Aſiæ terminis verſus orientem vsque ad Imaum montem decurrit, i.e. a Tanai, Ponto Euxino, mari Ægæo, & mediterraneo, dimidiam longitudinem Aſiæ: III, Quasdam prouincias vltra Iamaum in Cathaia: IV, Bonam partem in-

ſularum Maldiuarum, omnes fere portus inſulæ Sumatræ, portus Iauæ, Bandæ, Borneo, & Gilolo Inſularum & aliquas e Moluccis, vt regnum Celebes. Immo ſi Varenio in deſcriptione variarum Religionum pag. 23. credimus, Sina & Iaponia exceptis, nulla aut Prouincia aut inſula Aſiæ eſt, quæ non aliquot huius religionis cultores numeret. In Europa nonniſi verſus Orientem reperitur, ſcilicet I, in regionibus inter Tanaim & Boryſthenem ſitis, & quæ ſecundum longitudinem paludis Mæotidis & Ponti Euxini currunt: II, in regionibus omnibus, quas Turcæ tenent, & paucis vicinis.

§ LVIII.

Quod Imperia Europæa attinet, regnat hæc religio nullibi, quam in Turcico & Tartarico: ſubeſt autem Pontificiæ in quibusdam pagis Lithuaniæ prope Vilnam, & nonnullis ditionibus Africanis & Aſiaticis Luſitanorum ac Belgarum; Græcæ in Walachia ac Moldauia, & alicubi in Moscouia. Toleratur etiam Venetiis, ſed ſine exercitio.

§. LIX.

Præter has quattuor vulgo notas religiones feruntur eſſe quædam e duabus earum, aut etiam tribus, mixtæ ac temperatæ. Sic e Chriſtianismo & Mahumetismo mixta dicitur *Religio Curdorum* & *Druſorum*, quorum *illi* montana circa vrbem Mozal, inter Armeniam & Meſopotamiam incolunt; *hi* circa montem Libanum in Syria habitant. E Iudaismo & Chriſtianismo multi compoſitam cenſent *religionem Abesſinorum*, eo, quod circumciſionem, obſeruationem ſabbati, & legum Moſaicarum de cibis illicitis & contaminatione atque expiatione corporis retineant. E tribus compoſita dicitur *Religio Morduitarum*, quæ gens inter Tartaros Precopenſes & Moſchos ortum verſus ſita eſt.

eſt. Nam ſi credimus Brerevvoodo in *Scrutinio religionum pag. 99.* baptizantur vt Chriſtiani, circumciduntur vt Mahumetani, idolaque adorant vt Ethnici. Sed *auctor Archontologiæ Cosmicæ p. 466.* negat, eos aut baptiza i, aut idola colere, ſed affirmare, ſe viuere ſecundum leges naturæ, Deumque Creatorem vniuerſi adorare. Alexander Guagninus in *Deſcriptione Moscouiæ*, quosdam eorum Mahumetis ſectam amplecti; quosdam in Idololatria perſeuerare ait. Miſta quoque videtur religio quorundam incolarum Perſiæ atque Arabiæ, qui ſe ipſos *Mendai Iaia*, aut *Mendai* ſimpliciter, id eſt, diſcipulos vocant; ab Arabibus autem *Sobbi* vel *Sabis*, a Luſitanis *Chriſtiani S. Ioannis* appellari ſolent, etſi vere Chriſtiani non ſint. Mahumeti quidem eiusque asſeclis, tanquam religionis ſuæ perſecutoribus, infeſtisſimi ſunt; Alcoranum tamen, vna cum duobus libris aliis, quorum vnum *Librum Adam*, alterum *Diuan* vocant, pro libro ſancto habent: DEVM vnum agnoſcunt, cuius filius ſit Angelus Gabriel, per quem mundum Adamque & Euam condiderit; Angelos & Diabolos matrimonia inire, ſuique ſimiles generare credunt; Ieſum a Virgine, quæ potu aquæ Iordanis conceperit, natum, & a Ioanne (quem ſanctitate & doctrina omnes mortales ſuperasſe, vxorem habuisſe, tresque filios, non tamen ex illa, ſed a Iordane ſuſcepisſe inque Perſia ſepultum esſe, perhibent) aqua cœlo delapſa baptizatum, aiunt: Episcopos & Sacerdotes habent; ſed nullos alios, quam qui vterum matris aperuerint; panem, vinum & oleum inter ſe commixta conſecrant & diſtribuunt; gallinas quoque & arietes offerunt: infantes trina immerſione baptizant *in nomine DEI primi & vltimi, Domini mundi & Paradiſi Rectoris & Creatoris omnium*: matrimonium quoque inituros rebaptizant, & in tribus magnis feſtis, quæ quotan-

Digitized by Google

annis celebrant omnes alios. *Curdi* & *Druſi* Turcarum Imperatori; *Abesſini* partim eidem; partim ſuo Imperatori; *Morduitæ* M. Duci Moscouiæ ſubſunt. *Sobbi* circa Basſaram in Arabia deſerta potisſimum habitant, numero, vt fertur, circiter XV aut XX M. Quidam, ſed pauciores, etiam circa Bagdad, præcipuam Chaldææ vrbem, adeoque partim ſub Imperatore Turcico, partim ſub Perſa, partim, & quidem plerique, ſub Principe Basſaræ viuunt. Sæpius ad Chriſtianos tranſire conati ſunt; ſed irrito conatu. Plura de iis videantur apud *Philippum a ſanctisſima Trinitate lib. VI Itinerarii Orientalis cap. VII & lib. IX c. IV* ac Franc. Boullayum *parte II Itinerarii a cap. XLIV vsque ad L.*

§. LX.

Superſunt ex iis, quæ de ſtatu Religionis obſeruanda potisſimum eſſe ſupra §. II. diximus, quattuor vltima capita: de quibus breuisſime dicemus. Quod igitur *poteſtatem imperantium circa res & perſonas ſacras* attinet, ea maxima eſt apud *Turcas, Græcos* & *Lutheranos*; aliquanto minor apud *Reformatos*; exigua apud *Pontificios* in Gallia, Germania & apud Venetos; vix vlla apud reliquos Pontificios; excepto Pontifice Romano, cuius in omnes res & perſonas ſacras ſuo imperio ſubiectas plenisſima, in aliorum quoque imperiorum ſuæ religioni addictorum, Clericos & bona valde ampla eſt iurisdictio.

§. LXI.

Quantum ad *IV caput*; *Turcarum* religio plane politica, & imperio proferendo adaptata eſt, vt annotauit inter alios Traianus Boccalinus *Relationum e Parnasſo part. I cap. LXIV*; pluribus documentis confirmauit illuſtris Forſtnerus *ad Annalem Taciti IV pag. 343. & ſeqq.* Facile tamen & ſæpe rebellant, ſiue ſuæ, ſiue alienæ religionis

Prin-

Principibus ſubſint, quoties rebellioni pares ſe esſe credunt. *Iudæi* quamuis vt Chriſtianis omnibus, ita & imperantibus, tanquam a ſua religione alienis & oppresſoribus, infeſtisſimi ſunt; vix vnquam tamen noſtris temporibus aliquid aduerſus eorum maieſtatem ac ſecuritatem tentasſe reperiuntur: immo plerorumque gratiam variis artibus ſibi conciliare conantur. *Ethnici* quoque, qui ſub Chriſtianis Principibus aut Rebusp. degunt, ſic ſatis quiete viuunt: niſi quod in America, & India orientali, Hiſpanorum ac Luſitanorum, alicubi & Gallorum, Anglorum & Belgarum, imperium nonnunquam excutere nituntur: ſed plerunque aut tyrannide præfectorum exacerbati, aut a Chriſtianis rebellibus impulſi. Nullam ex omnibus Religionibus ſecuritati imperantium & tranquillitati imperiorum amiciorem atque accommodatiorem esſe, quam *Chriſtianam*, bene quidem aduerſus Machiauellum oſtendit Beſoldus *lib. II, ſynopſ. polit. plenioris cap. XI, §. IV & V*; ſed tamen id de omnibus eorum ſectis verum non eſt. *Lutheranam* quidem Imperantibus æquisſimam esſe, nec aduerſarii noſtri negare audent; vnde rarisſimæ inter eos rebelliones. *Græci* quoque & reliqui *Orientales*, modeſte ſatis aduerſus ſuperiores ſuos ſe gerunt, etiam iis in locis, vbi magna eorum multitudo & potentia. Nam quod Coſaci, Moldaui & Walachi ad rebelliones promti ſunt, non a religione, ſed ingenio nationum, aut oppresſa eorum libertate eſt. Sed & *Sociniani* ac *Arminiani* in principes ſuos inſurgere aut nolunt, aut non audent. *Anabaptiſtæ* cum turbis nati, & olim ad ſeditiones promtisſimi, noſtro tempore multo modeſtiores ſunt, niſi quod nuper in Anglia ſemel iterumque res nouas moliri viſi ſunt, ſed irrito conatu. At *Fanaticorum* genus omne imperantibus admodum infeſtum eſt; quip-

pe quos omnes pro Antichriſtis habent. Sed his quoque vires deſunt. Magis noxia ſummis poteſtatibus eſt religio *Pontificia*; non ſolum ob dogmata quædam, maieſtati ac ſecuritati imperantium aduerſa, a nonnullis Ieſuitis aliisque nuper introducta: (qualia ſunt, Papæ competere imperium aut directum aut ſaltem indirectum in omnes Principes Chriſtianos, omniumque Chriſtianorum bona & poſſeſſiones, eumque adeo dominia pro lubitu in alios transferre Principes, ſi hæretici aut ſedi Romanæ inobedientes ſint, imperio ac ditionibus ſuis exuere, ſubditos obedientia ipſis debita exſoluere, iuramenta, quibus ſe obſtrinxerunt, relaxare poſſe: non eſſe legitimos Imperatores, Reges aut Principes, qui a Papa excommunicati aut non approbati ſint; eoque ſubditis licitum, illos non ſolum imperio deiicere, ſed etiam occidere ſiue vi aperta, ſiue inſidiis aut veneno: pacem, quæ inuito Papa & cum Eccleſiæ Romanæ detrimento initur, irritam eſſe, neque ad eam obſeruandam quemquam Catholicorum obſtringi: hæreticis non eſſe ſeruandam fidem, ſed ferro flammaque exſtirpandos &c.) ſed etiam denegatam, communi Pontificiorum doctrina, imperantibus (quos tantummodo defenſores Eccleſiæ, ac ſententiæ a Papa latæ executores faciunt) poteſtatem ac iurisdictionem in res & perſonas ſacras, curam veræ religionis directiuam, ius vocandi Paſtores Eccleſiæ, ius ſanciendi leges Eccleſiaſticas, facultatemque iudicandi de controuerſiis fidei & cauſſis Eccleſiaſticis: quæ omnia ſoli Papæ & Clericis ab eo conſtitutis (quos nullo modo in rebus ad Eccleſiam pertinentibus a magiſtratus arbitrio pendere volunt) adſcribunt. A qua culpa neque *Caluiniani* plane immunes ſunt; quos & ipſos in doctrina de ciuili & Eccleſiaſtica poteſtate non parum in ſummas poteſtates iniurios eſſe, clare ſatis oſtendunt,

quæ

quæ haud ita pridem aduerſus Nicolaum Vedelium, Pontificias hypotheſes in *tractatu de Epiſcopatu Conſtantini M.* oppugnantem, ſcripſere Iacobus Triglandius in *Libello de poteſtate ciuili & Eccleſiaſtica*, Guilielmus Apollonius *in tractat. de iure Maieſt. circa ſacra* & in eiusdem argumenti libellis Iacobus Ræuius & Cabeliauius miniſter Amſtelodamenſis. Vid. D. Hulſemannus in *Extenſione Breuiarii Theologici c. XX.* & H. Grotius in *tract. de iure ſummarum poteſtatum circa ſacra.* Adde, quod iam dudum Caluiniſmus ob varias turbas, quas in Gallia, Belgio, Britannia, Hibernia, Germania & Bohemia dedit, crudelis & ſanguinarii ingenii ſuſpicionem de ſe in optimi cuiusque & pacis amantisſimi animo concitauit. Saltem *Puritanos* & inter illos præcipue *Independentes*, ſummis poteſtatibus, præſertim Monarchis & optimatibus, infenſisſimos eſſe, ſatis hodie conſtat. Vid. Petrus Gartz in *tract.* ſupra laudato *de Puritanismo*, & qui præterea peſtilentisſimæ hæreſis ingenium ex vero deſcripſerunt.

§. LXII.

Quod *reditus ſacrorum* tum *hominum*, tum *Templorum, Collegiorum, Cœnobiorumque* attinet, illi fere amplisſimi ſunt apud *Pontificios*, maxime in Hiſpania, Germania; mediocres apud *Lutheranos*, præſertim in Dania & in aliis quibusdam locis; niſi quod Anglorum Epiſcopi & Canonici, nuper cum rege ſuo reſtituti, breui ad priſtinas opes redeundi ſpem habent; tenuisſimi apud *Iudæos* & *Gentiles* itemque apud plerosque *Chriſtianos Orientales*; qui ferme omnes partim ex ſtipe & eleemoſynis, partim labore manuum ſuarum victitant.

§ LXIII.

Ad *deliberationes de Repub. iudicia magiſtratus, Legationes* & ſimilia Reipub. munia obeunda ſacerdotes ac mona-

Digitized by Google

chi *Græcorum*, aliarumque ſectarum *Orientalium* Turcis aut Tartaris ſubiecti, itemque Theologi ac miniſtri *Reformati* (excepta Britannia & Hibernia, vbi præcipuus olim Epiſcopis in Parlamento & aula locus) nunquam, quod ſciam; *Lutherani* raro, & vix alibi, quam in Dania & Suedia, vbi inter ſtatus regni ſunt; *Moſchorum* & *Coſacorum* ſacerdotes ac monachi aliquando adhibentur: at apud *Pontificios* creberrime Cardinales, Epiſcopi, Abbates, Monachi & Ieſuitæ, præſertim in aula Pontificia & Hiſpanica, non ſolum ad præcipuas Reip. functiones togatas; ſed etiam ad militares, ipſaque ſupremi Ducis bellici munia, admouentur.

§. LXIV.

De præſenti *rei litterariæ* in Europa eiusque Imperiis ſtatu cum alia occaſione, DEO dante, prolixe agere conſtituerimus, heic pauca tantum annotabimus: I, Nullibi per orbem terrarum variæ ſcientiæ & artes accuratius, ſolidius, clarius & plenius tractantur, quam in *Europa* ejusq; imperiis. Quanquam enim & *Sinæ*, *Perſæ* atq; *Arabes* magna diligentia litterarum ſtudia, colant magnoq; viros doctos numero, magnisq; impenſis & ingentibus præmiis ornent; varietate tamen eruditionis, & cognitionis perfectione ac ſoliditate, Europæis multo inferiores ſunt: II, In plerisque imperiis Europæis fere omnes artes ac ſcientiæ non ſolum peiore loco non ſunt, quam fuere ſuperiore ſæculo; ſed etiam multo maiorem perfectionem conſecutæ ſunt: præſertim *Theologia, Medicina, Philologia, Hiſtoria, ſcientia naturalis, & disciplinæ mathematicæ*: III, Variarum disciplinarum ſtudia nunc maxime florent in *Gallia, Anglia, Belgio, Italia, Germania* & *Hiſpania*: nam in his & Academiæ Scholæque illuſtres, & Bibliothecæ omnibus librorum generibus inſtructæ, & viri denique varia eruditione ex-

Digitized by Google

exculti, multo plures quam alibi, reperiuntur: maius quoque in his locis pretium viris doctis ſtatuitur, faciliorque illis ad honores ac opes aditus patet: IV, Non omnia ſtudiorum genera æque in omnibus illis prouinciis florent; ſed alia heic, alia alibi magis florent; ſic v. g. *Theologiam Scholaſticam* maxime excolunt Hiſpani, Angli, Belgæ & Germani; *exegeticam* Biblicam Germani, Belgæ, Angli & Galli; *moralem & caſualem* Hiſpani, Itali & Galli; *Patriſticam* ſiue Eccleſiaſticam Galli, Angli & Belgæ Hiſpanienſes. *Iurisprudentia Romana* potiſſimum nunc floret in Italia, Germania, Gallia & Belgio; *Medicina* in Italia, Gallia, Anglia, Belgio & Germania; *Philoſophia Peripatetica* in Italia, Hiſpania & Germania; *noua* ſiue *Antiperipatetica* in Gallia, Belgio federato, & Anglia; *Phyſica ſpecialior & Matheſis* in Italia, Gallia, Anglia & Belgio; *moralis & ciuilis Philoſophia*, in Gallia, Italia, Hiſpania & Belgio; *Philologia* denique & *Hiſtoria* in Italia, Gallia, Anglia & Belgio: V, Vt olim, ita & hodie, variæ inter eruditos *ſectæ* reperiuntur. De *Theologis* iam diximus. Inter *ICtos* proprie loquendo nullæ hoc tempore reperiuntur. Inter *Medicos* potiores ſunt *Galenica* ſiue Hippocratica; *Spagyrica* ſeu Paracelſica vel chimica, & ex his mixta ac temperata, hodieque maxime vigens *Dogmatico-Hermetica* ſiue Galenico-Paracelſica. Quibus fortaſſe non male addideris nuper natam *Helmontianam*, quippe longe aliis, quam reliquæ omnes, principiis innixam. *Empiricos*, qui quidem hodie ſic dicuntur, Medicorum nomine heic non comprehendimus *Philoſophorum* ſectæ hodie præcipue florentes ſunt *Peripatetica, Antiperipatetica vulgaris* (ad quam etiam dogmata *Sennerto-Sperlingiana* referimus) *Carteſiana*, *Gaſſendiana*, &, quæ nuperrime in Anglia acceſſit, *Hobbiana*. *Aſtronomorum* pro diuerſitate

Digitized by Google

hypotheſium de ſyſtemate mundi, ſiue ordinis, quem ma iora mundi corpora inter ſe tenent, alii *Ptolemaici*, alii *Tychonici*, alii *Copernicani*. Singulorum hypotheſes ſeorſim dilucide breuiterque expoſuit Gaſſendus *lib. II & III Inſtitut. Aſtronomic.* His acceſſere poſt alii, qui terram quidem in centro mundi reliquerunt, ſed tamen diurnum ipſi motum, ſiue potius gyrationem, adſcribunt, vt Origanus, Longomantanus &c. Noua ſyſtemata Raimari Vrſi, cuius Gilbertus *lib. II Phyſiologiæ nouæ cap. X & XX*, Ioan. Bapt. Baliani, cuius Ricciolus *lib. III Almageſti cap. VI §. V.* & ipſius Riccioli, cuius *eodem loco* meminit; quemadmodum & illud, quod nuperrime finxit Iacobus Coccæi in *Epiſtola ſiue Dialogiſmo Paradoxo de mundi, quæ circumferuntur, ſyſtematis, & nouo alio illis certiore*, superiore anno Amſtelodami excuſo, heic omitto: quoniam nondum, quod ſciam, ſectatores nacta ſunt. *Chronologorum* præcipuæ ſectæ ſunt *Scaligero-Caluiſiana* & *Petauiana*; quæque his nuper acceſſit, *Hainliniana*, ſed a paucis approbata. Sed de his omnibus alibi, vt diximus, plura.

DISSERTATIO IV.

De

Præſenti Belli Pacisque in Europæ Imperiis ſtatu.

§. I.

REſtat, vt *de ſtatu belli & pacis* quædam ſubiiciamus; quem pariter velut vno intuitu complecti, animoque circumferre multum conducet Politices Impe-

periorumque Notitiæ ſtudioſo. Præſertim cum, ex quo tempore per varios tractatus pax ſuperiore anno a Potentisſimis Europæ Principibus ac Rebuspub. concluſa, ſuisque Britanniæ Rex reſtitutus eſt, facies rerum in Europa plurimum immutata ſit.

§. II.

Cunctis Europæ Principibus ac Rebusp. cum vicinis aliisque tum Europæ, tum reliquarum orbis partium, populis ac principibus aut bellum aut pax eſt. Nam, vt bene *Cic. Philip. VIII inter bellum & pacem nihil eſt medium. Bellum* autem heic voco quodcunque certamen armorum aduerſus populos aut cœtus, quos pro hoſtibus habemus, ſuſceptum; ſiue exteri & ſui iuris ſint, ſiue nobis ſubiecti ac rebelles. Neque intereſt in præſenti, iuſte an iniuſte; ſolenniter & cum debitis cærimoniis, an ſine illis ſuſceptum ſit: quemadmodum nec, vtrum actu exerceatur, an ad certum tempus, ſiue pro arbitrio partis vnius, ſiue mutuo partium conſenſu, ceſſet. Bellum enim ſtatus, non actionis aut operationis, nomen eſt. Quare & induciæ, niſi aliunde conſtet, eas paci æquiualere, (quales fuere, quas Henricus VII Angliæ Rex cum Iacobo Scotorum Rege iniuit, vid. Verulam. in *hiſtor. Henrici VII*) ad belli tempora pertinent, vt oſtendit Grotius *l. III de I. B. &. c. XXI, §. I & II.* Vnde tacitus eas *belli commercia* vocat. *Hiſt. III, 81, 4.*

§. III.

Pax eſt cum omnibus illis, quibus cum non eſt bellum, ſiue antea fuerint hoſtes, ſiue non fuerint. In ſpecie & maxime *cum ſociis & federatis*; dein *cum amicis*, hoc eſt, quibus cum fedus quidem non habemus, amicitiam tamen colimus & commercium habemus; poſtremo cum illis, *cum quibus* (vt ait Pompon. ICtus *L. poſtliminii V §. II D. de captiu. & poſtlim.*) *neque amicitiam, neque hoſpitum,*

ne-

Digitized by Google

neque fedus amicitiæ cauſſa factum habemus. Quanquam enim hoc poſtremum genus *auctor iuris & iudicii fecialis, ſiue iuris inter gentes part. I, ſect. VII* §. *IV inimicos* vocet, interque eos principes populosque referat, *quibus lis eſt vel contentio cum aliis:* duas tamen ob cauſſas ei aſſentiri non poſſimus. Primo namque ICtus *d. l. Poſtlim.* diſerte negat, eos hoſtes eſſe, ex eoque, quod liber homo noſter ab iis captus ſeruus eorum fit, adeoque eo etiam caſu poſtliminium datum eſt, colligit, in pace quoque poſtliminium datum eſſe. Deinde vox *inimici* vſu & conſuetudine loquendi ſemper odium & perſecutionem inuoluit. Quæ tamen ab eiusmodi populis non ſolum abeſſe poſſunt, ſed etiam ſæpe abſunt. Et interim negari nequit, non tantum olim a Græcis ac Romanis eiusmodi populos quoad aliquos belli effectus inſtar hoſtium habitos; ſed etiam hodie pro talibus, cum a Turcis aliisque barbaris gentibus, tum interdum ab Hiſpanis, Luſitanis & Belgis, præſertim in nouo orbe Indiaque Orientali, haberi.

§. IV.

Bella, quibus Principes & Reſp. Europæ, poſt concluſam Pacem Hiſpano-Gallicam, Suedo-Polonicam & Dano-Suedicam, etiam nunc implicantur, *in ipſa quidem Europæ ſeptem* omnino reperio, quorum primum & antiquiſſimum eſt *Hiſpano-Luſitanicum*, ab anno CIↃIↃCXLI quo Luſitanorum ab Hiſpanis defectio penitus erupit, inter Philippum IV Hiſpaniæ, & Ioannem IV eiusque filium, Alphonſum Henricum, Portugalliæ Reges, in finibus Andaluſiæ, Extremaduræ, Caſtiliæ & Galliciæ, exiguis vtrinque copiis dubio Marte, tentatum potius, quam geſtum: proximo tamen vere ab Hiſpanis, ſi euentura ſunt, quæ iam alterum annum iactant ac minantur, magnis viribus inſtaurandum, inque ipſam Luſitaniam transferendum.

Quod

Quod ſi futurum eſt, verentur multi, vt Luſitania diuitiis magis, quam viris abundans, ſubque rege adoleſcentulo, non minus motibus internis, quam vi externæ obnoxia, præterea, dum Gallorum ope ſe deſtitutam, neque ſpem pacis cum Belgis ineundæ vllam ſibi reliquam videt, paullatim nutans, ſuſtinendis Hiſpanorum viribus part ſit, ſi maxime Maurorum auxilia acceſſerint: niſi fortasſis Angli Suedique, quorum multum intereſt, Luſitaniam ſeruari, ſuppetias ei, quas ſperare videtur, ferant.

§. V.

Alterum eſt *Turco-Venetum,* quod anno CIƆ IƆC XLV Ibrahim, Imperator Turcicus, Venetis, quod nauem, cum concubina ſua ac filiolo Meccam petituram, a Melitenſibus captam in Candia recepisſent, vendique pasſi esſent, quodque mox ſibi, Melitam inſulam, vt aiebat, obſeſſuro, receptum in portu Sudæ denegasſent, in Candia & Dalmatia intulit, iisdemque in regnis, & aliquot inſulis Archipelagi, magno feruore continuat filius eius, Mahumetes IV, cuius tamen impetum Sereniſſima Respub. a Melitenſibus, & nuper etiam a Gallis adiuta, hactenus fortiter feliciterque ſuſtinet; ſæpius in ipſo egreſſu profligatis claſſibus Turcicis, vrbeque Candia, regni metropoli, cum quibusdam oppidis & caſtellis, ſibi tum in Candia, tum in Dalmatia reliquis (nam pleraque Turcæ tenent) ſtrenue defenſis; inſulis etiam aliquot minoribus Turcæ ereptis. Immo nuper Turcas plane Candia pellere conata eſt Gallorum ope; audacius tamen, quam felicius: idem vt videtur, denuo auſura hoc anno, ſi Gallus, Papa & Florentinus, ac fortasſis & alii, ſatis ſuppetiarum miſerint; niſi ſi fortasſe Turcæ, omnes copias ſuas congregantis, totique Chriſtiano orbi bellum minitantis, ingens apparatus eorum conſilia interuertat.

Digitized by Google

§. VI.

Tertio loco pono *Luſitano-Belgicum*, paullo poſt initas inter vtrumque populum inducias (quod an. CIↃ IↃC XLI factum eſt,) a Luſitanis inſtauratum, Belgis primo Reciffa & Parayba, decennio poſt tota Braſilia, cum milite & commeatu a ſuis deſtituti eſſent, pulſis. Quod tamen damnum Belgæ aliquot vrbibus & caſtellis in orientali India Luſitanis ereptis compenſarunt. In qua parte orbis nunc potisſimum bellum hoc geritur. Nam in Braſilia ex eo tempore nihil memorabile geſtum eſt. In Europa nihil amplius, quam quod ſubinde naues aliquot mercatoriæ in oceano Occidentali captæ aut euerſæ ſunt, præſertim a Belgis.

§. VII.

Quartum eſt *Moſcho-Polonicum*, ab Alexio magno Moſchorum Duce anno CIↃ IↃC LIV, asſumtis in ſocietatem belli Coſacis rebellibus, qui ſe illi ſubiecerant, Coronæ Polonicæ in Lithuania & Podlachia illatum, atque magna vtrinque contentione, ad Polonorum partes accedentibus Tartaris, continuatum; donec ſub finem ſuperioris anni pluribus Moſchorum exercitibus captis aut profligatis, Coſacisque denuo ad obſequium Coronæ Polonicæ reductis, pacis ſpes apparere cœpit: in quam tanto facilius conſenſuri videntur Poloni ac Moſchi, quanto maior vtrisque a Turcis ac Tartaris metus eſt.

§. VIII.

Biennio poſt anno ſcilicet CIↃ IↃC LVI ortum eſt nouum bellum, cui quintus locus debetur, nempe *Moſcho-Suedicum*; cum magnus Moſchorum Dux Alexius ſubito Suedos, qui Lithuanorum patrocinium ſuſceperant, in Liuonia adoriretur; captisq; aliquot vrbibus & caſtellis, totaque pene Liuonia ſubacta, ipſam vrbem Rigam diu, ſed irri-

irrito conatu, obſideret. Hoc bellum circiter biennio abhinc propter triennales inducias (proximo Martio finiendas) intermiſſum potius, quam compoſitum eſt; creduntur que Suedi, elapſo induciarum tempore, ad illud maiore apparatu ac vi redituri, niſi communis a Turcis & Tartaris metus eos ad pacem cum Moſcho ineundam, aut ſaltem inducias prorogandas, impulerit.

§ IX.

Nouisſimum bellorum, quæ hodie geruntur, eſt *Turco-Transſiluanicum*, quo ante biennium, & quod excurrit, conniuentibus, immo approbantibus, ac fortasſis & inſtigantibus, Cæſare ac Polono, Imperator Turcicus Georgium Ragozium, Transſiluaniæ Principem, causſatus eum contra interdictum ſuum Suedis in Polonia opem tuliſſe, reuera, vt Transſiluania (cui, quemadmodum & Walachiæ ac Moldauiæ, dudum inhiabat) potiretur, principatu deiectum adortus eſt; ſubſtituto in eius locum Achatio Barczaio, quem vi in principatum introducere annitebatur. Reſtitit fortiter, a Walachis & Moldauis adiutus, Ragozius, vsque dum ſuperiore anno glorioſa morte occubuit; quam mox inſecuta eſt Waradini, munitæ vrbis & veluti clauis Hungariæ ac Poloniæ, per Turcas occupatio. Quibus nihiloſecius Transſiluanorum plurimi, ductu cuiusdam Iemini Ianoſch, vna cum parte Walachorum (nam partem eorum aliam Turcæ nunc adhærere nunciatur) etiam nunc fortiter reſiſtunt: ſuntque, qui capto, vt fertur, Barczaio eiusque fratribus occiſis breui pacem ſperent; prudentioribus interim verentibus, ne iſta occaſione atrox bellum Hungariæ viciniſque Germaniæ ac Poloniæ ditionibus incumbat. Cui amoliendo nullum præſentius remedium, quam Chriſtianorum Principum concordia eſt. Cuius fama ſicut nuper Imperatorem Turcicum ad maiorem

Digitized by Google

armorum apparatum concitauit; ita ſi conſtantem eſſe deprehenderit, vix erit, vt Hungariæ aut Imperatori Auguſtiſſimo bellum inferat.

§. X.

His bellis adiungendum eſt ſeptimum, antiquius quidem ſuperioribus omnibus & fere perpetuum, ſed tamen annis proximis, occaſione Turco-Veneti, maiori cum feruore geſtum; videlicet *Turco-Melitenſe*. Nam equitibus Melitenſibus ſemper bellum cum Turca fuit; nuper autem maxime exarſit, poſtquam eorum cauſa, vt diximus, Veneti a Turca impetiti ſunt; Melitenſibus non ſolum Turcicas naues, quotiescunque occaſio eſt, rapientibus aut euertentibus, ſed etiam ſæpius terras hoſtiles deprædantibus.

§. XI.

Atque hæc in ipſa Europa Principibus ac Rebuspub. Europæis bella mutuo intercedunt. Quæ *extra Europam* nonnulli eorum gerunt; de iis ob locorum diſtantiam nobis Germanis parum certi compertum eſt. Dicemus tamen, quantum nobis conſtat, breuiter. Igitur poſt renouatam inter Hiſpanos & Anglos, interque eosdem Anglos & Luſitanos, pacem *bella* ſuperſunt I, *Imperatori Turcico*; primum *cum Perſa*, perpetuo ipſius hoſte in Chaldæa & vicinis ditionibus limitaneis: dein ſubinde *cum nonnullis Aſiæ & Indiæ regulis*, aut tributariis aut vicinis; denique *cum Hiſpanis & Luſitanis* in Arabia & India Orientali: II, *Regi Hiſpaniæ*, tum in *America* cum gentibus barbaris, partim ſibi ſubiectis, ſed ſubinde rebellantibus, partim adhuc liberis, & ſuo imperio vicinis: tum in *Aſia* & *inſulis eius* cum Turcis & aliquot regulis Indorum ac Luſitanis: III, *Regi Portugalliæ in Braſilia* cum Tapuiis & aliis gentibus

Digitized by Google

bus Americanis; *in Africa* cum aliquot Regulis Nigritarum; *in Aſia* denique cum Belgis, Turcis, Perſis, & multis Indorum regibus: IV, *Societati Indiæ Orientalis Belgarum federatorum* Imperio ſubiectæ, *in nouo Belgio & India Orientali* eiusque inſulis; itemque *in regno Angolæ* in Africa, partim cum barbaris illorum locorum incolis, partim cum Luſitanis. Gallorum & Anglorum in noua Francia & vicinis Americæ regionibus certamina, quoniam bellorum nomine vix digna ſunt, heic non memoro. Quemadmodum nec rebelliones Baſſarum Aſiaticorum & Chriſtianorum Peloponneſiorum aduerſus Turcam; aut Proregis Mexicani aduerſus Hiſpanum; quod incertus de illis rumor tantum, nec vlla fide digna relatio nobis ſuppetat.

§. XII.

Ex dictis apparet, quinam Europæ Principes, & quænam Respub. hodie bello diſtineantur. Principes ſcilicet hi: *Imperator Turcicus*; *M. Dux Moſcouiæ*; *Reges Hiſpaniæ, Luſitaniæ, Poloniæ & Suediæ*; *Principes Transſiluaniæ, Walachiæ & Moldauiæ, Chanus Tartariæ minoris & Principes Melitenſium.* *Reſpublicæ* vero nonniſi duæ, *Veneta & Belgica.* Quorum tamen omnium imperiorum non cunctæ ditiones, ſed tantummodo quædam, quæ *belli ſedes* ſunt, Martis violentiam experiuntur. Tales ſunt in Europa quidem I, *Hiſpaniæ prouinciæ Occidentaliſſimæ*, iis in partibus, vbi Caſtiliæ & Portugalliæ regna ſe mutuo tangunt; Andaluſia ſcilicet, Extremadura, Caſtilia, Gallicia & Portugallia: II, *Liuonia*, præſertim qua parte nuper a Moſchis occupata eſt: III, *Lithuania*: IV, *Vicinæ prouinciæ Poloniæ*, vt Volhinia, Ruſſia nigra &c. V, *Transſiluania*: VI, *Dalmatia*: VII, *Inſu-*

la Candia : VIII, *Græciæ*; ſtricte ſic dictæ, præſertim Moreæ ſiue Peloponneſi *ora maritima*, cum aliquot *inſulis Archipelagi* : IX, *Moſcouiæ* partes vicinæ Lithuaniæ & Tartariæ Precopenſi. Quibus in locis extra Europam hodie Mars pedem fixerit, in tanta locorum diſtantia relationumque paucitate, plene & diſtincte nobis non conſtat. Itaque heic tacere malumus, quam incerta, nec ſatis explorata, tradere.

§. XIII.

Atque hinc porro conſtat, in quibus Europæ imperiis atque prouinciis hodie pax floreat. Omnibus enim illis regnis ac principatibus Europæ, quorum ſuperiore §. mentionem non fecimus, omnibusque Rebuspublicis liberis, præter duas ibidem nominatas, cum aliis omnibus Principibus ac Rebuspublicis, pax, cum pleriſque amicitia, cum nonnullis etiam fedus ac ſocietas intercedit: niſi quod Rex Galliæ, Papa, Dux Sabaudiæ, Magnus Dux Florentiæ & Reſpublica Genuenſis, quoniam nuper Venetos partim milite & claſſibus; partim pecunia iuuerunt, quodammodo in ſocietatem belli veniſſe videntur. Similiter omnes prouinciæ præter eas, quas in eodem §. recenſuimus, adeoque etiam multæ ex iis, quarum principes bello impliciti non ſunt, etſi non omnino ab oneribus militaribus, rapinis militum & aliis belli incommodis; a vi tamen hoſtili liberæ & hactenus tutæ ſunt. Quanquam interim nonnullæ alioqui nullo iuſto bello inuolutæ, interdum aut leuibus irruptionibus vicinorum diuexantur, vt Hungariæ pars Imperatori ſubiecta; aut internis motibus ac ſeditionibus, ſed hactenus inualidis, concutiuntur, vt Syria & Natolia, ac in America (ſi vera ſunt, quæ narrantur) regnum Mexicanum; aut denique latronum piratarumque inuaſiones ſen-

Digitized by Google

ſentiunt, præſertim Turcicas & Barbaricas, quibus hodie tota Septentrionalis Maris mediterranei, hoc eſt, Dalmatiæ, Siciliæ, Italiæ, Galliæ & Hiſpaniæ, ora maritima, vicinæque inſulæ, vna cum omnibus nauibus mare illud nauigantibus, ſunt obnoxiæ.

§. XIV.

E quo vlterius licet cognoſcere, quanto meliore loco nunc ſint res Europæ, quam fuere ab hinc ſesquianno, cum pene tota bellis flagraret. Nam cum proximis annis e duodecim imperiis regiis, ſuperius enumeratis, nullum omnino; e principatibus XVI nonniſi IV; e liberis Rebuspub. tantummodo VI, belli expertes fuerint: hodie, inſigni DEI beneficio, imperia regia quidem VI, ſed tria nonniſi leuiter; ſtatus vero minorum Principum non plures quam V, Respub. autem liberæ non niſi duæ, bello diſtinentur. Similiter cum eo tempore e XXXI prouinciis Europæis (tot enim eodem loco numerauimus) XXII, etſi quædam ex parte tantum, belli iniurias & vim hoſtilem expertæ ſint; hodie nonniſi VIII §. XII enumeratæ, nec tamen totæ aut vbique, hoſtem ſentiunt.

§. XV.

Quanquam autem, vt oſtendunt, quæ diximus, pæne tota Europa hoc tempore pace gaudeat, ac vix alibi, quam vbi barbaras gentes attingit, & cum illis, bello diſtineatur; tamen ob varias prætenſiones aut rationes ſtatus, quibus nonnulli Principes ac Respub. nituntur, iactaque discordiarum ſemina, & hinc inde gliſcentes diſſenſiones, plures verentur, ne breui noua alibi bella excitentur. Primo quidem inter *Germanicum & Turcicum Imperatores*, ob inuaſam ab hoc Transſiluaniam, nuper a Ragozio filio patrisque vidua patrocinio illius concreditam, vimque non-

nul-

nullis Hungariæ locis intentatam, & mox, vt videtur, tam commoda occaſione oblata, maiore cum impetu inferendam; II, Inter eundem *Turcam* & *Regem Galliæ*, ob latas ab hoc Venetis ſuppetias; huiusq; legatum Conſtantinopoli iniurioſe habitum: III, Inter *Reges Hiſpaniæ* & *Magnæ Britanniæ*, ob interclusam ſpem reſtituendæ vrbis Duynkerkæ & Inſulæ Iamaicæ, ſuperioribus annis Hiſpano ereptarum, fedusque cum Luſitano breui, vt creditur, pangendum: IV, Inter eundem *Hiſpanum* & vicinos *Mauros*, veteres Hiſpanorum hoſtes, a Luſitanis, niſi aliunde auxilium accipiant, hauddubie evocandos, atque aduerſus Hiſpanum concitandos: V, Inter *Regem Poloniæ* & *Electorem Brandenburgicum*, cum ob memoriam offenſarum veterum, tum ob nouas de vrbe Elbinga aliasque diſſenſiones: VI, Inter *Papam* & *Duces Parmenſem* ac *Mutinenſem*, ob ereptas pridem illi quidem ditiones Caſtri & Roncigionis: huic vero vallem Comachiam, ac nuperrime adſcriptis Cameræ Apoſtolicæ, elapſo redemtionis termino, vtrisque Ditionibus, ſpem omnem earum redimendarum dictis Ducibus præciſam. Quibus facile ſe iuncturus videtur *M. Dux Etruriæ*, nuper circa prætenſiones in quasdam vltimi Ducis Vrbinatis, ſoceri ſui, ditiones pariter repulſam paſſus: in cuius belli ſocietatem, ſi quidem exorietur, veriſimile admodum eſt, etiam *Gallum* & *Hiſpanum*, rerum Italicarum arbitros, venturos.

§. XVI.

Atque hæc de apertis diſſenſionibus ac inimicitiis, quæ aut iam in bellum eruperunt, aut breui erumpere poſſe creduntur, dicta ſunto. Præter has autem ſunt aliæ occultiores, & quæ ſub ſpecie externæ amicitiæ ſæpe numero etiam inter conſanguineos & affines, immo inter federatos fouentur: quas proinde credibile eſt, vbi occaſio ſe

ſa-

ſatis commoda obtulerit aut obtuliſſe videbitur, in mutua bella exarſuros eſſe. Sunt autem eiusmodi *odia & occultæ inimicitiæ* I, inter *Gallos* & *Hiſpanos*, a centum amplius annis potentiæ æmulos, & naturali quodam gentium odio ſibi inuicem infeſtos; ob facilitatem inuadendi ditiones Hiſpanicas, variasque in eas Gallorum prætenſiones &c. II, Inter eosdem *Gallos* & *domum Auſtriacam* in Germania, ob ſimilem potentiæ æmulationem, & huius cum Hiſpaniæ Regibus cognationem: III, Inter *Regem Galliæ & Principes* ac *Respub. Italiæ*, ob metum potentiæ & dominationis Gallicæ, memoriamque calamitatum a Gallis ſibi inflictarum: IV, inter *Catholicos* & *Proteſtantes Germaniæ Principes*, quod hi ob religionem ſemper illos, aut ſaltem illorum pleroſque, ſibi infeſtos eſſe ſciunt; illi, quoties occaſio ſe offert, hos opprimere cogitant: V, inter *Suedos* & *Danos*, iam a multis ſæculis ſibi mutuo infeſtos, nuperque nouis bellis magis adhuc acerbatos: VI, Inter *Polonos* & *Suedos*, cum alias ob cauſſas, tum præcipue recordatione nuperi inter eos belli: VII, Inter *Auſtriacos* & *Suedos*, ob nuperum bellum Germanicum, damnaque illis eo illata: VIII, Inter *Polonos* & *Coſacos*, ob crebras vtrinq; iniurias, & horum leuitatem ac perfidiam: IX, Inter *Rempub. Genuenſem* & *Gallos*, ob veteres Gallorum in eam Remp. prætenſiones: X, Inter *Ducem Sabaudiæ* & *Remp. Geneuenſen*, in territorio illius ſitam & olim ei ſubiectam: XI, Inter *Duces Sabaudiæ* & *Mantuæ* ob nuperas iniurias, & certamen de Vicariatus imperii Romani in Italia: XII, Inter *Heluetios Catholicos* & *Proteſtantes*, quorum diſſenſiones nuperæ nondum plane ſopitæ, imo ab Hiſpanis foueri creduntur: XIII, Inter *Ducem Lotharingiæ* & *regem Galliæ*, ob ditiones illi a Gallo ereptas, variasque hinc inde offenſas: XIV, inter *Reges Galliæ* & *An-*

Digitized by Google

glia, tum ob prætenſiones Anglorum in Galliam, æmulationem potentiæ & alias cauſſas; tum ob ereptum nuper Principi Arauſionenſi, Regis Angliæ ſororis filio, principatum.

§. XVII.

Firmior, & magis fida *amicitia* eſſe creditur inter *federatas prouincias Belgii*: inter *Heluetios* eorumque ſocios, *Rempub. Geneuenſem, Valeſios, Rhætos & vrbes* aliquot *Imperiales* eo federe comprehenſas; inter *Hiſpanum* & *domum Auſtriacam* in Germania; inter *Gallos* & *Suedos*; inter eoſdem *Suedos* & *Anglos*; inter *Suedos* & *Luſitanos*; quamdiu tamen ab Hiſpanico iugo liberi manent; inter *Gallum* & *Sabaudum*; inter *Hiſpanum* & *Genuenſes*; inter *Moſchum* & *domum Auſtriacam*; inter eundem *Moſchum* & *Danum*; inter *Anglos* & *Luſitanos*; inter *Belgas* & *Electorem Brandeburgicum*; ac inter *Hiſpanum* & *Principes Reſpublicas Italiæ*; inter *eundem* & *Heluetios Catholicos*; inter *Gallos* & *Heluetios Reformatos*; inter *domum Auſtriacam* & *Bauaricam*, alioſque, quorum amicitia mutuis vtilitatibus, metuve inſignis detrimenti, ſuſtinetur. Cauſſas de ſingulis ſuo loco reddemus; quemadmodum & conditiones federum, quæ quidem nobis compertæ ſunt. Nunc autem huic tractationi finem BONO cum DEO imponimus.

IN-

Digitized by Google

INDEX.

A.

Abesſini. 335
Abuna. 336
Abundantia hominum *mediata Imperii cauſſa.* 95
Academiarum *catalogos & deſcriptiones quinam condiderint.* 264
Achaica Respublica. 25. *Scriptores de illa.* ibid.
Actorum publicorum *collectores.* 65
Adminiſtratio imperiorum. 255. *quid heic obſeruandum* ibid.
Aduenæ. 205
Aduocatiæ. 28
Aër *calidus aut frigidus.* 194. *ſerenus aut nubilus, &c.* ibid.
Æſtus Marinus. 177. *de eo ſcriptores.* 177
Æſymneticum regnum. 219
Agri limitati. 187
Ant. Albizius. 125
Alcoranus. 338. *Arabicus non niſi manuſcriptus haberi poteſt.* ibid.
America *vtraq; anguſtior, quam vulgo creditur.* 151
Amicitia, *in peregrinatione cum exteris ſancita, per litteras alenda.* 76
Amphictyonicum fedus. 26
Amplitudo Imperiorum nimia *inter cauſſas decrementorum cenſenda.* 107
Anabaptiſtæ. 311. *olim ad ſeditiones promtisſimi, hodie modeſtiores.* 353
Anarchia *imperia intereunt.* 110
Anglicarum rerum *ſcriptores.* 64
Anguſtia locorum *cauſſa noui Imperii.* 95
Annorum certus numerus, *an imperiis fatalis.* 115
Anonymus *theatre de l' vniuers* 51. *exegeſeos totius mundi & gentium.* 56. *Secretariæ Apollinis.* 64. *Apocalypſeos reſeratæ.* 121
Antiſcripturarii. 327

Antiſectariani 325
Apologetica ſcripta 66
Aquarum natura & qualitas obſeruanda 166
Arcana imperiorum a *quibus tradantur* 267
Archontes *quandoque dicuntur, qui ſummo imperio non gaudent* 243
Archontologia Coſmica. 48. 50
Arcifinia 187
Arces, *& de iis quattuor potisſimum notanda* 233
Arelatenſe regnum *venditione ad Gallias tranſiit* 104
Arida *terræ pars* 106
Ariſtocratia *vbi præualeat. 224. inter Ebræos ante Reges obtinuit* 241
Ariſtoteles *defenſus. 221. eius opus Politicorum. 5. Politiæ. 48. earum fragmenta ibid.*
Armenii 336
Arminiani. 308. *eorum alia nomina & dogmata* 309
Armorum apparatui *quid officiat.* 106
Arniſæi *ſententia de nexu feudali examinata* 31. *ſeqq.*
Arrianus *Nicomedienſis* 59
Aſtologiæ incertitudo 109
Aſtrorum influxus, *an obſit imperiorum potentiæ, aut proſit* 109
Athenienſes *num a Piſone recte dicantur* colluuies nationum 99
Atlas maior & minor 57
Pet. d'Auity 51. 146
Aularum cognitio, *e quibus haurienda* 75
Auſtriaca potentia *matrimoniis creuit* 101
Αὐτόχθονας *quos ethnici dixerint* 205
Auxilia ſociis lata *inter imperiorum incrementa referenda* 101

B.

Bern. Baldi *Hortus Geographicus* 141
Banno Papali *decreſcunt imperia. 105. eodem Italia fere tota ab imperio Romano auulſa ibid.*
Barclaii Argenis. 65. ſatyricon 68
Belgicarum rerum *ſcriptores* 64
Bellica vi *quomodo augeantur imperia.* 101. *& decreſcant* 104
Bellorum *varietas, cauſa, prætextus, &c. vnde cognoſcantur* 266

Bel-

Bellum *quid* 359
Nic. Bellus 53
Chr. Beſoldus 103
Blondellus 13. 126
Blondi Eromena 65
Boccalini *Relationes, Lapis Lydius &c.* 67
Sam. Bochartus 156
Io. Bodinus, *de Repub.* 5. 71. *notatus* 94
Bœclerus 13. 14. 46. 59. 72. ſeq. 121
Boruſſia Ducalis, *Electori Brandeburgico cum ſupremo illius dominio conceſſa.* 39. *deficientibus maſculis ſucceſſoribus ad regnum Poloniæ redit.* *ibid.*
Io. Boterus 50. 103. 146
Tho. Bozius 107
Brabantia *paludibus abundat.* 196
Adolph. Brachelius 62
Barn. Briſſonius 94
Brovvniſtæ 307
Hier. Bruſonus 62
Gabr. Bucelinus 125
Buchananus 22
Bullialdus 43

C.

Pomp. Caimi *Parallelo Politico* 53
Cainitarum imperium 90
Caluiniani *vide Reformatos.* eorum *non vnum genus.* 298. *rigidiores & mitiores.* 305. *vbi regnent* 347
Campanella *de Monarchia Hiſpanica* 26. 67
Canales, *quinam* 171
Capricornus *in horoſcopo adſcendens, an inferat mutationem Imperiis* 117
Caput Bonæ Spei 152
Iſ. Caſaubonus 48
Caſpium Mare, *lacus potius, quam mare dicendum* 170
Caſtella, *& quæ de iis annotanda* 103
Caucaſus *mons, monarchis fatalis* 115
Centeſimos quosq; annos *quidam familiis principum fatales ſtatuunt* 115
Characteres *& mores Principum.* 135. *vnde cognoſcendi* *ibid.*
Io. Chokier 108
Chorographi 53
Chriſtiani *in ſectas innumeras diuiſi* 257. 290. *in Europa fere rerum potiuntur.* 258. *eorũ in vniuerſum duo ſunt genera.* 291. *religio vbi vigeat.* 344. ſeqq *ſecuritati imperantium & tranquillitati imperiorum accommodatiſſima* 353
Ciuitas noua *quando oriatur.* 97. 98.

Digitized by Google

98. 99. *quot modis ſiat pars alterius imperii* 11
Ciuitates bello captæ *amittunt maieſtatem* 20
Ciuitates in vnum ſyſtema coeuntes arctisſimo federe *non amittunt ſtatum perfectæ ciuitatis.* 25
Ciuitates liberæ Imp. Germ. *an ſint Respublicæ* 19
Ciuitates, Principatus aut regni titulo non vtentes *haut excludendæ e numero Rerumpub.* 21. item, *quæ inuitis aliis, malo etiam titulo, libertatem ſunt adeptæ.* 22. aut *parua, infirma, caput cum alia commune habentes.* 23. *ex vna in plures diuiſa, tributaria, federe inæquali iuncta alteri* 27
Ciuitates, *quomodo noua Imperia condiderint.* 96
Ciuitatis corpus *nomine* ſtatus *deſignatur* 215
Ciuitatum multitudo & diſtinctio *quomodo orta.* 89. *coalitio vnde* 92
Arn. Clapmarius, *de Arcanis Rerump.* 68
Claſsis *in alias oras ſponte aut tempeſtate delata, quomodo nouum imperium condat.* 96
Clienti *quomodo comparetur vaſallus* 37
Clientulorum *appellatio vaſallis data* 41
Climata, *partes Zonarum.* 178. vſus eorum triplex ibid.
Cognitio *non tam actum, quam habitum notat.* 9. *duplex datur vniuscuiusque Imperii* 81
Hip. a Collibus 103
Coloniæ, *num ſint lege naturæ ſub imperio matricum* 29
Colluuies profugorum, *qua ratione nouam Rempub. conſtituat* 96
Cometæ, *an ſint ſigna mutationis in Repub. futuræ* 118
Comitia *non ſunt eiusdem auctoritatis.* 230. *eorum necesſitas non officit imperantium maieſtati* ibid.
Conclauia Paparum 65
Coniunctione *quomodo imperia increſcant* 101
Conringius 26. 40. 48. 78. 83
Conſilia ſtatus *ſæpius petuntur ex accurata genealogiarum notitia* 123
Conſulares Romanorum familias *quinam deſcripſerint* 125
Continens *quid.* 160. *quattuor hodie numerantur* ibid. *continen-*

tes magnæ 161
Caſp. Contarenus 52
Conuenæ 205
Conuerſatio cum prudentibus *Notitiæ Rerump. cupido neceſſaria* 72.76
Cophtitæ 335
Corporis conſtitutio *vnde diſcenda* 207
Nic. Cragius 49
Cubæ Inſulæ *longitudo* 151
Curdi *quinam* 350

D.

Daniæ ſcriptores hiſtorici 64
Dauidioriſtæ 316
Decalogi quartum præceptum 89
Decrementa Imperiorum *quid* 103. *eorum cauſſæ variæ ac pene infinitæ* 106
Deditio conditionata 29. *ea transfertur imperium, non imminuitur* ibid.
Deliberationes *quibus nitantur præſidiis* 87
Democratia pura *vix reperitur hodie* 249
Deſerta, *quænam dicantur.* 196. *eorum præcipua nominata* 197
Diarium Europæum 62
Dictatura, *magiſtratus fuit.* 211. 219
Rud. Diepholdus 126
Diſcendum a quolibet 86
Diſcurſuum Politicorum *ſcriptores* 69
Diſquiſitiones Politicæ *Boxbornii* 69
Diſquiſitoria ſcripta ibid.
Diſtantia *eſt vel viatoria vel itineraria.* 184. *vnde cognoſcatur vtraque.* 185. *vtrobique tamen varias ob cauſſas aberratur* 186
Ditiones, *quæ dicantur.* 136. *aliæ maiores, minores aliæ.* 138. *quid in ſingulis Imperiorum ditionibus notandum.* 139. *earum diuiſio & conſideratio duplex* 159
Ditiones *quot modis poſſideantur.* 210. *quo ſenſu dicantur* ſtatus 216
Diuiſione in plures heredes *imperia imminuuntur* 104
Diuitiarum atq; opum ſtudium *inter cauſſas imperiorum habetur* 93
Dominia *Electorum, & reliquorum Imperii Principum non ſunt Reſpublicæ.* 19
Donatione *Papæ Rom. plurimas Italiæ prouincias poſſidet* 105
Fr. Dracus 172
Druſi, *quinam* 350

Digitized by Google

Ebræorum Reſpublica *Diuinæ monarchiæ exemplum*.237. *eam quinam deſcripſerint* 94

E.

Eccleſiaſticæ Reipub. *monarcha Chriſtus*. 245. *etiam ex Bellarmini confesſione* ibid.

Eclipſes, ne, *iis præſignificetur mutatio Reip. futura* 118

Electio ne *an* ſuccesſio *præferenda* 246

Electio *vocatur, quæ reuera ſucceſſio eſt* ibid.

Elzeuiriorum Reſpublicæ 52

Vbbo Emmius 49.125

Emtione *augentur imperia* 101

Caſp. Ens 53

Enthuſiaſtæ 315

Episcopales 305

Episcopi *aliquando dicti* monarchæ 242

Episcopis poteſtas *a principibus non abdicatiue, ſed cumulatiue concesſa* 233

Epiſtolæ Politicæ. 99. Zeilleriānæ 53

Eſtotilandia, *inſula ficta* 166

Ethnica ſuperſtitio *vbi hodie adhuc reperiatur* 342

Euerſio imperiorum, *quid*. 110. *eius cauſſæ fere ſunt, quæ decrementorum*. 112. *ſigna diuinitus indicata* 118

Euphrates *limes fatalis Imperii Romani habitus*. 114

Euſtathius, *Interpres Dionyſii Alex*. 56

Exemtione gratioſa *imminuuntur imperia* 104

Exercitus, *ex variorum populorum colluuie ſub vno pluribusque ducibus, quomodo fiat noui imperi cauſſa* 95

Experientia 44.45

Expilationes ſubditorum nimiæ *Reip. fatales*. 119

F.

Familiæ *in vnaquaque republica cognoſcendæ*. 122. *quibus earum notitia accuratior neceſſaria* 123

Familiæ, *quibus nimia antiquitas tribuitur*, ſuſpectæ. 128. *migratione & variarum gentiū coniunctione, in peregrina loca translatæ*, 129. *in Principum familiis quid præcipue notandum* 130

Fanatici *imperantibus admodum infeſti* 353

Fata *principalium familiarum* 130

Fatales Imperiorum termini, *fluuii, montes*, 114. *item q. certus an-*

annorum numerus 115
Federa *qua ratione tollantur.* 160. *ex Genealogiis rectius intelligun-tur.* 123. *de iis ſcriptores* 268
Federa inæqualia. 27. *cum imperii imminutione coniuncta ſunt.* 29. *libertatem plenariam relin-quunt parti inferiori.* 41. *inter imperiorum incrementa haben-da* 102
Federis inæqualis ſpecies *nexus feudalis* 41
Fedus clientelare 28
Felicitate publica nimia *Imperia decreſcunt* 107
Feudalis nexus. 30. 40. *an obliget ſecundum perſonam, vitam & omnia bona* 32
Feudum francum. 31. ligium.ibid *an maieſtatica iura relinquat integra* ibid. & ſeqq. *in feudis tantum vſus fructus, & domi-nium vtile vaſallo concedi-tur* ibid.
Fideles *multiplicato genere huma-no in ſingulis familiis ſingulas conſtituebant Reſp.* 90
Fidelis, ligius 36
Fines ditionum, *naturales & ar-bitrarii.* 186. *falſo interdum de-ſignantur fatales quidam.* 188. *diuinitus mutantur proferun-turque.*ibid. *cur hodie difficilius acceſsione aliqua inſigni auge-antur* 189
Florentia *6000 Ducatorum imperio ſe exemit* 104
Florentinæ hiſtoriæ ſcriptor 63
Flumina *proprietatis capacia.* 138. *mutato fluminis curſu, mutan-tur fines ditionum.* 187. *quid in fluminibus obſeruari debeat* 193
Forma regiminis mutata, *an no-uum Imperium oriatur.* 97. *qua-nam potisſimum formam reip. varient* 218
Forma reipublicæ *dicitur* ſtatus. 217. *non bene cognoſcitur ex Principum aut Rerumpub. mi-niſtris ſcriptoribusve,* 250. *item ex formulis loquendi agendique aut edictis, pactionibus, &c.* ibid.
Formæ *rerumpub. vſitatiores.* 220. 223. 236. *inter ſe mixta,* 224. *ex iis vna duobus modis praualet.* 224. *an tres formæ miſceantur.* 225. *huius mixtionis nullum datur exemplum.* 226. *vnde fuerit er-ror, quod nonnulli ſic ſtatue-rent* 227
Fortalitii Fidei *auctor* 337
Georg Fournierus, *laudatus.* 183

Digitized by Google

Fratres Roſeæ Crucis 323
Freinſhemius 13
Fretum, *quid* 171
Friſlandia, *inſula ficta* 165
Fundi fieri *quinam dicantur* 43

G.

Gallicarum rerum ſcriptores 63
Gallorum potentia *matrimoniis aucta.* 101. *aduerſus Hiſpanos inimicitia* 209
P. Gaſſendus, *Aſtronomus excellens* 109
Gauri, *a Turcis haeretici adpellantur* 239
Io. Tob. Geiſlerus, *notatus* 217
Genealogiarum *accurata notitia Politices ſtudioſo haurienda.* 123. *eius ignorantia belli cauſſa ibid.*
Genealogiarum *ſciptores alii generales, alii ſpeciales.* 125. *e quibus plenior earum cognitio haurienda.* 126. *quid heic obſeruandum.* 127. & *inprimis illi, qui exactiorem Genealogiarum cognitionem adepturus eſt* 129
Generatio ſexta hominum *decurrens, a quibusdam Imperiis dicitur eſſe fatalis* 115
Geneua *ingratiis Ducis Sabaudiae libertate fruitur* 22
Genius *quibusdam familiis certus & familiaris* 132
Gentes feræ, & *ex latrociniis viuentes vnde.* 92. *quae ſpernantur a peregrinantibus* 208
Gentilium *tot fere ſecta, quot regiones* 257. 290. *ſeqq.*
Geographiæ errores & deliquia. 147. 149. *quae in illa ficta; falſo tradita &c. ibid. in quantum terrarum orbem ſpectat.* 3. *differt a Notitia Imperiorum. ibid.* eius ſcriptores, *quinam ad Rerump. notitiam adquirendam faciant.* 56. 140. & *ſeqq.* 354. *ſeq.*
Germanicæ hiſtoriæ *ſcriptores* 63
Germanorum Imperium *quibus videatur fedus diuerſarum Rerumpub.* 25. *ſeqq.*
Globus Geographicus, *quinam optimus* 146
Melch. Goldaſtus, *rerum Germanicarum collector.* 65
Gothorum familiæ *in varias Europae oras diſperſae.* 129. *eorum migrationes quinam deſcripſerint* 205
Græcorum dogmata. 328. *eorundem religio vbi regnet.* 347
Grasvvinckelius 16. & ſeqq. 137
Grislandia, *inſula ficta* 166

Grœn

Grœnlandia, *Chriſtiano IV Daniæ Regi* lapis Philoſophicus *appellari ſolita* 151
H. Grotius. 137. *de mari libero. ibid. quinam ipſi ſint oppoſiti. ibid.*
Car. Grotnicius 65

H.

Helleſpontus, *limes fatalis Imperii Aſſyriaci & Perſici* 114
Heluetia, *qua ratione a Germania ſit auulſa* 96. 114
Hier. Henninges, *Genealogicus* 126
Heraclides Ponticus 48
Heredes plures *in Imperio ſuccedentes nouorum Imperiorum cauſa. 97. itemque & decrementorum* 104
Heroes *mutandis extollendisque imperiis immisſi diuinitus. 119. quinam dicantur ibid.*
Heroica virtus *prudentibus ſuſpecta* 120
Heroici viri. 119. & ſeq. *eorum exempla ibid.*
Hiſpanicæ hiſtoriæ *conditores* 63
Hiſpanicæ poteſtatis *incrementa 101. beneficio Banni Papalis.* 105
Hiſpano-Luſitanicum bellum 360
Hiſpanorum in Gallos odia 209
Hiſtoria litteraria *adhuc deſideratur. 264.* pragmatica. 3. *eius obiectum, & duplex fructus. ibid. eſt præcipuum ciuilis prudentiæ præſidium* 135
Hiſtorici πολίλικώτεροι. 61. *in tres claſſes diſtributi. ibid. vniuerſales, prope vniuerſales. 62. particulares* 63
Phil. Honorii *Theſaurus Politicus* 53. 65
G. Hornius. 48. *eius Diſſertationes Hiſtorico-Politicæ* 55
Hoſtis potentioris metus *cauſa noui Imperii* 95
Hypothetici 305

I.

Ianſeniſtæ 294. ſeq.
Iaponiæ longitudo 151
Imperantium *catalogi duplices. 134. eorum conditores. ibid. imperfecti, præſertim antiquiores* 135
Imperantium *in Europa catalogus* 281
Imperatores *quinam appellentur 13 titulum hunc qui affectauerint ibid.*
Imperia orbis *ſunt obiectum Notitiæ Rerump.* 812
Imperia diuerſa, *ſub vno communi capite non propterea in vnum*

num coeunt. 24. ratione modi perueniendi ad imperium, alia ſunt ſucceſſiua, alia electitia 246
Imperia, *quibus modis euertantur & intereant. 110. leuiſſimis cauſis imminuuntur* 113
Imperii *vox, quot modis accipiatur* 12
Imperiorum cauſſæ. 93. *male a legum origine arceſſuntur. 94. aliisque cauſſis* ibid.
Imperiorum Europæorum *catalogus* 375. & *ſeqq.*
Imperiorum genus *in ſtatu integritatis futurum erat* 89. 94
Imperiorum incrementa, decrementa &c. exactius noſſe, *quam vtile ſit & neceſſarium* 86
Imperioru̅ decrementa. 103. ſeq.
Imperiorum *fatales limites & periodi.* 114. 115. *a diuina prouidentia præfiniuntur* 116
Imperium *in plura quomodo diuidatur* 111
Imperium nouum *oritur mutata regiminis forma. 97. nec ſi loco migrauit populus. 98. aut ſi contrahatur locus &c.* 69
Incolæ, *& quid de iis potiſſimum animaduertendum. 204. eorum origo incerta. 205. multitudo aut paucitas vnde* 206
Incolarum numerus *qua ratione decreſcat* 105
Incrementa imperiorum, *quid. 100. quomodo eueniant. 101. opibus qua ratione creſcant imperia. 102. de incrementis ſcriptores* ibid.
Incrementis Imperiorum *reſpondent decrementa & mutationes* 114
Independentes 307
Indigenæ 205
Induciæ. 267. *de iis ſcriptores. ibid. & ſeqq.*
Inſulæ *quid dicantur. 163. maiores ibid. aliquanto minores. 164. minimæ. 165. fluuiatiles* 168
Inſulas *quinam deſcripſerint. 57. earum aliquot pro Peninſulis habita. 150. ficta quanam. 151. accurate loquendo, omnes terra exſtantes appellandæ ſunt* inſulæ 161
Inſularum agmina 165. *earum plures quondam continentis partes fuere. 166. earum varia diuiſiones* ibid.
Inſtructiones legatorum 65
Interregnum *ſeditionibus patet* 108

In-

Inueſtituram ſuppliciter petere *non infert ſubiectionem, ſed cultum ac reuerentiam* 37
Irritatio exterorum temeraria Imperiorum potentiæ obſtat 108
Iſthmus *κατ' ἐξοχὴν tribuitur* Corinthiaco 167
Italiæ ſtatus *vnde cognoſcendus.* 52. 63
Itineraria, *quatenus Notitiæ rerump. inſeruiunt* 59. 60. 143
Iucatanæ longitudo 151
Iudæi *ſunt vel* Scripturarii *vel* Traditionarii 290. *eorum omnium præcipua dogmata.* 291. *de iis ſcriptores. ibid. vbi tolerentur Iudæi* 341
Iura maieſtatica. 18. *variè diſtribuuntur. ibid. ex iis imperium cognoſcendum* ibid.
Iuramenta *imperantium diuerſi generis* 231
Iuriſdictio Eccleſiaſtica 284
Iuriſprudentia *vbi hodie vigeat* 357
Ius Canonicum *aut* Romanorum ciuile *a Germanis receptum nihil derogat ipſorum libertati* 43
Ius Maieſtatis circa ſacra *an imperiis, quæ ſub Papa ſunt arbitrio, officiat* 19

K.

Karthaginienſe imperium *manſit, etſi vrbs incenſa* 111
Keckermannus 49
Keſelbaſchii, *ſecta Mahumetanorum* 339

L.

Lacus *pro Maribus habiti* 150
Io. de Laet 52
Thom. Lanſii *orationes contrariæ* 70
Latitudo locorum. 179 *quomodo indagari poſſit.* 180. *multis erroribus ſcatet.* ibid.
Latrocinia *ferarum gentium* 92
Wolf. Lazius 205
Legationes *Perronii, Canaii, &c.* 65
Legatis adhærere *in peregrinatione ingens prudentiæ comparandæ præſidium* 75
Legato *genealogiarum accurata notitia eſt neceſſaria.* 124
Leges alterius Principis *ſponte ab alio Principe populove admiſſæ non obſtant libertati* 43
Leges *de rebus ſacris ſanciendi poteſtas* 234
Leges *fundamentales.* 255. *forenſes, cenſoria* ibid.

Legiſlatoria poteſtas, *certo ordini conceſſa, non diuidit aut imminuit ſummam poteſtatem* 231
Lexica Geographica 154
Ligium feudum 31
Ligius 36
Limites *Imperiorum fatales.* 114. *cur hodie difficilius proferantur* 189
Limnæus 13
Luc. de Linda 51
Linguarum ortum, varietates & mutationes; quinam deſcripſerint 207
Lites heredum, *de ſucceſſione Imperiorum, incrementis obſunt* 108
Litterarum ſtatus in Europa 356
Io. Loccenius 108
Longitudo locorum 179
Alph. Loſchus 53. 125
Lucretia, *ſtupru paſſa, cauſſa mutati Decemuiratus exſtitit.* 113
Ren. a Luſinga 202
Luſitania, *quomodo in plenam ſe libertatem adſeruerit.* 96. *eius potentia vnde aucta* 101
Lutheranorum dogmata, *imperantibus æquisſima.* 263. 353. *præcipua illorum quænam ſint.* 295. *vnde petenda.* 296. *vbi regnet.* 346
Luxuria imperantium *decreſcunt imperia* 107

M.

Ferd. Magellanus 172
Magerus 39
Magiſtratuum negligentia *imminuuntur imperia* 107
Magnitudo *quid dicatur.* 189. *in ſingulis ditionibus notanda.* 139. *ea cenſetur imperiorum potentia.* 191. *menſuratur per gradus, milliaria, aut ſtadia.* 190. *quam in tabulis annotatam habes, ſæpe fallit.* 191
Maieſtas *quid.* 14. *cur dicatur* ſumma 15. *periculoſe diuiditur in* realem & perſonalem. 16. *niſi recidantur confectaria quædam.* 17. *eſt forma & eſſentialis character Reipub.* 18. *vnde cognoſcatur, penes quod imperium ſit* ibid.
Maieſtati, *quomodo obſit Pontificiorum doctrina* 262
Maieſtatis crimen *certis familiis hereditarium.* 133. *eius cauſſa.* ibid.
Mare, *an proprietatis capax.* 136. *ſeqq. variis modis accipitur.* 170. *quid in maribus præter dominium, nomina & fines conſiderandum.* 192

Ma-

Mare internum 174
Mari *varie terminantur ditiones* 187
Matrices vrbes, *ſiue*, Metropoles, *an coloniis ſuis iure Naturæ imperent* 29
Matrimonia *inter imperiorum incrementa*.101.*itemque & decrementa referenda* 104
Medicorum ſectæ 357
Pomp. Mela 56
Memoriæ miniſtrorum 65
Mennonitæ 311
Menſura interuallorum, *nullibi æqualis* 170
Gerh. Mercator 145
Mercurii *Gallo-Belgici, Anglici &c* 63
Meridionales, *quinam* 182
Paull. Merula 58
Metus a potentioribus, *quomodo ſit cauſſa Imperiorum* 93
Micrælii *ſyntagma hiſtoricum*. 6. 48. 125
Migrationes *pleræque ab ortu & ſeptentrione verſus occaſum factæ* 205
Militaris diſciplinæ *neglectu imperia decreſcunt* 107
Milliaria nullibi æqualia 191
Miniſtri Eccleſiæ, *vbi ad ciuilia negotia admittantur* 260, 355
Miſericordia prima & ſecunda 301
Monarchæ, *alii digniores, alii minores* 281
Monarchæ vox, *non ſemper ſummam poteſtatem, ſed interdum præeminentiam deſignat* 242
Monarchicus ſtatus. 236. *eſt vel diuinus, vel humanus*. 237. *diuina monarchia exemplum* Reſpublica Ebræorum. ibid. *pro Republica ſiue Regno habenda* 244
Morbi imperiorum, *diligenter ſecernendi a ſymptomatibus* 114
Mores *variarum gentium, quibus deſcribantur*. 207. *de vtilitate huius cognitionis* 208
Io. Bapt. Morinus 109
Morum diuerſitas *vnde* 209
Mortes piorum crebræ *Reipublicæ ingentes ſæpe mutationes præſignificant* 119
Moyſes *Reipub. Ebræorum* Prorex 237
Mundiburdia, Mundiburgia. 28
Mutationis vox, *de Imperiis vſurpata, quid deſignet*. 112. *differt a corruptione & euerſione*. ibid.

de-

ibid. de rerump. mutationibus ſcriptores *ibid.*
Mutationum *in Imperiis* ſigna *diuinitus præmonſtrata* 118

N.

Narratoria ſcripta 66
Nauigationum ſcriptores 60
Sigfr. Neander 130
Neapolitani regni *Scriptores Hiſtorici* 95
Negotiationes *Ieannini* 65
Neutrales 313
Nimrodi *animus imperandi cupidus. 91. quare turrim exſtrui curauerit* 92
Noachi imperium 91. *in poſteris diuiſum in varia regna* *ibid.*
Noachidarum præcepta 91
Nobiliores familiæ, *quænam. 124. earum genealogia Politices ſtudioſo cognoſcenda* 124
Nomen idem *in Principibus Imperium fundantibus & perdentibus quibusdam fatale habitum* 117
Nomina ditionum *vernacula, Græca & Latina in ſingulis imperiis obſeruanda. 130. corrupta in Geographia veteri, confuſa & præter verum multiplicata 149. generales de iis obſeruationes & cautelæ 153. ſeqq.*
Nord-See. 176
Notarum Politicarum ſcriptores *in hiſtoricos veteres* 69
Notitia Rer. *differt a Politica. 2. Geographia. 3. Hiſtoria. ibid. Iurisprudentia publica. 6. in quo cum hiſtoria conueniat. 4. ſubordinatur Politicæ. 7. eius varia nomina. ibid. definitio 8. obiectum. ibid. differentia. 9. finis. 10. fontes. ibid. & 40. ſeqq. interior notitia Rerump. vnde petenda. 75. quattuor rerum cauſſas requirit Conringius. 78. quænam in qualibet Repub. potiſſimum ſint cognoſcenda. 80. Notitia propria ciuitatis deſtitutus nunquam bene adminiſtrabit. 83. exterarum rerump. quam ſit neceſſaria* 84
Notitiæ *Eccleſiaſtica, vtriusque Imperii* 143
Noua Guinea, Noua Zembla, *ſunt Inſulæ* 162
Nubienſis Geographia 141
Numeris *quidam fatales imperiorum periodos tribuunt. 115. ſed falſo, cum illis nulla inſit efficacia* 116

O.

Obligatio perſonalis. 30. *an ius libertatis demat* *ibid.*

Ob-

Obſeruationum Politicarum ſcriprores 69
Occidens magnus 181
Occidentales, *quinam dicantur* 181
Occupatio, *inter incrementa Imperiorum habetur* 101
Oceani vox, *quot modis capiatur.* 169. *eius diuiſio* 174
Oceanus Tartaricus *hucusq; non cognitus ſatis* 150
Opes Imperiorum, *in quo conſiſtant.* 265. *de iis qui ſcripſerint. ibid. rarius certo & ſecundum pondus, numerum menſuramq;* 265
Opibus *quomodo creſcant imperia* 102. *quomodo decreſcant.* 105. 106. *iis non diſtinguuntur respublicæ* 222
Oppignoratione, *qua ratione augeantur imperia.* 101. *aut imminuantur* 104
Orationes Politicæ 69
Oratoribus, nomine Principis miſſis, adhærere *Politices ſtudioſo per eſt vtile* 75
Orbis diuiſio *in quattuor partes.* 177. *quid de ea ſentiendum. ibid. aliorum diuiſiones.* 178
Orbis Nouus, *ſiue* America, *eius fines, partes, & a reliquis diſtantia* 162
Orbis terræ, *quid.* 136. *eius certas partes quinam ex Geographis veteribus pariter & recentioribus deſcripſerint* 56. 57
Orbis vetus. 161. *eius fines,* 161. *partes, diſtantia a qualibet reliquarum partium* 162
Ordines ſacri militares 264
Orientales, *quinam* 181
Origo gentium *incerta.* 204 ſeq. *ſcriptores de iis* 206
Origo Imperiorum *duplex*, mediata, & immediata 87. *hoc argumentum plerique philoſophice potius, quam hiſtorice tractarunt.* 87. immediata *eſt a iusſu & ordinatione Diuina legeque naturali arceſſenda.* 88. *male a legum origine petitur.* 94. *aut Iure Natura ſuadente &c. ibid.* mediata *eſt duorum generum* 95
Abr. Ortelius 145
Agath. Orthonis *Hypotypoſis Geographia* 141
Oſtenta, *raro boni quid præſignificant* 118

P.

παρεκβάσις 236

Parricidii Anglicani *defenſores* 22
Patrocinia 28
Paupertas *imperantium nihil officit eorum maieſtati* 222
Pauperum oppresſio *præſignificat imperiis mutationem* 118
Pauſanias 49. 143
Pax 359
Peninſulæ 167
Peregrinatio *recte inſtituta, quantum ad prudentiam conferat* 45. 72. *ſeqq.*
Peregrinationum ſcriptores 60
Peregrinator *intelligens & bene moratus* 74
Periegetici ſcriptores 140
Periodi Imperiorum. 114. ſeq. *diuinitus præfinita* 116
Periplorum ſcriptores 59
Peritia *adminiſtrandi Rempublicam* 10
Peſtis, qua ratione fit nouæ Reip. cauſſa 91
Petauii Rationarium 61
Peutingeriana tabula, *quænam* 145
Pileus, *quomodo cauſſa exſtiterit defectionis Heluetiorum ab ImperioGerm.* 114
Plinii Hiſtoriam Naturalem, *quinam illuſtrauerint* 149
Politica ſpecialis, *quænam cenſenda* 2. *differt a Notitia Imperiorum* ibid.
Politica Syſtemata 70
Politici ſtudii *ratio apud veteres,* 4
Polyarchicus ſtatus 236 *in eo vnus aut pauci præ ceteris magiſtratibus poteſtatem ſingularem habent* 232
Pontificiorum doctrina *multimodis ſummis poteſtatibus infeſta.* 261. 354. *eorum characteriſtica dogmata.* 292. *religio vbi regnet hodie* 346.
Pontificum Romanorum *vitas qui ſcripſerint* 63
Populo etiam fideli *Reges ſunt ſuperiores* 18
Portus, 198. *eorum vtilitas, neceſſitas. ibid. varietas.* 199. *conditiones commodi & boni portus. ibid. & 200.*
Potentia Imperiorum, *quomodo augeatur.* 102. *imminuatur.* 105. *cenſetur illa magnitudine imperiorum* 191
Poteſtas *cur dicatur* ſumma 15. *perſonæ aut parti ciuitatis ad tempus conceſſa Reipublicæ ſtatum non immutat.* 219. *eius*

ſub-

ſubiectum. 22. *itemque iura, quæ ſunt apud vnum plures ve* 223 *legibus ſuis quamuis deuinciatur, tamen non emittit plenam libertatem.* 230. *quando cum aliis communicata ſit.* 223. *penes quem ſit, ex iuribus Maieſtaticis cognoſcitur.* 247. *circa ſacra, alibi plena, alibi limitata.* 260. *de ea ſcriptores* ibid.

Præcedentia, *ſæpe definitur ex accurata genealogiarum notitia.* 123. *de illa ſcriptores* 269. 123

Prædictiones *de futuro Rerump. ſtatu* 121

Præſidia militaria recepta, non officiunt ſupremo ciuitatum iuri. 41. 42

Prætenſiones *ex Genealogiis intelliguntur.* 123. *materia ampla & cognitu inprimis neceſſaria* 269

Princeps vaſallus, *num ſecundum perſonam, vitam & omnia bona ſua Domino obligetur* 32

Principis immatura ætas *cauſa decrementorum Imperii* 108

Priuatæ res publicis antehabitæ *mutationis indicia habentur in Repub.* 118

Proceres *alicuius imperii,* ſtatus *dicuntur* 216

Prodigia, *mutationum in Rep. indicia* 118

Promontoria, *in ditionibus notanda* 139. 167

Prophetiæ & vaticinia *de Reipub. mutationibus in certa, obſcura, fallaces* 121

Propugnaculorum detrimenta 106

Protectio, an deſignet ſuperioritatem non competentem 28

Prouinciæ, *quæ dicantur.* 136. *quænam præſtent aliis* 191

Prouentus regionum, *& quæ huc pertinent* 197

Prouocatio extrema, *certo magiſtratui conceſſa, non communicat ſummam poteſtatem* 232

Prudentia ciuilis. 3. *eius ratio apud veteres.* 4. *ex ſingularibus hauritur* 82

Prudentum conſuetudo *Politices ſtudioſo ambienda* 72. 76

Pruſſia Ducalis, *quomodo a regno Poloniæ ſit auulſa* 96. 104

Claud. Ptolomæus 140

Puritani. 305, *eorum doctrina tranquillitati imperiorum admodum infeſta.* 263. *de iis ſcriptores.* 306.

Digitized by Google

Q.

Quærentes 325

Andr. Quercetanus 127

R.

Rationem ſtatus *Italici ſcriptores quinam tradiderint* 68. 270

Rebellio *inter decrementa Imperiorum habenda.* 104

Reditus ſacri 263. 355

Reformati *malunt audire* Proteſtantes. 299. *eorum dogmata Principibus infeſta.* 263. *quænam eorum præcipua* 297

Regibus *infeſta Pontificiorum doctrina* 261

Regis nomine *alicubi in ſacris* gubernator *ſignificatur* 243

Regna *vel connexa ſunt, vel interrupta.* 138. *ſucceſsiua, electitia* 246

Rein Reineccius 125

Reipublicæ *vox varie accipitur. quibus ciuitatibus competat. vide* ciuitas

Reipublicæ florentis *indicium nobilitas & perpetuitas illuſtrium familiarum.* 123. *labantis contra crebra earum exſtinctio ibid.*

Reipublicæ mixtæ *tantum tria dantur genera* 229

Reipub. nomen *tam prolapſam, quam rectam complectitur* 235

Reipublicæ ſtatus, id eſt, *forma, vel fortuna & conditio* 216

Relatio *fide dignorum hominum eſt duplex* 47

Relationes Card. Bentiuoglii. 65, Francofurtenſes, Lipſienſes, &c. 63

Religiones *in vniuerſum quattuor* 257. 290

Religio *quænam ſecuritati Imperii comprimis conueniat* 261

Religionis ſtatus. 256, *eius notitia quam ſit ſtudioſo politices neceſſaria & vnde petenda. ibid. in quo potiſſimum conſiſtat.* 289

Rempublicam *dignoſcere quis tutius queat* 248

Rerumpublicarum diuiſiones 220

Reſpublica *quæ dicatur.* 14. *aut quid ſit* 221

Reſpublicæ corruptæ *in imperiis orbis habendæ.* 21. *ſecus quam nonnulli exiſtimant* 22

Reſpublicæ ſubalternæ 219

Reſpublicas *totius orbis qui deſcripſerint* 48

El. Reuſnerus 118

Rex *populi caput* 98

Rhætica Reſpublica 25

Ricciolus *notatus* 142

Rigaltius 43

Rohanæi Ducis *Trutina ſtatuum Europæ* 67. 215

Romani Imperii *ortus.* 96. *potentia vnde creuerit.* 102. *mutati cauſſæ* 113

Roſenkreutzer 323

S.

Sabini, *Romano Imperii quomodo fuerint iuncti* 111

Salmurienſes *quinam* 305

Sancti Marini Reſpublica 23

Ed. Sandys *Relatio de ſtatu religionis* 68

Henr. Sannemannus 116

Sanſouinus, *Rerumpub. ſcriptor* 45. 50

Satyrici ſcriptores 68

Sceptici 327

Schildius 25. 26

Schultzens Welt-Beſchreibung 51

Schutz- vnd Schirms-Verwandte 28

Scotia *eſt Feudum Regni Anglicani* 39

Scylax Caryandenſis 60

Secretariis adhærendum *ob interiorem rerum cognitionem* 75

Securitas virium nimia *Imperium imminuit* 105

Seditiones *nouarum Rerumpub. cauſſæ.* 97. *inter decrementa imperiorum referendæ* 104 107

Separatiſtæ 307

Septentrionalium migrationes *quinam deſcripſerint* 205

Septenarios annos ſingulos Saxoniæ Ducibus memorabile quid afferre, *quibusdam aſſeritur* 116

Claud. Seſellius 52

Simulacra imperiorum 211

Sinus *quid.* 170. *pre fretis accepti* 150

Sobbi 351. ſeqq.

Singularia, fons ſunt prudentiæ ciuilis 82

Vict. Siri 62

Situs ditionum *diligenter obſeruandus* 139. *eius definiendi rationes variæ.* 159. & *ſeqq.*

Io. Sleidanus 62

Slesvvicenſis Ducatus, *a Daniæ regno, qua ratione ſit auulſus* 96

Sociniani. 307. *eorum dogmata ibid. de iis ſcriptores* 308

Solum, *eiusque natura & qualitas obſeruanda* 196

Spurii *in Genealogiis obſeruandi.* 129

Status *vox quinque fere modis ſolet*

let accipi.215. 216. pro forma regiminis quando accipiatur. 217. definitur. ibid. num ſit qualitas perſonarum. 218. confunditur cum modo adminiſtrandi. ibid. quattuor potisſimum variant ſtatum. 218. ratione finis imperantium eſt vel rectus, vel corruptus. 234. de quorundam ſententia ſextuplex eſt Rerumpub. ſtatus 236
Status liberi 25
Status præſentis Rerump. ſcriptores, *quantum ad Notitiam Imperiorum conferant. 67. de* de ratione ſtatus, *quinam ſcripſerint* 68
Stemmatum principalium *fata a Deo, qui extollit ea & euertit* 130
Stephani Byzantii *opus de populis & ciuitatibus* 141
Strabo 49. 56
Strauchius, *Ioannes* 29. 39. 137
Struuius 40
Suauis *ſiue Sarpius* 93
Subalternæ Respublicæ 219
Subditorum *nimia licentia imminuuntur imperia* 107
Subditorum numerus, *quomodo decreſcat* 105
Subiectione ſpontanea *augentur imperia* 101
Sublapſarii 218
Subtilitatem ſpeculatiuam *non admittunt res ciuiles* 218
Suediæ *ſcriptores Hiſtorici* 64
Superbia *Tarquinii mutati Romanorum imperii cauſſa. 119. itemque defectionis Heluetiorum ab Imperio Germanico* 114
Supralapſarii. 298. *eorum dogmata* ibid
Symptomata *diligenter diſtinguenda a morbis Imperiorum* 114
Superſtitio Ethnica *vbi adhuc reperiatur* 342
Succesſio, *num præſtet electioni. 246. eius materia ampla & difficilis* 247

T.

Tabulæ Geographicæ *ex antiquitate vix vlla ſuperſunt. 144. præſtantiores ex iis, quæ hodie habentur. 146. earum imperfectio.* 165
Tanais *fluuius monarchis fatalis.* 115
Terra *Arctica. 161. Auſtralis incognita. 161. 163. Ignium. 164. Noua* ibid
Terræ Procurrentes 166
Territoria, *quænam dicantur* 136.

Te-

Teſtamentis *quomodo imminuantur imperia* 104
Theatrum Europæum 62
Theatrum vniuerſi 51
Theocratia. 90.237. *inter Reſpublicas habenda* 244
Theologia *Scholaſtica vbi floreat.* 358. *item exegetica, moralis, caſuiſtica, Patriſtica.* ibid.
Theſaurus Politicus Honorii 53
Iac. Aug. Thuanus. 62. *ex conſuetudine prudentum plurima ad hiſtoriam condendam neceſſaria* 73
Ant. Thyſius 46
Tituli ditionum *non poſſeſſarum cur a principibus retineantur.* 250. *ex iis non tuto cognoſcitur ſumma poteſtas* 249
Pet. Greg. Toloſanus 108
Topographi 58
Transactione *quomodo decreſcant imperia* 104
Tributorum *nimia exactione imminuitur potentia* 107. 119
Trigeſimus annus, *an mutationem Imperiis adferat* 115
Troianorum imperia *qua ratione in Italia* prodierint. 96. *ex eorum ruinis alia imperia conſtita* 110
Trutina ſtatuum 215
Turcicarum rerum ſcriptores 64
Tutores regnorum, *quo iure præſint* 211
Tyrannis *cauſſa noui Imperii.* 95. *decrementorum.* 107. *inter Reſpublicas habenda* 235

V.

Valeſius, *Henricus* 30. 43
Varenius, *Bernhardus* 14
Vaſallagium *non facit ſubditum* 36
Vaſallum eſſe, *& ſubditum* eſſe differunt 37
Vaſallus ligius. 32. ſimplex. ibid. *non licet ei vendere feudum, aut quacunq; ratione alienare ſine conſenſu Domini,* 39. *vſus fructus & Dominium vtile ipſi tantummodo conceditur in feudis* 41
Vaticinia *de Rerump. calamitatibus obſcura & fallacia* 121
Venditione *imperia imminuuntur* 104
Venetæ Reipublicæ *ſcriptores hiſtorici* 63
Veneti, *quomodo ab Imperio Romano ſint exemti* 105
Vernulæi *Orationes Politicæ* 70
Ger. Io. Voſſius, *laudatus* 205
Vrbium decrementa. 106. *quia hoc*

no-

Digitized by Google

nomine comprehendi ſoleat. 200 *obſeruationes circa illas ibi. quænam ex omnibus potiores habendæ.* 201. *de iis ſcriptores* 202

Vſus negotiorum *ſolus non ſufficiens ad prudentiam præſidium* 45. 47. *in quonam potisſimum conſiſtat.* 77

Vulgi mobilitas, *quomodo ſit cauſa ſupremæ poteſtatis* 94

W.

Waigazium *ſiue* Nasſouium fretum 182

Water-Länders 315

Weigeliani 317

Io. Welvvoodus 137

Weſtphalia, *paludibus abundat.* 167

Weſt-See 167

X.

Xenophontis *Respublica* 49

Z.

Zeelandia noua, *nondum explorata* 159

Zonæ, *quid.* 178

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google